



192

Ext 1, H
Aug 1st
of 18

SCHOLA PIÀ
ARISTOTELICO-THOMISTICA,
Certe S E U *Tomo*
BREVIS PHILOSOPHIÆ
et CURSUS de
JUXTA MENTEM ANGELICI DOCTORIS,
AD PIARUM SCHOLARUM USUM,
CONCINNATUS.


Antonio TOMVS I. González
CONTINENS DIALECTICAM, ET LOGICAM.
Collegial AUTHORE *de lae*


PATRE ANTONIO A SANCTIS JVSTO, ET PASTORE
e Clericis Regularibus Scholarum Piarum, iterum
Philosophia, ac Sacre Theologie Lectore.



Cæsar-Augustæ: Apud Franciscum Moreno, Typograph.

Este Tomo es de Dⁿ. Antonio González
de Joxo natural del Burgo de Osma
Cofrade y Discípulo de su Maestro
los P^{as} de Daxoca. Año de 1745.

Cum P^{as} a m^{as} 

Este Tomo es de O^ñ vale
O^ñ Tomo de la toma matrinal
del Burgo de osma Cofrade
del año de 1745. P^{as} de
la Ciudad de Daxoca año de 45
P.


O^ñ Manuel Capillo
de Osma pariente
del Duque de Morita

CLARISSIMO,
ET MUNIFICENTISSIMO DOMINO
D. JOANNI DE COTERO,

Antonio. ET VALLE, *Gonzales*

IN METROPOLITANA SALVATORIS ECCLESIA Archi-Presbytero Belchitensi, Cæsar-Augustanae-Dioce-
censes olim Generali Visitatori, Piarum Causarum

Año de Judici , atque Vicario Generali, &c. 1745.



ON deessent abs dubio , qui Librum hunc increparent (Clarissime Domine ,) si alterius , quam Tuo auspiciatissimo ductus Patrocinio , in publicam auderet prodire lucē. Licet enim multi occurrerent , quibus hoc non immerito deberetur obse-
quium ; sed nemo , qui tam claro , debitoque jure illud sibi vendicaret. Verebar tamen , & adeo verebar tanti Pro-
tectoris Magnitudinem , ut , quamvis te observationis meæ multis titulis Creditorem , qua par est , recognoscerem gratitudine ; acceptorum ex Te maxima , ac innumera penne beneficiorum copia , majoris valde condigna muneris , retardaret. Ajaciendis enim in Cæsar-Augustana Vrbe Scholarum Piarum fundamentis sub perpetuæ memoriæ

Illustrissimo D.D. *THOMA de AGVERO* Fundatore
Piissimo, atque amantissimo Protectore nostro, illius in-
ter Magnificentiam, Beneficentiamque tuam summa con-
tentione ita certatum est, ut quò majora ille generoso
suo, ac Illustri animo impendere vellet munera, cò Tu
promptiora, amæno, perennique rivulo effunderes bene-
ficia. Fidelis quidem Dispensator, & Prudens, quem Do-
minus ille non sine Divino *Augurio* cordarè elegit, sa-
pienterque constituit super bona sua; ut, nedum Schola-
rum Piarum Professoribus, sed egenis etiam omnibus,
omni tempore distribueres amplissimam, cùm rerum om-
nium, tùm tritici mensuram. Sed quid tanti Domini Te
Dispensatorem dicam; cum ejusdem munificentissimæ
Pietatis æmulatorem Te, & videam, & experiar? Alter-
um Te videt *THOMAM*, alterum Te experitur
AGVERO Schola nostra, alterum denique Te egeno-
rum Patrem omnes intuentur, exclamant, admirantur.
Prævaluit olim ementia Pythagoræorum opinio, qua
humanorum corporum migrantes animas, ad alia, quæ
similis, aut ejusdem indolis, atque virtutis forent, trans-
meare, penitus arbitrabantur. Verùm, etsi Tuam ac Il-
lustrissimi *THOMÆ* animam eamdem credere, nefas es-
set; tuum, ac illius animum adeo similes, & indole, &
virtute conspicimus, ut nulla prorsus diversitas interve-
nire videatur. Inde fit, ut Scholarum Piarum Ordo, post
Auguralis Solis occasum, micantia sydera luce plena, in-
fluxu potentissima sub Tuo firmamento consequatur. Ea
quidem sunt illustria Majorum Tuorum monumenta: Tua

itaque inclyta , ac nobilissima Tuorum facta Cœli prædicant ; quippe Tuis Majoribus , in perpetuæ memoriarum pignus , symbola dediderunt : Ea Tui sanguinis claritas , quam Cœlorum ornamenta insigniunt . Enim vero , sicut Tuam Stirpem stellæ nobilitant , ita SS. Crucis signum , quod Majoris Tui in Christianissimæ Religienis indicium asportare meruerunt , Fidei Catholicæ zelum , ardenter simusque Virtutis amorem , & Tuum , & Tuorum omnium indicat . Accederent huc Tua singularia merita , tum publica , tum privata , ni Tua ipsius modestia contineret calatum , quem mea ingenuitas , & debita in Te observantia à primo Dedicationis limine , ne injurius forem humilitati Tuæ , cohibuit . Extollant alii præclarissima illa , summaque Animi ornamenta , quibus in Aula Archi Episcopali per multos annos enituisti . Commemorent alii integerrimam illam , inviolabilemque æquitatem , qua omnia , dum Clementissimi Judicis fungereris officio , in numero , ordine , & mensura dispositi . Concelebrent Populi flexanimam illam , ac pene incredibilem Prudentiam , qua Generalis Visitatoris partes agens , improbos profligasti mores , eliminasti abusus ; pios , & egregios usus erexit . Pervulgent alii , qua dignatione , dum Archi-Presbiter Dignissimus meritorum pondere renuntiaris , omnes excipias , qua pietate foveas , qua mansuetudine , qua clementia . Sunt etiam alia magis peculiaria , quæque magis præcipue meam voluntatem devinciunt . Innata illa erga Litteras , ac bonas Artes propensio , & amor , quibus publicum Scholas

rum Piarum Magisterium, jamdudum in hac Vrbe publicæ utilitati erectum, tutari obniteris, nec cessas amplificare. Nam reverà satendum est, quod sine turpi ingratia animi vitio præterire non possum, Tutorem Te suum ac Amplificatorem recognoscere Scholas Pias, quas Illusterrimus Archi Præfus mira pietate plantaverat. Vtrumque autem & Tuum, & illius amplissimum est, ac præstantissimum erga Litteras, & Rempublicam beneficium: quum Scholæ Piæ solemni id instituto profiteantur, atque agant, ut cum Christiana pietate, morumque honestate, & sanctimonia bonas etiam Artes à primis elementis ad Rheticam usque in Juventutis animos infundant, atque instillent: imò verò maiores Scientias tradere Adolescentibus, ubi comodè fieri potest, non recusent. Redeo jam ad ipsum, quod initio dixi; nulli alteri devoveri posse, quod tot, tantisque nominibus Tuum est. Accipe ergo, Piissime Domine, qua soles, benignitate Librum istum, measque Philosophicas lucubrations in gratissimi animi pignus obvio sinu completere. Verumtamen officia hæc mea sic accipi abs Te, velim, tamquam publicum, ut reverà sunt, universæ Scholarum Piarum Religionis munusculum, memorisque animi testimonium; quasi non magis meo, quam communi omnium nostrum nomine, Tibi dedicentur. Nunc Deum optimum Maximum summis exoro precibus, ut salvum Te, atque in colum ad Scholarum Piarum felicitatem quamdiutissimè servet: his præsertim temporibus, quibus earum salus à salute Tua, vel omni,

vel

vel maxima ex parte perendere, nemo non videt, fatemur omnes.

In hoc D. Thomæ Scholarum Piarum Collegio Idibus Octobris anni 1744.

Tibi devin&tissimus, & obsequentissimus
Servus

Antonius à SS. Justo, & Pastore,

Antonius à S. Ansgario,

Antonius à S. Ansgario,

CENSVR AR. P. AVGVSTINI A S. JOANNE
Baptista, Scholarum Piaram per Hispaniam quondam
Provincialis, nunc per Aragoniam Provincialis Assi-
stens, & Delegatus, &c. Et P. Petri à S. Maria Mag-
dalena olim Philosophiae, ac Sacrae Theologie Lectoris,
nunc iterum Rhetorices in Cæsar-Augustano Collegio Pro-
fessoris publici, ac V. Rectoris.

EX commissione A. R. P. Thomæ à Sancto Joseph,
Religionis Clericorum Regularium Pauperum Ma-
tris Dei Scholarum Piarum per Provinciam Aragoniæ
Præpositi Provincialis nos infra nominati Librum, cui ti-
tulus: *Schola Pia Aristotelico Thomistica, seu brevis Phi-
losophiae Cursus, &c.* à P. Antonio à Sanctis Justo, & Pasto-
re Religionis ejusdem Sacerdote Professo, & Sac. Theo-
logiæ Professore concinnatum perlegimus; nihilque in
eo deprehendimus Fidei Orthodoxæ, aut morum puri-
tati contrarium: imo verò totum reperimus ad incon-
cussa Doctoris Angelici Sancti Thomæ Aquinatis Ma-
gistri Nostri fundamenta exactum. Dignum proinde lu-
ce publicâ censemus. Datum Cæsar-Augustæ die 24.
Maii, anni 1744.

Augustinus à S. Joanne Baptista.

Petrus à S. Maria Magdalena.

CENSV-

FACULTAS P. PROVINCIALIS.

THOMAS ASANCTO JOSEPH CLERICOR.

Regular. Pauper. Matris Dei Scholarum Piarum per Aragoniam Propositus Provincialis.

CUM integrum Philosophiae Cursum , cui
titulus : *Shola Pia Aristotelico-Thomistica,*
seu brevis Philosophiae Cursus juxta mentem Ange-
lici Doctoris, ad Piarum Scholarum usum, concinna-
tus, cuius Author Pater Antonius à SS. Justo , &
Pastore Religionis nostræ Sacerdos Professus , ac
Sacrae Theologiæ Lector, duo ejusdem Religionis
erudit Patres, quibus id commissimus, legerint, &
approbaverint : Tenore præsentium pro nostra
in hac parte autoritate facultatem concedimus,
ut , servatis servandis , in publicam lucem proser-
ri valeat. In quorum fidem has litteras manu no-
stra subscriptas , officii nostri Sigillo munitas , &
per infrascriptum Secretarium referendas dedi-
mus Cæsar-Augustæ die 25. Maij anno 1744.

Thomas à Sancto Joseph Provincialis.

Thomas à Virgine de Carmelo Secretarius;

CENSURA A. R. P. M. FR. BRVNONIS BRVS AV REGII, AC MILITaris Ordinis B. Virginis de Mercede, Redemptionis Captivorum, Collegii S. Petri Nolasci olim Rectoris, in Cesar Augustana Universitate Lib. Artium Magistri, Sacrae Theologiae Doctoris, ejusdemque primum Scotti, deinde Durandi, ac nunc Vespertinae Cathedrae Moderatoris, Episcopatus Illerdensis Synodalis Examinatoris, & in Regio S. Lazari Conventu Studiorum Regentis, &c.

Universæ Philosophiæ Cursum à R. P. Antonio à SS. Justo, & Pastore Scholarum Piarum Sacerdote Professo, ac Sacrae Theologiæ Lectore subtili Minervâ elaboratum perlegi serio, non sine ingeatis voluptatis lucro; & opus Censuræ meæ comissum à Perillustri D. D. Antonio Fernandez, & Arcaya in Majori Hispanensi S. Crucis Collegio Laureato, Cesar-Augustanæ Dicæcæsos Provisor, ac Vicario Generali, laudes a me, veluti extorquet, dum rapit. Argumentum, si quod aliud, sanè difficile, & periculosa plenum opus alocet: Plerisque enim, Philosophiam scribentibus, magno licet ingenio, & doctrina viris, labor incasum cecidit, dum inter præruptos undique scopulos, cupientes vitare Caribdim, in Scilicet impingunt. Vel enim plus justo pervehuntur, & ad nauseam provocant, dum indigestâ molle mentem onerant; vel, dum jejuné, & summis (ut ajont) labiis, atrectant omaia, sit, ut nihil omnino pertractent; & quod animus Philosophiam sicut, velut alter Tantalus, in ipso rivo sicutim ageat, & fnguentia capter poma. Utrumque extrellum bellè declinavit Author noster; quippe in assertiōnum suarum elucidantis momentis, & in difficultatum dossolvendis nodis medium observat, religiosè hic tenendum, non minus, quam in dirigendo alarum remigio ex Nasonis præscripto:

Inter utrumque vola, medio tutissimus ibis.

Nescio enim, quo fato infæ'ici multis abhinc retrò diebus gravatur hoc ulcus, & litteraria pestis; quod scilicet Philosophi, qui opera sua typis mandant, tam multa de re eadem edunt volumina, ut stomachum, ne dicam risum, Doctis moveant; & ansam præbeant Criticis, ut totam Hispaniæ gentem amarulentis talibus fricent. Ausus est Author Ieronis animorum de Hispaniâ dicere: Præcipua ad Germaniæ morem, ibi eruditio species prolixis voluminibus parca completa, sed & illa plerumque ex aliis Authoribus supervacuo labore deserpta. Quis poterit ferre Authores, qui, ut ajebat Seneca

ea de Albucio , cupiunt in omni controversia dicere , non quidquid
debet dici , sed quidquid potest ? Qui argumentantur moleste ma-
gis , quam subtiliter ; argumenta enim argumentis colligunt , qua-
si nihil esset firmum satis , omnes probationes probationibus aliis
confirmant ? Quis pariter patiens illorum , qui , dum brevitati con-
sulunt , tenebras offendunt , ut facilius colligas Sybillæ folia , quam
benè firmatam ex ipsorum placitis doctrinam .

Nostræ Authoris Opus utrumque vitat : breve sine obscuritate ;
nervosum , quin tedium generet ; undequaque solidum , concissum ,
& clarum . Oratio ubique latinitatis candorem , & quasi pudicitiam
præfert ; non calamistris compta , non falterata , non turgida : est
talis , qualis Philosophum decet : *Quis enim accurate loquitur (dice-
bat Seneca Epist. 76.) nisi , qui vult putide loqui ?* Author noster , (ut
de Fabiano Papirio dixit idem) animis scripsit ista , non auribus . Un-
de totum opus animatum est ; est *Anima Philosophie* , ut sit Philosophia
animæ . Philosophia honos erit hoc opus . Canam cum Adriano
Brucchio :

*Nec mirum , totum docto cum corpore clausum ,
Patronum Sophia præstet Ariostolem .*

Unde meum judicium est , quod hoc opus , undique lucernam
olens , dignissimum est , ut publicam aspiciat lucem . In hoc Divi
Lazari Regio Conventu die 30. Mensis Junij anni 1744.

F. Bruno Brusau.

IMPRIMATUR.

Fernandez V. Gñls.

TT2.

JU.

*JUDICIVM R. A. P. M. F. Emmanuelis Gallinero Ordinis
Pradicatorum, in Academia Cesar-Augustana Sacra Theo-
logia Doctoris, & Examinatoris, D. Thomae primum mo-
dò Durandi Cathedrae Moderatoris, & Albaracineusis
Dioceſeos Examinatoris Synodalis.*

Regii, Supremique Senatus Jusvi libentissimè obtēma-
perans, legi Cursum Philosophicum, cui titulu ins-
cribitur: *Schola Pia Aristotelico-Thomistica, &c.* Author
R. A. P. Antonio à Sanctis Justo, & Pastore, Sacerdos
Professo, ac Sacrae Theologiae Lectore. Nec dumtaxat legi,
sed relegi. Quidni replicarem operis lectionem, unde
totus replebatur animus dulcedine? Nihil in ipso, non
summopere mentem alliciens, hausi:doctrina ipsa, quā su-
bliminis, quā præclara, quā firma, quā iocundabilis, quā
demum Angelica, gratissimum undequaque voluptati in-
stillabat saporem; si namque Poëta, dicere licuit: *Trahit
sua quemque voluptas, qui fieri poterat, ut in opus mihi
jucunditate plenum, non me mea trahet voluntas?* Tra-
xit planè, & actutum gaudio sum perfusus, quod Scho-
la, & te, & nomine *Pia*, suis Alumnos ad Pietatem, &
Sapientiam efformatura, Angelum Ductorem, & Docto-
rem, cujas vocem audiant, eisdem præficere sedulò incu-
buerit. Rem sanè confecit Author in hoc Philosophico
Cursu, in quo *sola*, & *tota* Angelica vox insonare vide-
tur. Vel Conclusiones audias, Angelus loquitur; vel ra-
tiones ponderes, non nisi Angelus affatur; vel solutio-
nes perpeadas, & ea sunt Angelicæ; nec aliam linguam
umquam in Piis Scholis audire est, quippe omnium ore lo-
quitur unus Thomas, cujus, & in primis Egregius Au-
thor, quasi hæres, factus est lingua; ita, ut de illis, deque
ipso videatur præciousse Vatem:

*Vivit enim in vobis facundi lingua Parentis,
Et res hæredem reperit illa suum.*

Hic primus in nostro Aragonum Regno Piarum Schola-
rum Philosophicus fœtus prodit in lucem, ita omnibus
suis numeris abolutus, ut nihil in ipso desiderandum: non
doctrinæ ubertas, quæ hic sine tædio magna; non ratiōnum
efficacitas, quæ vix illa major; non difficultatum eoda-
tio,

tio, quæ facilis, & perva; ac demum quidquid ad Philosophicas disciplinas plenè capessendas optari poterat, hoc in uno opere fæliciter complectitur Author, cui fas sit dicere:

Quo pede cœpisti, sic benè semper eas.

Jure ergo, Schola Pia Aristotelico-Thomistica prænotatur Cursus hic Philosophicus, & mehercule res conformis est nomini. Eam etenim præfert Sententiarum rationumque copiam, ut cum lectissima quæque ab aliis primi subfelii Magistris excogitata, non prætermittat; è proprio penu locupletissimum Sapientiæ Thesaurum promit, quem, qui consideret, non unius Authoris pensum, sed plenam Aristotelico-Thomisticam Scholam ante oculos obversari facile credet. Nec minori jure Schola ista Pia Schola nuncupari debuit; tota enim doctrina Pietatem collimat, qua Pii Alumni apprimè imbuti, in communem utilitatem Pietatis Magistri procreabuntur. Hac ergo domestica institutione Egregios Pietatis Cultores communem, perennemque laudem, imò, & admirationem sibi comparandam, haud temerè conjicio, illud Ovidianum eisdem concinens:

Ovid.de
Trist.lib
1. Eleg.
4.

Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas.

In quorum plausum tota Theatra sonant.

Cumque Sapientissimus operis Author dignus sit, qui non imparibus commendetur plausibus; pro me, & ipsi moduletur Naso:

Ovid. 1.
2. de Poc
Eleg. 2.

Tu quoque :: :: :: :: :: :: :: :: :: ::
Dignus es in tantis nomen habere viris.

Dignus es : & quoniam luidem pietate mereris;
Non erit officii gratia surda tui.

Ovid.ib

Opus ergò tot nominibus commendabile, publici juris fiat, præsertim cum in illo nihil sit invenire Juri Regio, vel in minimo, detrahens. Sic sentio io hoc Regali Cæsar-Augustano Prædicatorum Conventu. Die 13. Junii anno 1744.

F. Emmanuel Gallinero.

LL.

EL REY.

POR quanto par parte de Vos el P. Antonio de San Justo , y Pastor , de la Escuela Pia de la Ciudad de Zaragoza , se me ha representado , teniais compuesto , y deseabais imprimir un Libro , dividido en quatro tomitos , cuyo titulo era : *Schola Pia Aristotelico-Thomistica , seu brevis Philosophiae Cursus , juxta mentem Angelici Doctoris , ad Piarum Scholarum usum , concinnatus* ; y para poderlo executar sin incurrir en pena alguna , me suplicasteis , fuese servido concederos licencia , y privilegio por tiempo de diez años para su impression : Y visto por los del mi Consejo , se acordó dàr esta mi Carta ; por la qual os doy licencia , y facultad , para que sin perjuicio de tercero , y no de otra manera , por tiempo de diez años , que han de correr , y contarle desde el dia de la fecha de ella , Vos , ó la persona , que vuestro poder tuviere , y no otra alguna , podais imprimir , y vender el referido Libro , que haveis escrito , con que antes , que se venda , se trayga ante los del mi Consejo , juntamente con el Original , para que se vea si la impression està conforme à él ; trayendo assimismo fee en publica forma , como por Corrector por mi nombrado se vió , y corrigió la dicha impression por el Original , para que se tasse al precio , à que se ha de vender : Y mando al Impressor , que imprimiere dicho Libro , no imprima el principio , y primer pliego , ni entregue mas , que un solo Libro con el Original à el Autor , ó persona , à cuya costa se imprimiere , para efecto de dicha correccion , hasta que primero estè corregido el dicho Libro , y tassado por los del mi Consejo ; y estandolo assi , y no de otra manera , pueda imprimir el dicho principio , y primer pliego , en el qual seguidamente se ponga esta Licencia , y la Aprobacion , Tassa , y Erratas , pena de caer , è incurrir en las penas contenidas en las Pragmaticas , y Leyes de los mis Reynos , que sobre ello disponen : Y mando , que ninguna persona sin vnaestra licencia pueda imprimir dicho Libro , pena de que el que lo imprimie-

re haya perdido , y pierda todos , y qualesquier Libros, moldes,
y aparejos , que dicho Libro tuviere ; y mas , incurra en la pena
de cincuenta mil maravedis , y sea la tercia parte de ellos
para la mi Camara , la otra tercia parte para el Juez, que lo sen-
tenciere , y la otra parte para el Denunciador. Y ordeno à los
del mi Consejo , Presidente , y Oidores de las mis Audiencias,
Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa , Corte , y Chancillerias , y
à todos , y qualesquier Jueces , Justicias , Ministros , y Perso-
nas , vean , y guarden , cumplan , y ejecuten , y hagan guar-
dar , cumplir , y executar esta mi Cedula , y lo en ella conteni-
do , sin contravenir , ni permitir se contravenga en manera al-
guna , que assi es mi voluntad. Dada en Buen-Retiro à 28. de
Junio de 1744.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor,
D. Francisco Campo de Arve.

V. M. concede Licencia , y Privilegio al P. Antonio de San
Justo , y Pastor , de la Escuela Pia de la Ciudad de Zaragoza,
para imprimir , y vender el Libro , que aquí se refiere por tiem-
po de diez años .

Don Pedro Manuel de Contreras,
Secretario de Camara.

ERRA.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pagina 18. lin. 20. *Indicium, lege Judicium.* Pag. 40. lin. 20. *dēdēt,*
lege debet. Pag. 41. lin. 19. *varitatis, lege veritatis.* Pag. 42. lin. 16.
compositio gem, lege compositionem. P. 61. lin. 24. *significativam, lege significativa m.* Pag. 70. lin. 20. *artifici, lege artificii.* Pag. 108. lin. 23. *inte ligantur, lege intelligentur.* Pag. 114. lin. 28. *quolibet, lege quodlibet.* Pag. 117. lin. 15. *in indefinita, lege indefinita.* Pag. 118. lin. 1. *im possibili, lege impossibile.* Pag. 134. lin. 26. *qua, lege quia.* Pag. 145. lin. 2. *possibile, lege possibile.* Pag. 147. lin. 8. *quorum, lege quarum.* Pag. 150. lin. 3. *proter, lege propter.* Pag. 159. lin. 2. *partis, lege puris.* Pag. 180. lin. 33. *genetratio, lege penetratio.* Pag. 217. lin. 14. *actu, lege actus.* Pag. 217. lin. 15. *speculatio, lege speculatio.* Pag. 232. lin. 9. *pre scindamus, lege præscindamus.* Pag. 260. lin. 20. *intellec tū, lege intellec tūs.* Pag. 318. lin. 26. *spos, lege ipsos.* Pag. 321. lin. 31. *sinitus, lege finitus.* A pag. 328. *exclusivè corri ge numeros pag.* Pag. 326. lin. 16. *ob jectivorum, lege objectivorum.* Pag. 377. lin. 11. *cognosciendi, lege co gnoscendi.* Pag. 384. lin. 23. *divesitas, lege diversitas.* Pag. 422. lin. 16. *quo, lege qua.* Pag. 455. lin. 15. *ingenerabilis, lege ingenerabiles.* Pag. 457. lin. 3. *at, lege ut.* Pag. 459. lin. 14. *de intificatur, lege identificatur.* Pag. 463. lin. 9. *formali, lege formali.* Pag. 485. lin. 8. *universale, lege univer sale.*

Este Libro, intitulado *Schola Pia Aristotelico-Thomistica, seu brevis Philosophia Cursus juxta mentem Angelici Doctoris concinnatus;* su Autor el P. Antonio de San Justo, y Pastor Religioso de las Escuelas Pias en su Colegio de la Ciudad de Zaragoza, con estas Erratas viene conforme á su original. Madrid 15. de Octubre de 1744.

Licenciado Juan Ricardo de Rivera,
Corrector General por su Magestad.

SUMA DE LA TASSA.

Tafaron los Señores del Real Consejo de Castilla este Libro á seis maravedís cada Pliego, como consta por Certificación de Don Pedro Manuel de Contreras, Secretario de Camara del Rey, nuestro Señor, Dada en Madrid á 16. de Octubre de 1744.

TRAC-



TRACTATUS I. DE DIALECTICIS INSTITUTIONIBVS.

PROOEMIVM.



ROPOSITVM nostræ intentionis in
hoc Tractatu, sicut in toto Philosophiæ
Cursu , illud est, quod cuiuslibet ve-
ritatis Doctoris esse debere , monuit
Doctor Angelicus, (1) cuius Angel. se-
qui Doctrinam (id, quod in animo li-
bentissimum est) & proponimus , & præcipimur: (2) (1)
In Prolog.
ea videlicet, quæ ad Dialecticam pertinent , eo modo ad 1.par.
tradere , secundùm quòd congruit ad eruditionem (2)
incipientium. Consideravimus namque, cum N. Ang. In Synop.
Duce , hujus Doctrinæ novitios , quibus consulendi Constitutus.
munus insumimus , lacte nutriendos esse, non escâ, ut Scholarū
facilè, quæ ipsis propinantur , valeant diggerere. Pro- Piarum.
pterea brevi stilo, facilique methodo ea trademus, quæ p. 2.c. 10.
Tyronum mentes non confundant; sed instruant: non a.n. 251.
offuscent ; sed expediant , quibusque valeant ad ma- B.
iores scientias aditum invenire.

A

QVÆS.

J

QVÆSTIO PROOEMIALIS.

ANTE, QVAM DIALECTICAM INGREDIAMUR, aliqua prælibabimus circa Disputationem, Mentisque operationes, ut communis Scholarum methodo adhæreamus.

ARTICVLVS I.

Preparantur arma ad Scholasticam pugnam:

I Philosophiam ita describit optimè N. P. Joannes à S. Antonio: (1) *Scientia rerum naturalium per causas sublimiores naturali lumine investigables.* Partitur autem Philosophia in *Rationalem*, seu *Logicam*; in *Naturalem*, seu *Physicam*; *Transnaturalem*, seu *Metaphysicam*; & *Moralem*, sive *Ethicam*. Philosophia Rationalis duplēcē habet partem, *Dialecticam* nempe, & *Logicam*. Dialectica est juxta S. Augustinum: (2) *Ars bene disputandi*. Disputatio vero ita ab Ang. Doctore (3) definitur: *Actus syllogisticus unius ad alterum ad aliquid propositum extendendum.*

2 Arma, ad Scholasticam pugnam præparanda, sunt *argumentationes*, quibus ea exerceri debeat. Cum autem in disputandi exercitio frequenter occurrant *Definitiones*, & *Divisiones*; *Notandum est* 1. Definitionem ita recte explicari: *Oratio explicans rem per essentiam*; v. g. hæc hominis *Definitio: Animal rationale*. Est autem duplex *Definitio*; altera *Physica*, altera *Metaphysica*. Prima est, quæ explicat *rem definitam per partes essentiales physicas*, nempè *materialiam*, & *formam*. Secunda est, quæ illam explicat

(1) In Libr.
Exā. Philos. tom. I
in princ.

(2) Aug. lib.
de Princ.
Dialect.

(3) D. Thom.
opusc. 32.
cap. 1.

per partes essentiales metaphysicas, genus scilicet, & differentiam.

3 Genus, quoad præsens, est illud prædicatum essentiale, per quod res definita cum alijs convenit, à se ipsa distinctis, ut prædicatum *animal* in hominis definitione; per illud enim convenit homo cum brutis. Differentia verò est illud essentiale prædicatum, per quod res definita ab alijs differt: ideo prædicatum *rationale* est differentia in hominis definitione; cum per illud differat homo ab omni eo, quod non est homo. Prædicata essentialia ea sunt, quæ rerum essentias componunt, quibusque deficientibus, res constituta inevitabiliter deficit.

4 Ut Definitio sit bona, aliquas debet observare conditiones. Primò: *Definitio debet esse clarior definito*; frustranea enim esset explicatio, quæ clarior non esset re explicata. Secundò: *Definitio debet rem explicare per prædicata essentialia*; & non per accidentalia, aut per proprietates; nisi futura sit definitio descriptiva. Tertiò: *Debet esse brevis*, quoad fieri possit; quare nullam debet habere particulam redundantem, aut superfluam. Quartò: *Debet non esse diminuta*; adeoque totam rei essentiam exprimere debet. Quintò: *Debet omni*, & soli convenire definito; ita ut valeat consequentia à Definitione ad definitum, & è contrà; v.g. *Est homo: ergo est animal rationale*; & è contrà.

5 Debet denique recto genere, rectaque constare differentia. Ut Genus sit rectum debet esse proximum & non remotum. Genus proximum illud est, inter quod, & definitum non mediat aliud genus; ad quod requiritur, genus ad plura se extendere, quam definitum; ad pauciora verò quam quodlibet aliud genus: ita, ut quod paucioribus conveniat genus, dummodo pluribus, quam definito, adaptetur, eò erit

proximus: & è contrà , quo pluribus accommodetur; è remotius ; ideo *vivens* esset genus remotum in definitione hominis.

6 Secundò : Debet esse genus ratio univoca , & non analoga. Ratio univoca ea dicitur, quæ multis convenit cum æqualitate ; ut ratio hominis ad Petrum, & Paulum. Ratio analoga illa est , quæ multis cum inæqualitate convenit ; ut ratio hominis ad hominem vivum , & pictum comparata. *Sed incipe* observare, inæqualitatem habendā esse ex parte rationis communis, ut hæc sit analoga ; non autem sufficere , si se habeat ex parte differentiarum : Ideo , licet homo sit perfectior bruto , in quantum rationalis , & non in quantum animal ; *animal* est ratio univoca ad hominem, & brutum.

7 Tertiò : Genus, ut sit rectum , debet esse simplex , & non complexum. Ratio est: quia est pars, per se componens definitionem; est autem de ratione partis , esse incompletam. Potest autem genus esse complexum solùm quoad voces , vel etiam , quoad rem, per voces significatam. Primo modo est, quando duabus constat vocibus, unicam rem significantibus; v.g. *intellectio humana*. Secundo modo est , quando duabus constat vocibus , diversas res , etsi in unum copulatas , significantibus ; qualis est terminus iste *Petrus albus*. Primo genere uti licet , dum non adest genus omnino simplex ; secundo autem nusquam licebit uti.

8 Notandum est 2. Propositionem esse orationem, quæ subjecto , copula , & prædicato constat. Subjectum est illud , de quo aliquid dicitur : Prædicatum est illud , quod dicitur de subjecto : & Copula est verbum uniens subjectum cum prædicato ; v. gr. in hac propositione: *Petrus est homo*; in qua *Petrus* est subjectum, quia

quia de eo dicitur, esse hominem: *homo* est prædicatum, quia de Petro dicitur: Particula est dicitur copula, quia copulat, seu unit Petrum cum homine. Tam subjectum, quam prædicatum, alterum est formale, seu in supponendo; alterum objectivum, seu in esse. Primum est dictiones, seu conceptus, significantes rem, de qua aliquid dicitur, & quæ dicitur de alio: Secundum verò est res ipsæ significatae.

9 Dividitur primò Propositio in veram, falsam, & dubiam. Prima est, quæ rem enuntiat, prout est in se; v. gr. *Petrus est homo*: Secunda est, quæ rem dicit aliter, ac est in te; v. gr. *Petrus est lapis*: Dubia est, quæ in uno sensu vera est, est autem falsa in alio; v. gr. *Canis latrat*; quæ vera est, intellecta de cane terrestri; secùs autem, si de cœlesti intelligatur. Dividitur secundò in affirmativam, & negativam. Prima est, quæ non habet particulam, *nullus*, vel *non ante copulam*; ut *Petrus est homo*: secunda est, quæ habet aliquam ex illis particulis; v. gr. *Nullus homo est lapis*: *Petrus non est lapis*.

10 Notandum est 3. Argumentationem esse orationem, in qua unum ex alio inferatur; v. gr. *Petrus currit*: ergò *movetur*. In argumentatione tria reperiuntur, nempè antecedens, consequens, & consequentia. Antecedens est illa propositio, ex quâ alia inferatur; v. gr. *Petrus currit* in dicta argumentatione: Consequens est propositio illata ex antecedenti; v. gr. *Petrus movetur*: Consequentia autem, est quædam illatio intentionalis, quam intellectus format ab antecedenti ad consequens, vi dependentiæ consequentis ab antecedenti, & utriusque connexionis, indicatam per particulam ergò, vel igitur.

11 Argumentatio, altera est syllogismus, altera enthymema. Syllogismus est Argumentatio tribus con-

stant propositionibus, quarum prima, quæ est ante particulam *sed*, vel *atqui*, dicitur *major*; secunda, quæ datur post dictas particulas, & ante particulas *ergo*, vel *igitur*, appellatur *minor*; & tertia, quæ ponitur post particulam *ergo*, *consequens* nuncupatur: patent omnia in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal*; *sed Petrus est homo*: *ergo Petrus est animal*. Major, & minor sèpè appellantur præmissæ, quia conclusioni præmittuntur; interdum dicuntur antecedens compositum, quia ab utraque per modum unius, inferatur *consequens*, quod etiam dici solet *conclusio*.

12 Enthymema est: Argumentatio, è duabus coalescens propositionibus; quarum prima dicitur *antecedens*; secunda appellatur *consequens*; v. gr. *Sol lucet: ergo dies est*. De alijs argumentationis speciebus agemus Libro tertio. De Divisione, nihil in præsenti attingimus; nunc enim solam necessariam incipientium instructionem attendimus; reliqua suis unaquæque locis relinquentes.

ARTICVLVS II.

Praxis Disputationis regulatur!

4 **C**Vm finis Disputationis sit optatæ veritatis inquisitio, cavenda est, inter disputandum, manifestæ veritatis oppugnatio; observanda itidem Modestia; nec popularibus verbis, aut inconditis vocibus, risuve illusorio suggillandum: nec inurbanè à quoquam incedendum, quod ex alienâ Scholâ alter advenerit. Memores sint litterarij Concertatores, in publicis disputationibus plus frequenter elucidare prudentiam, quam genium, & multoties, quam ingenium.

Regulae Arguentis.

Regula I. Arguens nunquam ad Palæstram imparatus accedat, ne unde foret spezanda gloria, inde rubor accrescat: imò Oppugnans prævidere debet argumenta, contra Thesim impugnandam, militantia; & responsiones, quas Respon- dens fortassè dabit, præmeditari. Argumentum selec- tum, & excogitatum in determinata puncta distri- buat; ita, ut servata brevitate, & claritate, potior vis argumenti sit ad initium; deinde minus gravis; sed pro fine potissima reservetur.

3 Regula II. Dum Arguens pervenerit ad Circum- omnem metum propulset, & animosus expectet occa- sionem præliandi. Conclusionem à Rectore, seu Prä- side accipiens, aliquantulum assurgat, illique caput inclinet, & signum urbanitatis adhibebit. Devoluta conclusione, Thesim notet, quam impugnandam pa- ravit. Quo peracto; veniam petat prius à Rectore, seu Präside Actus; deinde à Präside Actuantis, & denique à circumstantibus, servato ordine dignitatis; unicuique, convenientes titulos tribuendo. At verò, si Pro- Rex, aut Episcopus, aliusve Princeps præsideat, solus iste salutari debet.

4 Regula III. Completa salutatione, argumentum proponat hanc, vel simili methodo: *Militabit igitur argumentum contra talem conclusionem, ubi haec doctissi- mè scribis: & lecta conclusione; prosequitur: contra quam en leye medium.* Argumento proposito, paulisper surgat, & discooperto capite, dicat: *Hæc facilli- ma sunt; pro tui ingenii acumine, as respondendi dex- seritate difficiliora solves, vel, si jam respondit, dif- ficultiora solvisti.* Caveat autem, ne pro ante-

cedenti assumat contradictriam conclusionis impugnandæ; v. gr. *Copula non est terminus*: ergò falsa est conclusio: sed medium assumat, ex quo illa contradictoria inferatur; v. gr. *Copula non est pars propositionis*: ergò non est terminus.

5 Regula IV. Proposito arguento, advertat, si Respondens id repetit, quod proposuit, saltem quoad substantiam; &, si secùs fecerit, potest ei dicere: *Non repetis fideliter*. Sed urbanum aget virum, si argumentum iterum proponat, ut à Respondente memoria retineatur. Advertat propositionem negatam, illamque probet; ita, ut ipsam pro conclusione statuat in probatione; v. gr. si negatur hæc propositio: *Copula non est pars propositionis*, sic probabit: *Copula non componit propositionem*: ergò *copula non est pars propositionis*.

6 Regula V. Si Respondens aliquam propositionem distinguat, duplicem Arguenti apperit viam: unam, quà ex concessa propositione, intentum inferat argumenti, dicendo nervosè: *Bene sic*, & intentum inferendo; alteram, quà partem negatam, si id faciat ad intentum, animosè probet, dicens: *Contra*: *Sic argumentor*. Nunquam mutet medium; sed, quod semel assumpsit, pro viribus urgeat usque ad summum difficultatis.

7 Regula VI. Si proposita difficultas à Defendente plenè soluta est, ingenuè acquiescat Oppugnans cum quadam commendatione Defendantis: & si nová occurrat; simulata transitione, illam attingat. Si verò solutio vim difficultatis non enervat; fortiter, sed humaniter, arguento insistat: nec patiatur, per longas, easque parùm conducentes, explicationes, argumentationem interrumpi; sed directè petat responsionem in formâ, ut propositiones, vel negentur, vel concedantur, vel distinguantur.

8 Regula VII. Fugiat Oppugnans syllogismorum agglomerationem ; nec , quod sub terminis possitivis valet exprimi , sub carentiarum confusione velit explicare. Caveat ab argumentis transcendentibus , seu quæ cuilibet solent inservire materiae ; ea enim , sicut communia sunt , communem habent solutionem , & ingenioso Respondenti nihil inferunt difficultatis. Nec nimis scrupulosè se gerat cum Respondente,dum substantiam , etsi non verba eadem , repetit ; nisi forte argumentum sistat in terminis , quod non decorosum semper existimavimus.

Regulae Respondentis.

9 Regula I. Respondens , auditō attētē argūmento , tantisper assurgens , & discooperito capite , salutet arguentem hāc , vel simili methodo : *Illustrat meas Philosophicas Theses Religiosissimus Pater , vel Sapientissimus Doctor, &c.* & illum suis honoretit titulis ; quo factō , pergit , dicens : *Principiū illustrat Thesēm postam in N. ubi hēc scribo : nunc legitur Conclusio defendenda ; & postea subdit: Contra quam hoc ingeniosissimo utitur ratiocinio.* Deinde totum , & idem , saltē quoad substantiam , & , si fieri potest , quoad verba , repeatat argumentum , nihil negando , aut concedendo: Postea secundō repeatat , concedens verum , negans falsum , & dubium distingueas.

10 Regula II. In secunda argumenti repetitione , si majorem neget ; ibi sistat expectando probationem: si illam concedat ; repeatat minorem , quæ si negetur , consequens non attingitur ; si verò concedatur , neganda , vel concedenda est consequentia , vel consequens distinguendum. Si aliquam præmissam distinguat ; pariter progreendiendum , quo usque consequens distin-

distinguat, vel absolute minor, aut consequentia negetur. Non est dicendum: *Nego, vel concedo consequens;* sed *nego, vel concedo consequentiam.* Dicendum est autem: *Distingo consequens; non distingo consequentiam;* quia consequentia, nec est vera, nec falsa; sed bona, vel mala.

11 *Regula III.* Si major, vel minor nihil faciat ad intentum, sive sit vera, sive falsa, dicendum est: *Permitto, vel omitto majorem, vel minorem, vel transeat major, aut minor.* Si Arguens intendat, sequi ex Assertione aliquid falsum, vel absurdum, dicendum est: *Nego sequellam.* Si propositio plures habeat partes, quarum alia sit vera, alia falsa; distinguenda est propositio, vel absolute concedenda, quoad veram, & neganda, quoad falsam partem. Si Arguens non inferat pro consequenti propositionem negatam, potest ei dici: *Non probas intentum; sed quia id agrave ferri solet, melius erit, de hoc defectu Arguentem admonere.*

12 *Regula IV.* Si propositio falsum supponat, dici potest Arguenti: *Supponis falsum, vel nego suppositum.* At vero (advententer nota) non est idem, propositionem esse falsam, ac falsum supponere: quia falsitas propositionis stat in falsa affirmatione, vel negatione praedicati de subjecto; falsitas autem suppositionis consistit in eo, quod subjecto, vel praedicato falso adjungatur aliquid praedicatum, illi non conveniens, sine expressa affirmatione, aut negatione; vel, si negetur implicitè aliquid ei conveniens: ideo suppositio, vel se habet ex parte subjecti; v. gr. *Homo, antiquior Adamo, currit;* vel ex parte praedicati; v. gr. *Petrus est Aethiops albus.* Si termini suppositionis sint repugnantes, est *implicantia in terminis.*

13 *Regula V.* Licitum est noncumquam argumentum retorquere in Arguentem: quod sit, inferendo

do consequens apud Arguentem, vel apud omnes falsum, servata eadem formâ in eadem, vel in diversâ materiâ, dicendo prius: *Insto, vel retorqueo argumentum: Ita tamen non frequenter faciendum;* quia *Arguere in contrarium non est solvere argumentum:* Sed tunc solum, cum Adversarius pertinaciter disputat, genuinæ solutioni non acquiescens. Caveat, ne ipsam conclusionem, de quâ lis est, pro ratione argumenti assignet; id enim erit petere principium.

14 *Regula VI.* Si Arguens plus clamoribus, quam rationibus argumentetur, sinat tantisper ejus clamores, & imperturbatus, ac paccato sermone, more Sapientum, respondeat; neque ad reciprocè vociferandum incitetur: Vnde pauca potius, quam multa, & extra formam nihil, loquendum, nisi ab Argente disparitas, aut Doctrinæ ratio exigatur. Si propter defectum syllogismi, neget consequentiam; poterit defectum ostendere; sed non tenetur, cum Argentis sit probare bonitatem consequentie.

15 *Regula VII.* Si Oppugnans in levitatibus, lusinibus, aut sophismatis vim ponit argumenti, non tenetur Respondens seriam dare responsionem; sed sat erit, si sophisma sophisinati sciat opponere. Si solidis utatur argumentis, serio sunt ejus ratiocinia ponderanda, ac dilucidanda; & ita dissolvenda, ut Adversarium non lateat solutionis veritas, saltem probabilis, & in opinione Respondentis bene fundata. Nunquam neget Sanctorum Patrum authoritates; sed eas reverenter explicet, & pro posse conciliet cum suis assertis.

16 *Regula ultima:* Sciant, tam Arguens, quam Respondens, se optimam, ac lucidam contexturos disputationem, si ingenium, & discursus subtilitatem suayitas linguae, moderata acrimonia, animi serenitas

tas , gestus compositio inter argendum , & respondendum comittentur. In hoc denique monitos voluntas Studentes nostros : ut , dum privatim disputant , omnes supradictas regulas servent ; quia , experientia magistræ , didicimus , tales fore in publico Certamine , quales in privato Circo esse consueverint.

ARTICVLVS III.

De Operationibus Intellectus.

CVm Intellectus humanus , cuius operatio-
nes examinandas assumimus , valde limi-
tatus sit , & in materiali corporis carcere inmersus ;
nequit unico simplici intuitu , adinstar Angeli , per-
fectè , & clarè obiectum , ejusque proprietates attin-
gere ; sed paulatim , & successivè ad perfectam obie-
cti pertingit cognitionem ; ita , ut prius rei quiddita-
tem confusè attingat ; deinde clarè essentiam , seu
prædictorum essentialium identitatem cognoscat ; &
denique ex essentiâ clarè cognita ejusdem inferat pro-
prietates . (1) Primus cognoscendi modus est *Appreben-
sio* , secundus *Judicium* , & tertius *Discursus* .

(1)
Doctrina
D. Thom.
I.p.q. 85.
artic. 5. in
corp.

2 Apprehensio , prima nostri Intellectus operatio ,
est quædam Intellectus cognitio , rem attingens , nihil
affirmando , aut negando , quæ sic rectè definitur : *In-
tellectio humana merè perceptiva* . Explicatur definitio :
Intellectio humana est genus , quia particula illa fa-
cit convenire Apprehensionem cum Judicio , & Dis-
cursu : & licet sit terminus complexus , est tantùm ,
quoad voces , non verò quoad rem ; & hoc genere uti-
mur , quia *Intellectio* sola esset ratio analoga , utpotè
inæqualiter participata ab intellectione Divina , &
humana . Reliquæ particulæ sunt differentia ; quia per
illas

illas differt Apprehensio ab omnibus aliis.

3 Observa tamen, quod in dicta differentia particula *perceptiva*, quae omnino possitivum actum intellectus significat, se habet principaliter; & particula *merē*, quae exclusionem indicat affirmationis, & negationis, se habet secundariò; ut inde inferas nostram definitionem non tradi per prædicata negativa primariò, & principaliter. Duplex est Apprehensio: una simplicissima; & ea est, quae unicum attingit terminum; v.g. cognitio attingens Petrum; altera simplex, quae & complexa dici solet; & est illa, quae duos, aut plures attingit terminos; v.gr. intellectio dicens: *Animal rationale*.

4 Judicium, secunda mentis operatio, est cognitio attingens rem, aliquid de ipsa affirmando, aut negando; & sic aptè definitur: *Intellectio humana enuntiativa*. Defectuosam habuerunt hanc definitionem Thomistæ aliqui, quia non habet particulam formaliter ante ly *enuntiativa*, ut differat Judicium à propositione. Sed re verà superflua esset; quia per ly *enuntiativa*, supponens Intellectionem humanam, quomodo est Judicij differentia, cum quilibet Differentia supponat Genus, satis differt Judicium à Propositione, quae licet sit enuntiativa, non supponit Intellectionem humanam. Data definitio intelligitur sicut Apprehensionis definitio.

5 Discursus, tertia nostri Intellectus operatio, est quedam cognitio, quae unum ex alio infert; v.gr. cognitio inferens: *Petrus currit: ergo movetur*. Sic ergo est Discursus definiendus: *Intellectio humana illativa*. *Intellectio humana* est genus; quia per illam particulam convenient cum Apprehensione, & Judicio. *Illativa* est differentia; quia per illam ab illis differt. *Natura*: In Deo, & in Angelis non dari Apprehensionem; quia

quia est cognitio confusa, Deo, & Angelis repugnans: Ne que dari Discursum formalem, quia hic petit pluralitatem conceptuum ad rem exprimendam Deus autem, & Angelus unico indubibili conceptu cognoscunt perfectissimè. Quia deficit ipsis intellectus, Neque in brutis datur Apprehensio.

6 Pariter observandum est, aliud esse operationes, seu actiones Intellectus, aliud opera, seu artefacta Intellectus. Intellectus enim noster est veluti quidam Artifex, cuius actiones, sunt Apprehensio, Judicium, & Discursus; cuius opera sunt Definitio, Divisio, Propositio, & Argumentatio. Medijs Apprehensionibus facit, terminos, & Definitiones; medio Judicio, assumens terminos ab Apprehensione oblatos, constituit Propositiones, & Divisiones; & Discursu denique, assumens Propositiones per Judicium fabricatas, constituit Argumentationes.

7 — Hæc Doctrina, quæ aliquibus Adversarijs, referentibus nobis, nova visa est, fundatur in Ang. Do-

(1) store, (2) afferente: *Intellectus conceptionem rei in se D. Thom. format, ut rem intellectam cognoscat:* Differt autem ab I. Cont. actione intellectus, quia predicta conceptio consideratur, ut terminus actionis, & quasi quoddam per ipsum Gent. cap. constitutum; intellectus enim sua actione format rei Definitionem, vel etiam Propositionem. Inquirimus jam, 53.n.6. quot sint nostri Intellectus Operationes?

(3)

*Nostra Conclusio.**D. Thom.**1. post. lect**5. Item.**1. part. q.**35. art. 5.**in Corp.*

8

DI CO: Operationes Intellectus humani sunt tres, Apprehensio, Judicium, & Discursus, nec plures, nec pauciores. Ita D. Thomas, (3) afferens: Sunt autem rationis tres actus, quorum duo primi sunt rationis, secundum, quod est Intellectus; una enim actio Intel-

Intellectus est intelligentia indivisibilium, secundum quod concipit, quid sit res; secunda vero operatio. Intellectus est composicio, seu divisio, in qua est verum, vel falsum. Tertius vero actus rationis, secundum quod est proprium rationis, est discurrere: Ergo nostra Conclusio est D. Thomae. Hinc communiter dictum est: Intellectus, ut Intellectus, intelligit, & ut ratio, discurrit.

9 PROBATVR Conclusio ratione: Quoties Intellectus cognoscit, vel apprehendit, vel judicat, vel discurrit: Ergo tantum sunt tres mentis operationes. Probatur antecedens: Quoties Intellectus cognoscit, vel tantum attingit in confusso entitatem rei, & sic apprehendit; vel attingit clarè, affirmando, aut negando, & sic judicat; vel inferendo, & sic discurrit; sed non datur aliis cognoscendi modus, qui ad dictos facile non reducatur: Ergo quoties Intellectus cognoscit, apprehendit, judicat, vel discurrit. Confirmatur: Intellectus humanus non in instanti, sed paulatim, adquirit perfectam objecti cognitionem, ut diximus numero 1.: Ergo indiget tribus operationibus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

10 **A**RGVES 1. contra conclusionem: Intellectus est unica potentia: Ergo unica debet esse ejus operatio. Antecedens est certum. Probatur consequentia: Potentiae multiplicantur ad multiplicationem operationum: Ergo si Intellectus est unica potentia, & non multiplex; unica, & non multiplex, erit ejus operatio. Respondeo, distinguendo ultimum antecedens: Ad multiplicationem operationum subordinatarum, nego antecedens; non subordinatarum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Apprehensio subordinatur Judicio, & Judicium

Dis-

Discursu; ideo ad earum multiplicationem, non multiplicatur potentia intellectiva.

11 *In statibus*: Licit operationes Intellectus sint subordinatae, multiplicant potentiam, si est multiplex operatio: Ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: Volitio, & intellectio sunt operationes subordinatae; quia *Nihil volitum, quin præcognitum*; sed diversificant, seu multiplicant potentiam, Intellectum nempe, & voluntatem: Ergo pariter. Respondeo, concessis præmissis, negando consequentiam. Disparitas est: quia volitio, & intellectio solum materialiter subordinantur, ideo multiplicant potentiam: Operationes vero Intellectus subordinantur formaliter; ideo potentiam intellectivam non multiplicant.

12 *Repliſtabis*: Volitio, & intellectio solum materialiter, & non formaliter subordinantur: Ergo pariter Intellectus operationes. Tenet consequentia; quia sicut Discursus presupponit Judicium, & Judicium Apprehensionem; ita volitio intellectuonem. Respondeo, negando consequentiam; quia illæ operationes subordinantur solum materialiter, quarum una sequitur ad aliam, respiciendo diversos fines; illæ vero formaliter, qua eundem finem respiciunt: Cum autem volitio, & intellectio diversos respiciant fines, quia prima bonum respicit, secunda verum; operationes vero Intellectus eundem, nempe verum; ideo volitio, & intellectio solum materialiter, & operationes Intellectus formaliter subordinantur.

13 *Repliſtabis adhuc*: Operationes Intellectus respiciunt diversos fines: Ergo non subordinantur formaliter. Prob. antec.: Apprehensio respicit verum apprehensum, Judicium verum judicatum, & Discursus verum illatum: Ergo respiciunt diversos fines. Respondeo, distinguendo primum aut.; diversos fines partiu-

ciculares, concedo antecedens; universales, seu communes, nego antecedens. Diversitas finium particulatum non sufficit ad diversificandas potentias; licet diversificet earum actus, quia ratio formalis potentiae est magis universalis, quam ratio formalis actus: Ideo, licet ratio veri apprehensi, judicati, & illati sint fines particulares operationum; finis potentiae intellectivae est verum ut sic. Sicut, licet bonum praesens, & absens sint rationes gaudii, & desiderii; ratio voluntatis est bonum ut sic.

14. ARGVES 2. Intellectus acquirit in instanti perfectam objecti cognitionem: Ergo non indiget tribus operationibus. Prob. antec.: Intellectus in instanti intelligit objectum: Ergo in instanti acquirit, &c. Responeo, negando antecedens; ad prob. dist. ant.: In instanti intelligit objectum confusè, & imperfectè, concedo ant.; clarè, & perfectè, nego ant. & conseq. Intellectus enim humanus in instanti intelligit objectum, confusè tamen, & merè percipiendo illud; ut verò perfectè illud cognoscat, debet prædicata essentia clarè cognoscere, & ex his proprietates inferre; ad quod tribus indiget operationibus.

15. Dices: Intellectus humanus in instanti intelligit objectum clarè, & perfectè: Ergo nulla est solutio. Prob. ant.: Intellectus Angelicus intelligit objectum in instanti clarè, & perfectè: Ergo pariter humanus; uterque enim est spiritualis. Resp., negando ultimam consequentiam; quia Intellectus Angelicus non est ita limitatus, neque in materia immersus, sicut humanus; ideo Intellectus Angelicus in instanti intelligit objectum clarè, & perfectè; humanus verò paulatim, & successivè.

16. Instabis: Potentia generativa Leonis est limitata, & in materia immersa; sed in instanti producit totam

totam leonis entitatem , cum generatio sit actio instantanea : Ergo licet Intellectus humanus sit in materia immersus , in instanti cognoscit perfectè objec- tum. *Resp.* nego consequentiam. Disparitas est : quia potentia generativa leonis , cum sit physica , non est præcissiva in producendo , sed simul omnia rei prædicata producit: Intellectus verò est præcissivus in co- gnoscendo ; ideoque unum prædicatum post aliud cognoscit. *Nota :* Divinam Omnipotentiam non esse præcissivam , et si materiale peccati producat , im- producto formalis ; quia materiale , & formale non identificantur.

17 *ARGVES 3.* Discursus non distinguitur à Judi- cio: Ergo non sunt tres mentis operationes. Prob. anteced. : Discursus includit Judicium: Ergo ab illo non distinguitur. *Respondeo*, dist. ultimum antec. : Includit Judicium formaliter , nego antec. ; præsuppositivè , & de materiali , concedo anteced. , & nego consequen- tiā. Cum Discursus sit actus , ex una aliam inferens propositionem , præcissè supponit Iudicium , per quod facte færint illæ propositiones ; actus autem forma- lis Discursus non est actus formalis Iudicij. Eadem Doctrina applicanda est Judicio respectu Apprehen- sionis.

18 *Sed dices :* Discursus formaliter est Judicium: Ergo nulla est solutio. Prob. antecedens: Discursus est formaliter compositivus ; sed compositio pertinet ad Judicium : Ergo. *Respondeo:* Distinguo majorem : est formaliter compositivus illativè , seu inferendo , con- cedo majorem ; enuntiativè , seu enuntiando , nego majorem. Et distinguo minorem: Compositio enuntia- tiva , concedo minorem ; illativa , nego minorem , & consequentiam. Tam Discursus , quam Judicium sunt compositiva; Discursus autem inferendo , & Judicium
enun-

enuntiando , sicutque sunt operationes distinctæ.

19 *In statibus* : Compositio illativa pertinet ad Judicium : Ergò nulla est solutio. Prob. antecedens: Construere propositionem hypotheticam ; v. gr, *Sol lucet: Ergò dies est*, pertinet ad Judicium; sed in hac propositione datur compositio illativa : Ergò. *Respondeo*, distinguo majorem : Construere propositionem hypotheticam , ut enuntiativam , concedo majorem ; ut illativam , nego majorem , & concessa minori , nego consequentiam. Propositio hypothetica rationalis , sub formalitate enuntiationis , fit per Judicium ; sub formalitate verò illationis , per Discursum. (4)

20 In fine advertendum : Actum interrogativum, v. gr. *Quis est hic?* Et actum dubitativum; v. gr. *Vtrum Cœli sint undecim* , pertinere ad Apprehensionem; quia tales actus, licet videantur affirmativi, re tamen vera sunt actus mērē apprehensivi existentiae alicujus in hoc loco , & numeri undecim Cœlorum ; cum hæc menti occurrant cum suspensione affirmationis , vel negationis. Pariter notandum; posse per Apprehensionem attingi simplicem extremorum adunationem in confusso ; non tamen identitatem, aut distinctionem, quia hoc proprium est Judicii.

(4)

*Pro aliis
solv. V.D.
Thom. 2.
2.q. 83.
art. 1. Et
I. 2.q. 17
art. 1. ad
I. 2*





LIBER I. DE PERTINENTIBUS AD PRIMAM

INTELLECTVS OPERATIONEM.

CVM OPERIS PARTITIO CLARITATIS
luce Lectoris invitet animum; Dialecticam in
tres libros offerimus divissam , juxta numerum
trium mentis operationum; in quorum pri-
mo de his agimus , quæ ad primam
Operationem attinent.

QUÆSTIO I. DE SIGNO.

ARTICVLVS I.

Quid sit Signum?

SIgnūm ita dictū existimatur, quod in
aliquo significando versetur: est au-
tem *significare* rem aliquam præsen-
tem facere potentia cognoscitivæ, cu-
jus nomine, non *Intellectus* solum indicatur, sed po-
tentia

tentia pariter sensitiva: Brutis enim, quibus abest Intellectus, insunt plurima signa, ut dum equis sonitus tubæ est signum præliandi. Contingit autem, si-
gnum objici potentiae cognoscitivæ, ut significatum repræsentet; ideo duplēm habet respectum: alte-
rum ad potentiam, ratione cuius dicitur *objectum*; al-
terum ad significatum, ratione cuius appellatur Si-
gnum.

2. Est itaque objectum res illa, quæ objicitur, seu
fit quodammodo præsens potentiae; v. gr. coloratum,
quod visivæ potentiae objicitur, est illius objectum.
Tripliciter dici solet objectum: *Motivum tantum*; *ter-
minativum tantum*; *motivum, & terminativum simul*.
Primum est, quod tantum movet potentiam ad co-
gnoscendum, cognitionem tamen non terminat; v. gr.
imago Regis; hæc enim movet ad cognoscendum,
non se, sed Regem. Secundum est, quod tantum co-
gnitionem terminat, sed non movet, v. gr. D. Thomas
cognitus per suam imaginem. Tertium denique est,
quod simul movet, simulque terminat cognitionem;
v. gr. Rex dum cognoscitur in seipso, nulla media
imagine. Hæc tripartitio objecti potius est triplicis
muneris objecti explicatio quam ejus rigorosa divi-
sio. (1)

3. Sunt, qui definiant signum: *Ens ordinatum ad
manifestandum*. (2) Sed irrectitudo hujuscce definitio-
nis, & cujuslibet, particulam *ens* pro genere impor-
tantis, constat: *Tum*, quia tale genus est remotissi-
mum, utpote ad omnia se extendens; nullumque est
genus excogitabile, eo non propinquius. Deinde: In-
ter *ens*, & signum mediant hæc genera *Objectum*, *Me-
dium*: Ergo *ens* est genus remotum. Probo antecedens:
Prædicta genera ad plura se extendunt, quam signum,
quia dantur objecta, & media, quæ non sunt signa; &

(1)

V. Colleg.
Rip. hic
dub. 2, n.

3.3.

(2)

Multi Je-
suitæ in
manuscrip-

ad.

ad pauciora, quām *ens*; quia ratio entis præcissivē ab aliā consideratione, est *ens*, & non est objectum; Deus etiam est *ens*, at non est Medium, sed omnium finis: Ergo inter *ens*, & signum, &c.

Nostra Conclusio.

4 *DICIMVS* ergo, sic rectè signum propriè tale definiiri: *Medium subordinatè manifestativum*. Ponitur *Medium* pro genere, per quod convenit signum cum aliis mediis, quæ signa non sunt; merita enim Christi Domini medium sunt ad nostram salutem, & non sunt nostræ salutis signum. Reliquæ particulæ sunt differentia, quia per eas differt signum ab omni eo, quod non est signum. Addunt aliqui particulam *alterius*, quæ nobis superflua videtur; implicat enim, medium subordinatè manifestare se ipsum: Ergo jam intelligitur, esse alterius manifestativum. Prob. antecedens: Subordinatè manifestare est manifestare cum subordinatione ad rem manifestatam; sed nihil est sibi met ipsi subordinatum, ut constabit articulo sequenti: Ergo, &c.

5 Ponitur in definitione *subordinatè manifestativum*; quia ad signum propriè tale non satis est quomodocumque manifestare, sed requiritur manifestare cum subordinatione ad significatum. Pro cuius intelligentia, notandum est, medium dupliciter posse in alterius ducere cognitionem: *connexivè*, vel *substitutivè*. Illud dicit *connexivè* in alterius cognitionem, quod cum altero connexum est, sicutque omnis effectus dicit in cognitionem causæ, & quælibet causa in cognitionem effectus: id autem non sufficit ad rationem signi; alias, & Omnipotentia esset signum possibilium, & *unum correlativum* alterius *correlativi*.

Illud

Illiad ducit substitutivè , quod alteri est subordinatum ex primaria statuentis institutione , vicesque illius in cognoscendo , substituti ad instar , gerit; idque requiritur ad rationem signi.

6 — *Ex quibus inferre licet, omnia media , alia à se repræsentantia præcissè ratione connexionis, absque subordinatione , propriè signa non esse , sed impro priè solùm , & abusivè , quia non sunt ex primaria intentione , ut repræsentent , instituta : Sicut vox ista Leo non est propriè signum Christi Domini , licet sit propriè signum leonis ; quia non illum, sed istum ex primaria intentione significat. Quapropter , nec fumus est propriè signum ignis , nec ignis est propriè signum caloris; idemque intellige de animalis vestigio super pulverem impresso.*

7 — *Vt ultima definitionis particula plenè intelligatur , observandum est , tria hæc facere cognoscere , re presentare , & significare valde inter se differre: Nam facere cognoscere quadrupliciter dicitur , effectivè videlicet , objectivè , formaliter , & instrumentaliter. Facere cognoscere effectivè est quomodo cumque influe re in cognitionem , sive esiendo , sive movendo , &c. Facere cognoscere objectivè est , rem per se ipsam objici potentia , ut paries præ oculis positus. Facere cognoscere formaliter est , notitiam intentionalem reddere præsens objectum potentia , ipsam informando , ut patet in specie impressa. Facere cognoscere instru mentaliter est , aliquid media sui cognitione reddere præsens aliquid à se distinctum , ut patet in imagine D. Thomæ.*

8 — *Repræsentare verò dicitur tripliciter , objectivè , formaliter , & instrumentaliter ; ideoque dicitur de omni eo , quo aliquid potentia fit præsens. Significare denique tantum dicitur dupliciter , nempe , formaliter -*

maliter, & instrumentaliter; diciturque de eo, quod aliquid distinctum sit præsens potentia. Nunc jam animadvertisendum, signum formaliter, ut tale, debere esse suo significato imperfectius. Ratio est: quia signum est subordinatum significato, estque medium, ad istud; atqui subordinatum, quatenus tale, est imperfectius eo, cui subordinatur; & medium, ut tale, est ignobilis sine: Ergo. Diximus formaliter, ut tales quia materialiter sumptum in ratione entitatis, potest signum esse perfectius, ut si ramus aureus ponatur ad manifestandum vinum.

- (3) 9 — *Sed oppones contra hanc Doctrinam: (3) Hæc nomina peccatum, nihil, hirco-cervus longè præcellunt suis significatis: Ergo signum formaliter, ut tale, non semper est suo significato imperfectius. Respondeo, distingo antecedens: Hæc nomina materialiter, & entitativè sumpta longè præcellunt suis significatis, concedo antecedens; formaliter, ut subordinata, nego antecedens, & consequentiam. Dices: Illa nomina formaliter sumpta adæquatè dicunt entitatem positivam, vel realem, vel rationis; sed significatum per has voces peccatum, nihil est ignobilis ente rationis: Ergo illa signa formaliter sunt perfectiora suis significatis. Respondeo, distingo minorem: Est ignobilis materialiter sumptum, concedo minorem; formaliter acceptum, nego minorem, & consequentiam.*
- 10 — *Sicut enim signum formaliter, ut tale, præscindit ab eo, quod sit ramus, aut panis, &c. solumque importat esse medium cum subordinatione ad significatum; ita significatum formaliter, ut tale, præscindit ab entitate positiva, vel negativa, bona, vel mala, solumque dicit esse id, cui signum subordinatur causâ manifestationis: Sicut ergo ramus aureus perfectior esset vino, sumptus entitativè, & materialiter;*

liter; imperfectior verò sumptus in ratione medii subordinati: ita malitia peccati, & carentia rei imperfectiores sunt vocibus illis, si entitativè, & materialiter accipientur; perfectiores tamen, si formaliter in ratione ejus, cui voces illæ subordinantur, quo solum modo sunt significata formaliter talia, considerentur.

11 - Colligitur ex dictis, Signum debere esse notius suo significato, non quidem secundum se, & absolute, sed quoad nos, & respectivè ad cognoscibilitatem significati per signum. Ratio primi est: quia Signum comparatur ad significatum, tanquam manifestativum ad manifestabile; quod autem alterum manifestat, altero notius debet esse. Ratio secundi est: quia lux notior est absolute, & secundum se, quam hæc vox lux; per quam significatur. Ex quo ratio tertii derivatur; nam licet lux, v. gr., secundum se notior sit voce ista lux; ut tamen est cognoscibilis per vocem illam, est magis occulta, utpote per vocem illam manifestabilis; ideo Signum solum, debet esse notius quoad nos, & respectivè ad cognoscibilitatem significati per Signum.

12 - Sunt plurimi Thomistæ, (4) qui specificam requirant distinctionem inter Signum, & significatum. Eorum ratio est: quia Signum ordinatur ad significatum, tanquam medium ad finem, mensurabile ad mensuram, & specificabile ad specificativum; inter quæ extrema essentialis, & specifica dari debet distinctio. Hec Doctrina, ut nobis placeat, intelligi debet de Signo, & significato formaliter sumptis; non verò materialiter acceptis. Et ratio est: quia Signum non materialiter, & in esse entis ordinatur ad significatum, ut medium ad finem, mensurabile ad mensuram, vel ut specificabile ad specificativum; ut patet in ramo

(4)
Colleg.
Rip. hic
dub. 1,
Conf. I.,
9.

respectu vini; sed solum formaliter in esse mediis subordinati. Vnde possunt Signum, & significatum esse ejusdem speciei materialis, ut patet in pane, supra Juanam manifestante panes occultos.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

13 **A**RGVES i. contra Signi definitionem: Tra-

dita Signi definitio non convenit omni Signo: Ergo non est recta. Prob. antecedens: Vox homo in libro clausa est signum; sed illi non convenit talis definitio: Ergo non convenit omni Signo. Prob. min.: illa vox in libro occlusa non manifestat: Ergo illi non convenit talis definitio. Respon. dist. ult. ant.; non manifestat actualiter, conc. ant.; non manifestat potentialiter proxime, neg. ant. & conseq.

14 Licet vox in libro clausa actu non manifestet, habet potentiam proximam ad manifestandum, quod sufficit ad rationem signi; quia verba in definitione posita non denotant actum, sed aptitudinem, ut fert commune proloquium. Dices: Si potentia ad manifestandum sufficeret ad rationem signi, voces non significativaæ essent signum; sed hoc est falsum: Ergo & solutio nulla. Resp., voces non significativaæ solam potentiam remotam habere, quæ non sufficit; vocem vero clausam habere potentiam proximam, quæ sufficiens est ad rationem signi.

15 Instabis: Non sufficit potentia proxima ad manifestandum ad rationem signi: Ergo nulla est solutio. Pr. b. ant.: Vox, quæ actu non manifestat, actu non est signum: Ergo non sufficit, &c. Prob. ant.: vox actu non manifestans, non habet actu formam signi; Ergo vox, quæ actu non manifestat, actu non est signum. Prob. ant.: Vox, actu non manifestans, actu ab in-

intellectu non cognoscitur, ut patet; sed si actu non cognoscitur, non habet actu formam signi: Ergò. Min. patet: quia forma Signi ad placitum, qualis est vox, cum sit forma rationis, à solo intellectu efficitur, dum Signum cognoscitur.

16. Resp., neg. primum ant. : ad prob. neg. ant. : ad hujus prob., dist. consequens: actu non est signum, formaliter, conc. conseq. ; fundamentaliter, nego conseq. Quando itaque Signum non cognoscitur, non datur ordo rationis ad significatum, quo Signum formaliter constituitur; datur autem fundamentum, ut per intellectus considerationem ordo ille fingatur; sicque datur Signum fundamentaliter: & hoc sufficit, ut actu dicatur Signum absolute; quia in his rebus, quarum denominatio est rationis, absoluta denominatio sumitur à fundamento: Sicut Deus absolute ex se dicitur Dominus, licet ex se solum habeat fundamentum relationis dominii, per quam formaliter Dominus constituitur.

17. Replic. : Licet potentia proxima ad significandum sufficiat, ut vox denominetur fundamentaliter signum, non sufficit, ut absolute denominetur signum: Ergò nulla est solutio. Prob. ant. : potentia proxima, ut vox subjiciatur, vel prædicetur, non sufficit, ut actu sit subjectum, vel prædicatum: Ergo pariter. Respon. neg. conseq. Disparitas est: Quia esse subjectum, vel prædicatum est denominatio passiva, ab exercitio subjiciendi, vel prædicandi desumpta; ideo requiritur, ut actu subjiciatur, vel prædicetur: At vero denominatio Signi est denominatio activa, non quidem manifestantis, sed manifestativi, seu potentis manifestare; sicque sufficit potentia proxima ad manifestandum.

18. ARGVES 2. : Nostra definitio Signi non expli-

cat ordinem Signi ad potentiam cognoscitivam. Ergò est diminuta, & irrecta. Ant. pater ex definitione. Conseq. prob. : Sicut Signum dicit ordinem ad significatum; ita dicit ordinem ad potentiam cognoscitivam; sed, si ordo ad significatum in definitione non exprimeretur, esset diminuta definitio : Ergò, si ordo ad potentiam non exprimitur, erit diminuta pariter definitio. *Resp.* Nego ultimam conseq. Disparitas est: quia ordo ad significatum convenit Signo in ratione signi; ordo vero ad potentiam cognoscitivam convenit Signo, non in ratione signi, sed in ratione objecti: ideo primus, non secundus, explicari debet in Signi definitione.

(5)
Coll. Rip.
lib. I. dub
3. Confer.
2. num. 2.

19 *Sed dices:* (5) Ordo ad potentiam cognoscitivam convenit Signo in ratione signi: Ergò nulla est solutio. Prob. ant. : Signum in ratione signi dicit ordinem ad significatum, ut solutio fatetur, sed significatum est connexum cum potentia: Ergò in ratione signi dicit ordinem ad potentiam. Min. pater; quia significatum, ut tale, est cognitum à potentia. Et conseq. liquet: quia dicens ordinem ad unum cum altero connexum, dicit ordinem ad alterum. *Resp.*, dist. min.: significatum in ratione objecti, conc. min.; in ratione significati, neg. min. & conseq. Significatum, ut tale, constituitur per relationem ad Signum; licet, ut objectum, per ordinem ad potentiam constituatur: sicut suo modo de Signo dictum est, *sup. n. 16.*

20 *In statibus:* Significatum in ratione significati dicit ordinem ad potentiam: Ergò est cum ea connexum. Prob. ant. : significatum in ratione significati est correllativum Signi in ratione signi; sed Signum in ratione signi, dicit ordinem ad potentiam: Ergò & significatum. Prob. min. : Signum in ratione signi est propter potentiam, ducendam in cognitionem signifi-

ficau;

ficiā : Ergò dicit ordinem ad illam. Conseq. infertur, quia enim potentia est propter objectum, dicit ordinem ad objectum.

21 *Respon.*, dist. ult. ant. : Est propter potentiam principaliter, & in recto, nego ant. ; in obliquo, & minus principaliter, conc. ant. ; & neg. conseq. Id, propter quod est Signum, ut tale, non est potentia, ut cognitura significatum; sed est significatum, ut cognoscendum per potentiam: ideo principaliter, & in recto est propter significatum; & licet secundariō sit propter potentiam, non est gratiā potentiae, sed gratiā significati; atque adeo solum ad significatum debet importare respectum. Ex quibus jam infertur, perperam addi ab aliquibus Thomistis (6) Signi definitio-
ni particula potentiae cognoscitive.

22 *ARGVES* 3. : Vox nihil est signum; sed non est subordinatē manifestativa: Ergò irrecte à nobis Signum est definitum. Prob. min. : Vox nihil non est significativa: Ergò neque manifestativa. Prob. ant. : Vox nihil nihil significat: Ergò non est significativa. *Resp.*, dist. ultim. ant. : Nihil significat ex parte rei significatae, conc. antec.; ex parte modi significandi, nego ant.; & conseq. Licet res significata per illam vocem sit nihil, illam tamen significat, ac si esset aliquid; quia eo modo, quo vox Petrus Petrum significat, vox nihil significat rei carentiam: per quod differt à voce non significativa, quæ, etiam ex parte modi, nihil significat.

(6)

*Coll. Rip.
hic, dub. 1.
Confer. 1.
num. 1.*

*Palanc.
hic, quest.
1. num. 1.
Bonav. c.
1. num. 2.
Irrib. 6.
alit.*

ARTICVLVS II.

Vtrum detur Signum sui ipsius?

Premittendum est, pro clariori hujusce du-
bi resolutione, Signum esse complexum,
seu

seu accidentale concretum , constans entitate , & ordinatione , quarum prima est signi materia , secunda est ejus forma : hec autem in signis naturalibus est ordinatio realis ; in signis vero ad placitum est ordo rationis , ab intellectu confictus . Id commune est apud Thomistas . Jesuitæ autem nobiscum consentiunt , stantientes , Signum esse complexum ; at in stabilienda ejus formâ , per aliam viam diverti solent . Docent enim , (1) formam Signi naturalis esse ordinem transcendentalē ad significatum , seu cum eo intrinsecam connexionem ; Signi vero ad placitum extrinsecam institutionem , ex hominum beneplacito . (2)

(1)
Loffada
hic, dub. I.
cap. 3. n.
10.

(2)
Idem ubi
sup. cap. 4.
num. 8.

(3)
D. August
lib. I. de
prin. Dia-
lect. cap. 5

(4)
D. Thom.
quest. 6.
de verit.
artic. 4.
ad 4.

Nostra Conclusio.

2 DICO: Non datur Signum sui ipsius . Ita D. Augustinus : (3) *Signum est, quod præter se, aliquid animo repræsentat* ; sed quod animo repræsentat , est significatum : Ergo significatum est aliquid præter Signum : atque ideo non datur Signum sui ipsius . Idem docet Ang. Doct. (4) afferens : *Signum, propriè loquendo, non potest dici aliquid, nisi ex quo deveniatur in cognitionem alterius, quæsi discurrendo* ; atqui per Signum devenitur in cognitionem significati : Ergo Signum , propriè loquendo , debet distingui à significato .

3 PROBATVR conclusio ratione : Signum realiter distinguitur à significato : Ergo non datur Signum sui ipsius . Prob. ant: : Signum est complexum ex entitate , & ordinatione , vel saltem ex entitate , & extrinsecâ impositione ; sed significatum non est hujusmodi complexum : Ergo Signum realiter distinguitur à significato . Major est certa , adhuc apud Contrarios . Prob. min. : Significatum est terminus ordinationis , quæ Signum constituitur ; sed terminus alicujus ordinis realiter differt à subiecto , cui talis inest ordo : Ergo signi-

significatum non est complexum ex entitate, & ordinatione; imò à tali complexo realiter differt.

4 Major patet: quia terminus ordinationis est illud, ad quod res ordinatur; Signum autem ordinatur ad significatum. Min. prob.: Talis ordo, juxta Contrarios, vel est prædicamentalis realis, vel realis transcendentalis, cum non admittant, esse ordinem rationis; sed quocumque modo terminus differt à subjecto talis ordinis: Ergò terminus alicujus, &c. Min. pater; quia si ordo est prædicamentalis, iste petit realem distinctionem inter subjectum, & terminum, ut est commune apud omnes in Metaphysicā; & patet in relatione patris ad filium, unius albi ad alterum album, &c. Si autem est transcendentalis, debet esse inter causam, & effectum, specificabile, & specificativum, &c. inter quæ non potest non dari realis distinctio; ut patet inter scientiam, & scibile; potentiam, & objectum.

5 - Confirm.: Signum ad placitum est complexum ex entitate, & extrinseca impositione ad manifestandum significatum; sed significatum sub nulla consideratione importat extrinsecam impositionem ad manifestandum se ipsum: Ergò Signum ad placitum realiter differt à significato. Prob. min.: Frustranea esset impositio ad manifestandum, quod præsupponitur manifestum, & omnibus notum ante illius impositionis cognitionem, ut clarum est; sed cognitio impositionis significati ad significandum seipsum, jam præsupponeret significatum perfectè manifestum: Ergò significatum non importat, &c. Prob. min.: priùs est, cognosci entitatem in seipsā, quām cognosci, esse impositam ad significandum: Ergò cognitio impositionis, &c. Ant. patet: quia prima cognitio est primæ intentionis, & secunda secundæ.

6 - Vrgetur. Impositio Signi ad significandum sit ab ho-

hominum beneplacito ex fine significati cognoscendi; sed, si Signum simul esset significatum, talis impositio non fieret gratiæ significati cognoscendi: Ergò Signum differt realiter à significato. Prob. min.: Si signum esset significatum, repugnaret cognosci Signum quocumque modo, & subqualibet formalitate, non cognito significato, ut tali; sicut repugnat, cognosci animal, non cognito rationali, juxta Adversarios; sed si cognito Signo, cognosceretur significatum, illa impositio non fieret gratiæ significati cognoscendi: Ergò. Prob. min.: Si cognitæ signo, cognosceretur significatum, significatum cognosceretur ante impositionis cognitionem, cum signum prius in se cognoscatur, quam, ut illâ induitum impositione; sed, si cognoscatur ante illam impositionem, hæc non fieret gratiæ significati cognoscendi, ut evidens est: Ergò.

7 PROBATVR 2. Cœclusio: Signum dicit essentialiter subordinationem ad significatum, ut patet ex ejus definitione; sed implicat, idem esse sibimet ipsi subordinatum: Ergò implicat Signum sui ipsius. Prob. min.: Implicat, idem esse sibimet ipsi subjectum: Ergò à pari. Conf.: Implicat, idem esse notum, & ignotum; vel perfectè notum, & imperfectè notum respectu ejusdem cognitionis juxta Contrarios; sed de ratione Signi est esse notum perfectè, & de ratione significati est, esse ignotum, vel saltem imperfectè notum per cognitionem, quâ Signum primò cognoscitur perfectè; Ergò implicat, esse Signum, & significatum.

SOLVVNTVR ARGUMENTA CONTRARIA.

(5)
D. August
lib. I. de
Mag. cap.
4.

8 ARGVES I. D. August. ait: (5) Sunt signa, quæ inter alia, quæ significant, & se ipsa si-
gnificant: Ergò datur signum sui ipsius. Resp., expli-
cando

Etando S. Doctorem: Se ipsa significant impropriè, & objectivè, conc. ant. : propriè, & instrumentaliter, neg. ant., & conseq. Significare, propriè loquendo, solum stat dupliciter, formaliter scilicet, & instrumentaliter, ut diximus artic. antecedenti, num. 8. cum autem repugnet se ipsum manifestare formaliter, vel instrumentaliter, ut ex ibi dictis num. 7. satis constat; ideo solum restat, ut D. August. de significatione impropria, intelligamus; quatenus omne signum prius se repræsentat objectivè potentia, ut propriè repræsentet significatum.

9 *Instabis:* Datur res se ipsam significans propriè, & instrumentaliter: Ergò corruit dicta Doctrina. Prob. antec. : Panis appensus ad januam significat propriè, & instrumentaliter panes vendibiles ; sed ipse panis appensus est vendibilis: Ergò est res se ipsam significans. *Resp. 1.:* Nego ant. : ad prob., nego maj. : Panis enim appensus solum significat locum venditionis, aut voluntatem vendentis, quæ distinctæ sunt ab ipso pane appenso. *Dices:* Panis ille significat, quod à viatoribus, & aliis principaliter inquiritur ; sed panis principaliter inquiritur, & non locus, nec vendentis voluntas : Ergò panes vendibiles panis ille significat.

10 Ad hanc impugnationem *resp.*, dist. maj.: Quod principaliter in executione inquiritur, conc. maj.; quod principaliter in intentione, neg. maj. ; & è contrà distincta min., nego conseq. Licet intentio viatoris principaliter tendat ad panem emendum ; in executione autem primò querit domum venditionis: Cum autem signum non imponatur, ut à viatoribus intendatur panem emere, sed, ut de facto ematur; ideo signum, non panes, sed venditionis domum significat. Idem intellige de ramo, qui juxta hanc sententiam, non vinum, sed dominum venditionis significat.

11 *Resp.* 2. ad primam instantiam argumenti, dist. maj. : Significat panes vendibiles occultos, conc. maj.; manifestos, neg. maj.; & dist. min.: ipse est panis vēdibilis occultus, neg. min.; manifestus, conc. min., & neg. conseq. Signum imponitur ad manifestandum, quod indiget manifestatione; solum autem panis occultus manifestationis eget, non verò manifestus. *Dices:* Viso pane appenso, viatores cognoscunt, ut vendibiles, panes occultos, & ipsum appensum: Ergò panis appensus utrosque repräsentat. *Resp.*, dist. consequens: utrosque eodem modo, neg. conseq.; diverso modo; occultos propriè, & instrumentaliter, appensum verò impropriè, & objectivè, conc. conseq. Ideo est signum panis occulti, licet ipse intellectui objiciatur. Si autem non detur panis occultus, non datur signum, utpote non necessarium.

12 *ARGVES* 2. : Vox *ens* significat omnia entia; sed ipsa est ens: Ergò significat se ipsam. Idem fit argumentum de his vocibus: *Signum, nomen, verbum* *Respond.* dist. maj. : Omnia entia in communi, conc. maj.; in particulari, nego maj.; & è contrà dist. min., neg. conseq. Vox *ens* est quoddam ens in particulari, significat verò rationem communem entis. *Sed dices:* Ens in communi, & ens in particulari non distinguuntur realiter, cum sint gradus superior, & inferior: Ergò si vox *ens* in particulari est signum, & ens in communi est significatum, Signum, & significatum non distinguuntur. *Conf.:* Ens in particulari includitur in ente in communi: Ergò si vox *ens*, significat *ens commune*, etiam se ipsam in particulari significat.

13 *Resp.* ad instantiam, dist. ant. : Ens in communi, & ens in particulari objective in intellectu sumptum, conc. ant.; & ens in particulari physicè, & realiter sumptum; neg. ant. Vox *ens* non est signum, nisi,

ut sensibilis, & physicè accepta, quomodo realiter negativè differt ab ente in communi. *Ad Conf.* : Respondeo, quod vox *ens* significat rationem communem pro explicito; non verò pro implicito, quo solum modo includit ens particulare. Sicut ramus significat explicitam rationem vini vendibilis, non verò ejus saporem.

14. ARGVES 3. : Sanguis Christi in Sacramento Altaris existens, est signum Sanguinis effusi in Cruce; sed est idem Sanguis juxta fidem: Ergò. *Conf. 1.* : Rex in Theatro potest agere sui personam, propria representans facinora: Ergò. *Conf. 2.* : Si Petrus nullam proferret locutionem præter istam: *Mea locutio*, hæc significaret Petri locutionem; sed non aliam, nisi se ipsum; cum aliam, supponamus, non dari: Ergò datur Signum sui ipsius. *Resp. ad Arg.* nego maj. Quia in Sacramento signum est species continentis Sanguinem, in quibus Sacramentum in recto consistit; signum enim est, quod frangitur; juxta illud D. Thomæ: (6) *Nulla rei fit scissura; signi tantum fit fractura.*

15. *Ad 1. Conf. resp.*, Regem in Theatro representare propria facinora, quæ ab ipso Rege realiter sunt distincta. *Vel dicatur*: Regem, ut representantem, significare seipsum, ut pugnantem in bello: Valde enim differt Rex, ut representans, à se ipso, ut pugnante. *Ad 2. Conf. resp.*, illam determinatam locutionem Petri significare locutionē Petri in communi, à qua realiter negativè differt: Sicut de ente in solutione *ad 2. Argum.* asseruimus. In fine advertè, posse dari scientiam, seu cognitionem sui ipsius: quia licet scientia ordinetur ad objectum; non tamen subordinatur, sicut Signum ad significatum,

(6)

D. Thom,
in Rith. de
SS. Sacra-
mento.

ARTICVLVS III.

Quotuplex sit Signum?

1 **S**ignum ex dupli capite dividi potest: Vel ratione habitudinis ad potentiam, quomo^do dicitur *objectum*: Vel ratione ordinis ad significatum, quo sensu appellatur *signum*. Dividitur ergo ratione ordinis ad significatum, in *naturale*, & *ad placitum*. Primum est, quod ex natura sua significat; v. gr. suspiria, quæ suapte natura sunt signa doloris. Secundum est, quod ex hominum beneplacito; ut *ramus*, *vīnum*, aut *domum* *venditionis* ex hominum institutione significans. Signum *ad placitum* subdividitur in *humanum*, & *Divinum*. Primum est, quod ex hominum voluntate significat, ut *ramus*. Secundum est, quod ex Divino beneplacito repræsentat, ut *Arcus Iris*.

2 Inter signum *naturale*, & *ad placitum* constituit Adversarii tertium membrum, nempè signum *ex consuetudine*. Incep^te *ramus*: quia signum ex consuetudine, vel reducitur ad *naturale*, vel reducitur ad signum *ad placitum*: Si enim consuetudo fundatur in aliquà natura, sicut fundatur in fidelissimâ canis natura, canem præcedere Dominum; erit signum *naturale*, ideoque præcursus canis naturaliter significat adventum Domini: Si autem consuetudo in hominum beneplacito fundatur, ut consuetudo ponendi mapas, vel ramum; reducitur ad Signum *ad placitum*.

3 Secundū: Ratione habitudinis ad potentiam cognoscitivam dividitur Signum in *Formale*, & *Instrumentale*. Signum *formale* est mentalis conceptus, aliud *objectum* repræsentans per eandem cognitio- nem,

nem, quà formale Signum cognoscitur; v. gr. species impressa, Petrum repræsentans. Signum instrumentale est, quod, præexistente sui cognitione, dicit in cognitionem significati. Quare: Signum instrumentale duas requirit cognitiones, alteram ad Signum, alteram terminatam ad significatum. Formale verò unicam petit cognitionem, quà intellectus Signum, & in eo significatum agnoscit. Propterea primum appellatur medium per quod: Secundum autem medium in quo.

4 Signum formale, prout connotat potentiam, appellatur *notitia*; & prout connotat objectum appellatur *conceptus*. Primo modo subdividitur in notitiam intuitivam, & abstractivam. Prima est cognitio rei præsentis. Secunda est cognitio rei absens: Quod, si res sit physicè absens, ut Adā, dicitur notitia positivè abstractiva; si verò sit intentionaliter absens, dicitur præcissivè abstractiva; ut quando naturam cognoscimus, à suis singularibus abstractam.

5 Conceptus autem subdividitur in ultimatum, & non ultimatum. Conceptus ultimus est conceptus formalis significati; v. gr. conceptus formalis D. Thomæ. Conceptus non ultimus est conceptus alicujus Signi; v. gr. conceptus imaginis. Deinde: Conceptus ultimus, alter est *positivus*; ille scilicet, qui alterum præcedentem supponit conceptum; ut conceptus, quo cognoscitur Rex per suam imaginem: Alter *negativus*, qui talem præcedentem conceptum non supponit; ut conceptus Regis in se ipso. Iterum subdividitur in *directum*, & *reflexum*. Directus est conceptus rei; ut conceptus Pauli: Reflexus est conceptus alterius conceptus; ut conceptus, quem intellectus format de conceptu Petri.

6 Signum autem instrumentale subdividitur i.

in *practicum*, & *speculativum*. Primum est, quod causat suum significatum; v. gr. *Sacmenta*, quæ causant *Gratiam*, quam significant: Secundum est, quod suum non causat significatum; v. gr. *ramus*. Secundò subdividitur in *manifestativum tantum*, & in *manifestativum*, & *suppositivum* simul. Primum est, quod suum significatum manifestat; at ejus loco nequit in propositione substitui; v. g. *sonitus tubæ*, *prælium* significant. Secundum est, quod potest in propositione loco ejus substitui, quod significant; v. gr. *vox homo*.

7 Tertio subdividitur in *rememorativum*, *demonstrativum*, & *prognosticum*. Primum est, quod rem præteritam significant: Secundum, quod significat rem præsentem: & tertium, quod significant rem futuram; v. gr. *Sacmentum Eucharistiae*, quod est *Signum rememorativum Passionis Christi Domini*; *demonstrativum Gratiae*, quam de præsenti causat; & *prognosticum futuræ Gloriæ*. In fine adverte, inter *Signum naturale*, & ad *placitum* hoc esse discrimen: quod *Signum naturale* idem apud omnes significant; neque valet à sua significacione deponi: *Signum vero ad placitum* non idem apud omnes significant; & valet à proprià significacione deponi.



QUÆS.

QUÆSTIO II. DE TERMINO IN COMMUNI.

ARTICVLVS I.

Quid sit Terminus?

Terminus, à *terminatione* nomen habens; pro cuiuslibet rei *extremo* vulgo solet accipi: nonnumquam pro vocibus, quibus in dissemando utimur, usurpari solet. Sed his, & aliis ejusdem acceptationibus derelictis; impræsentiarum sumuntur pro Termino Dialectico, prout scilicet est quid incompletum, per se connotans Dialecticum artefactum, vel ratione compositionis, vel resolutionis, iuxta sententiarum diversitatem. At vero non est commune omnibus, Terminus per compositionem definitibus, eum uno modo constituere, ut ex infrâ dicendis constabit.

Observandum est autem, duplex in re, quæ est Terminus, exercitium distingui: componendi alterum; alterum resolvendi. (1) Primum est, quo partes otii esse communicant: Secundum est, quo totum definit esse. A primo exercitio sumitur denominatio *Gilab. hic* partis; à secundo denominatio *Termini*. Resolutio est § 1. num. duplex, altera intrinseca, altera extrinseca. Prima est, 3. quæ totum intrinsecè finitur, & clauditur. Secunda est totius desvio. Illa dicitur *intrinseca*; quia, ea persisteret,

sistente, totum permanet. Dicitur hæc extrinsecas quia, èa posita, deficit totum.

4 Adhuc est duplex extrinseca resolutio, una physica, seu quasi physica; altera mentalis. Prima fit, partes disjungendo, & separando. Secunda autem fit, partes seorsim considerando. Itaque hæc propositio Petrus est homo, physicè resolvitur, si copula est auferatur; mentaliter vero, si illius partes seorsim considerentur; v. gr. Petrus est subjectum, est copula, & homo praedicatum. Primo itaque examinandum, an Terminus per compositionem, an per resolutionem sit definiendus?

Prima Conclusio:

4 DICIMVS i.: Terminum definiendum esse per compositionem, non per resolutionem. Hæc conclusio est communis, paucis exceptis; (2) & expressa D. Thomæ (3) afferentis: Terminum esse partem propositionis; sed proprium partis exercitium est compositionis.

Ergo Terminus non est per resolutionem definiendus. Prob. ratione: Quælibet res definiri dedit per illud, quod est primarium in ipsa, sed in dictione, quæ est Terminus, prius est componere, quam resolvere.

Ergo Terminus definiri debet per compositionem. Prob. min.: Resolutio ex suo formaliter conceptu supponit compositionem: Ergo in dictione, quæ est Terminus, prius est componere, quam resolvere. Ant. patet; quia resolutio (4) est, quæ totum definire.

(2)
Gilab. &
alii, quos
citiat hic,
§. I. num.
13.

(3)
D. Thom.
2. perbi.
lect. 12.

(4)
Gilab. ubi
suprad.

5 Respondent Contrarii Thomistæ; in dictione, quæ est terminus, sub formalitate partis prius dari compositionem, non vero sub formalitate termini; quia sub ista formalitate, primaria, & unica denominatio est resolutio, Contra: Lices Terminus à terminatio-

ne, seu resolutione denominationem habeat, debet in præsenti definiri sub formalitate partis; sed sub ista formalitate primariò dicit compositionem, ut facetur solutio: Ergò.

6 Prob. mai. : Terminus in præsenti definiri debet, prout conducit ad finem, & institutum Dialecticum; sed ad id conducit sub formalitate partis, neutram sub formalitate termini: Ergò debet sub partis formalitate definiri. Prob. min. : Terminus conducit ad finem, & institutum Dialecticum, prout conducit ad disputationem, veritatemque manifestandam; sed ad manifestandam veritatem, & ad disputationem conducit sub formalitate partis, & non sub termini formalitate: Ergò ad finem, & institutum Dialecticum solum conducit sub formalitate partis, neutram sub termini formalitate.

7 Major patet: quia, cum Dialectica sit Ars bene disputandi, præcipuus ejus scopus est Disputatio, ejusque finis, ostensio scilicet varitatis. Min., quoad primam partem, est ex se manifesta; quia pars ordinatur ad componendam enuntiationem, quæ est *oratio verum, vel falsum significans*. Prob. ipsa min. quoad secundam partem: Quod destruit artificium veri manifestativum, disputationisque materiam evertit, neque conducit ad disputationem, neque ad manifestandam veritatem: sed Terminus sub formalitate termini ita se habet: Ergo dictio, quæ est Terminus, non conducit sub formalitate termini, &c.

8 Prob. min. : Materia, quæ disputationis, & artificium veritatis manifestandæ est propositio; hæc enim est *oratio verum, vel falsum significans*, quæ fit argumentatio; sed Terminus sub formalitate termini destruit propositionem: Ergò. Prob. min. : Terminus sub formalitate termini resolvit, saltem mentaliter,

propositionem; sed per vos resolutio in communis (ut singulis in particulari suo modo adaptetur) est, quæ totum definit esse (5) ergo Terminus sub formalitate termini destruit propositionem.

(5)
Gilab. q.

1. §. 1. n.

3. Gilab.

1. §. 2. n.

30.

9 Ex quibus impugnatam relinquimus hanc Termini definitionem: *Dictio resolutiva orationis, ad hinc, quæst. Philosophiam rationalem pertinentis:* Quia Terminum definit per resolutionem. *Deinde:* Differentia hujus definitionis convenit aliis à Termino: Ergo hinc deficit definitio. *Prob. ant.:* Differentia hujus definitionis convenit dictiōnib⁹, physicè resolutivis; sed physica resolutio, juxta Adversarios, non est de ratione Termini, sed mentalis: Ergo. *Supposito* igitur, Terminum esse definiendum per compositionem; restat non levius examinanda difficultas: Vtrum per compositionem cuiuscumque artefacti Dialectici sit definiendus; an verò solūm per ordinem ad enuntionem.

Secunda Conclusio.

P. Loffa-
da, cap. 1.
num. 3.

(6)

D. Thom.
2. perbi-
er. cap. 1 2

(7)

D. Thom.
quæst. 4.
de verit.
art. 2. c.

(8)

Aristot. 1.
Prior. cap.
1.

10 *DICIMVS* 2.: Terminum Dialecticum esse definiendum per ordinem ad propositionem, seu enuntiationem componendam. Hæc conclusio est Thomistarum communis, quibus è Societate arridet P. Loffada; colligiturque ex D. Thomā, (6) afferente: *Terminum esse partem enuntiationis.* *Prob. ratione:* Quando quæstio versatur de usu vocis, plerisque Sapientum adhærendum est; quia, ut ait D. Thom. (7) *Nominibus utendum est, ut plures utuntur;* sed in præsenti quæstione, quæ de usu, & acceptione Termini procedit; communiter Sapientes Terminum coarctant ad rationem partis propositionis: Ergo Terminus est definendus per ordinem ad compositionem propositionis.

11—Min. patet. Arist. enim, (8) de Termino loquens, ait: *Terminum eum appello, in quem resolvitur prope*

propositio, ut prædicatum, & id, de quo prædicatur. D. Thomàs plurimis in locis (9) Terminum statuit per ordinem ad propositionem, ejusque materiam terminos esse, propugnat; (10) imò nullibi locorum apud hos, aliumvè hujus classis Authorem Terminum in ordine ad alia artefacta definitum rēperimus; neque ab Adversariis facile inventum iri, judicamus. Si quando verò Terminum explicant in ordine ad syllogismum, de Termino loquuntur syllogistico; is autem de materiali est pars enuntiationis.

12 PROBAT' VR 2. *Conclusio*: Terminus propriè talis constituendus est per esse partem propriè talem; sed solum partes propositionis, non verò definitionis sunt propriè tales: Ergò Terminus est definiendus per ordinem ad componendam propositionem. Prob. minor.: Pars propriè talis debet esse per se ordinata ad compositionem; sed id partibus solum convenit propositionis: Ergò. Prob. min: pars per se ordinata, est ordinata ad componendum totum perfectum; sed sola propositio, & non definitio, est totum perfectum: Ergò. Maj. patet; quia ordo partis est ad suam perfectionem; sicut quodlibet imperfectum ad perfectum ordinatur.

13 *Min. prob.*: Totum perfectum non debet ordinari ad aliud totum per se componendum; & aliundè ex partibus per se componentibus componi debet; sed definitio ordinatur ad propositionem, tanquam oratio imperfecta ad perfectam; propositio verò ad aliud non ordinatur per se, sed ad summum per accidens, ut videbimus: (11) Ergò. *Ex quibus nemo non videat*, hanc Termini definitionem: *Conceptus, inadequatè constituens modum sciendi*, & quamlibet aliam, in ordine ad modum sciendi, seu logicum artefactum *Terminum explicantem, irrectam esse*. Tum etiam,

(9)

D. Thom.
ubi sup. &
Opus. 48.
cap. 1. &
2. perbi-
er. lec. 1.
(10)
D. Thom.
2. Physic.
lect. 5.
ver. fin.

{ 11 }

In solutio-
ne, Arg.
3. n. 2. 3.

quia hæc definitio terminis vocalibus , & scriptis non convenit.

14 Sed impugnatur aliter ad hominem : Juxta Authores dictæ definitionis adverbia , & casus obliqui sunt propriè termini ; sed eis non convenit sua ipsorum definitio : Ergò est irrecta. Prob. min. : Adverbia , & casus obliqui non constituunt inadæquatè modum sciendi : Ergò. Prob. ant. : Illud constituit inadæquatè modum sciendi , quo deficiente , non manet modus sciendi, adæquatè constitutus; sed, deficien- tibus adverbii, casibusque obliquis , manet modus sciendi adæquatè constitutus: Ergò. Min. patet in hac propositione, quæ juxta ipsos est modus sciendi: *Petrus est valde ignarus Logicæ; cui si demas valde, & Logica integer manet sciendi modus.*

Tertia Conclusio.

15 *DICIMVS* 3.: Sic rectè Terminum definiri: *Pars dialectica simplicis propositionis constitutiva.* Exponitur definitio: *Pars dialectica* est genus, per quod convenit *Terminus cum partibus definitionis*, quæ termini non sunt. Ponitur *dialectica*: *Tum*; quia pars solum esset genus remotum; proximiū enim esset *Dicitio*: *Tum etiam*; quia esset ratio analoga ad partes physicas, metaphysicas, & dialecticas. Licet autem videatur terminus complexus, solum est quoad voces, non quoad rem. Reliquæ particulae sunt differentia. Dicimus *constitutiva*, & non addimus *per se*; quia de ratione partis constituentis, jam est per se compone-re: Eam adderemus si per particulam *compositiva* desideraremus.

SOLVUNTUR AGMENTA CONTRARIA.

16 RGVES I. contra I. conclusionem: Arist.

A (12) ait: *Terminum eum appello, in quem resolutur propositio:* Ergò Terminus est definiendus per resolutionem. *Resp.*, dist. ant. Arist. ait, *terminum eum appello,* &c. verè definiendo Terminus, neg. ant.; tantum explicando illum per ejus secundarium conceptum, conc. ant.; & neg. conseq. Conceptus primarius Termini, prout ad præsens attinet, est esse compositivum, ac per hunc conceptum definiri debet: *Esse autem resolutivum est secundarius, per quem explicari, aut describi potest, ut Arist. describit; minimè vero definiri.*

17 Dices: Terminus propriè definitur per resolutionem ab Aristotele: Ergò nulla est solutio. Prob. ant.: Non est assignabilis locus, ubi ab ipso definiatur per compositionem: Ergò. *Resp.*: Permissò ant., ult., neg. conseq. Quia ex eo, quod Arist. Terminum per compositionem non definierit, non infertur, quod per resolutionem rigorosà definitione explicaverit; quia potuit quām optimè eum non definisse; sed tantum per resolutionem explicasse. At verò D. Thom. Clarissimus Arist. interpres Terminus per compositionem definivit; (13) ut & nos cum ipso definimus.

18 Instabis: Explicatio Termini per resolutio-
nem est ejus optima definitio: Ergò nulla est solutio. Prob. ant.: Resolutio est primarius Termini concep-
tus: Ergò. Prob. ant.: Terminus, & dicitur à *termi-*
nando, & terminationem significat: Ergò. Prob. ant.: Pars dicitur à componendo, & compositionem signifi-
cat: Ergò à pari. *Resp.*, neg. ant.; ad prob., neg. ant.; ad hujus prob., dist. ant.: Terminus sub formalita-

(12)
Arist. I.
Prior. c. I.

(13)
D. Thom.
ubisup. n.
4. & 10.

te termini , conc. ant. ; sub formalitate partis , neg. ant. , & conseq. Constat autem ex probatione primæ conclusionis , Terminum in præsenti non esse sub formalitate termini definiendum ; sed sub formalitate partis ; quia sic , & non aliter , conduceat ad finem Dialecticæ .

(14)
D. Thom.
1. Physic.
lect. I.

19 Replicabis : Terminus debet definiri , ut Terminus : Egò nulla est solutio. Prob. ant. : Terminus , ut resolutivus , conduceat ad veritatis manifestationem : Ergò. Ant. patet ex D. Thom. (14) afferente : *Tunc est scientia completa in actu , quando pervenitur per resolutionem ad distinctam cognitionem principiorum. Conf. : Terminus , ut terminus , non est pars , cum sint diversæ formalitates ; sed hic Terminus definitur , & non pars : Ergò debet , ut Terminus , definiri ; atque adeo in ordine ad resolutionem.*

20 Resp. ad replic. , neg. ant. ; ad cuius prob. explico sensum S. Doct. : Per resolutionem syllogisticam , conc. ant. ; enuntiativam , seu enuntiationis , neg. ant. , & conseq. Quando itaque conclusio resolvitur in sua principia mentaliter , resplendet veritas conclusionis , quia cognoscitur causa ejus veritatis in præmissis ; & perfecta , ac completa scientia est cognitio rei per causam. At verò resolutio propositionis in terminos nullam affert veritatis manifestationem ; quia Terminus , ute per apprehensionem efformatus , incapax est , ut veritatem , vel falsitatem attingat : Imò , cum propositionem , in qua veritas emicat , talis destruat resolutionis ; potius est inimica , quam amica veritatis .

21 Ad Conf. , dist. min. : *Hic Terminus definitur ; &c. , secundum id præcisè , quod Terminus sonat , neg. min. ; prout à Sumulisti communiter accipitur , & ut ad Dialecticam refert , conc. min. ; & neg. conseq. Licit terminus terminationem exprimat ; ab eâ que*

que nomen habeat ; communiter sumitur pro parte enuntiationis compositiva. Sicut lapis à lèdendo pedem, & homo ab humo sunt dicti ; sed quid valde diversum denotant , & important. Dices : Resolutio non est secundarium exercitium Termini , sed primarium: Ergò terminus essentialiter dicit resolutionem. Prob. ant. 1. : Secundarium non destruit primarium ; sed resolutio destruit compositionem: Ergò.

22. Prob. 2. idem ant. : Licet resolutio physica sit post compositionem; non verò mentalis, ea scilicet, quæ fit , dum partes considerantur ante compositionem: Ergò est exercitium Termini primarium. Resp. , neg. ant. . Ad 1. prob. dist. maj. : Secundarium activum, conc. maj. ; passivum , qualis est resolutio , neg. maj. Terminus enim non est, quod resolvit , sed est in quem resolvitur propositio ; sicque est exercitium secundarium passivum resolutio , capax destruendi primarium. Sicut corruptibilitas est secundaria proprietas substantiæ materialis, cuius tamen exercitium corrupti destruit primarium per se existendi. Ad 2. prob. dicimus , illud partium examen esse mentalem compositionem, & non resolutionem ullam.

23 ARGVES 2. contra 2. Conclusionem : Omnes partes cuiuslibet artefacti dialectici sunt propriè termini : Ergò non est terminus definiendus in ordine ad solam propositionem. Prob. ant. : Partes definitionis sunt propriè termini ; sed eadem militat ratio de cæteris artefactis : Ergò. Maj. patet; quia sunt propriè partes artefacti logici. Resp. dist. maj. : Partes definitionis, ut tales, neg. maj. ; partes definitionis, quantum possunt propositionem componere, conc. maj. ; & neg. min. Itæ enim voces *animal rationale* , quæ hominis definitionem componunt , possunt aliunde ad propositionem componendam ordinari ; hoc secundo

24 Dices: Partes propositionis, ut tales, sunt propriè termini: Ergo etiam partes definitionis, ut partes definitionis sunt. Conseq. tenet; quia æquè partes definitionis, ac propositionis sunt partes artefacti. Resp.; neg. conseq. : Disparitas est: quia partibus propositionis convenit essentia Termini , cùm eis convenient proprietates; partibus verò definitionis nequeunt proprietates Termini adaptari; cum in èa non detur verbum, juxta cuius exigentiam debet Terminus supponere; ideo neque Termini essentia valet convenire. *Vel aliter redditur disparitas: Quia Termini dantur ad veritatem exprimendam, fallitatemque vitandam: Id autem est solius propositionis, quæ est oratio verum, vel falsum significans.*

25 ARGVES 3. cont. 3. conclusionem: Nostra Termini definitio convenit propositioni cathegoricæ, seu simplici; sed hæc non est propriè terminus: Ergò convenit aliis à Termino; atque adeò irrecta est. Prob. mai. Propositio cathegorica componit aliam propositionem: Ergò illi convenit nostra definitio. Ant. patet in hac *Propositione: Petrus studet, quæ componit istam: Petrus studet, & Paulus disputat. Resp., dist. ant. prob.: Componit aliam per se, neg. ant.; pér accidens, conc. ant., & neg. conseq.* . Totum enim perfectum, qualis est propositio , solum per accidens ordinatur ad aliud totum componendum: Cum autem differentia nostræ definitionis sit , esse constitutivum , in quo ratio per se componendi includitur ; non convenit propositioni.

26 Dices : Illa simplex propositio est pars per se propositionis compositiva: Ergò. Prob. ant. : Illa propositio composita , seu hypothetica est totum per se; sed totum per se petit partes, per se cōponentes: Ergò. Resp. dist.

dist. maj.: Est totum per se, per seitate ordinis, conc.
maj.; per seitate simplicitatis, seu ordinabilitatis, neg.
maj.: Et è contra distinctà min., neg. conseq. Totum
itaque est duplex: Totum per se, per seitate ordinis,
& totum per se, per seitate simplicitatis, seu ordinabi-
litatis: Primum est, cujus partes sunt in toto cum or-
dine solùm postulato à toto: Secundum est, cujus par-
tes sunt in toto cum ordine à partibus postulato.

27 Licet autem partes, quæ ordinem postulant in
toto, sint partes per se componentes; non autem par-
tes, quarum ordo in toto, à solo toto postulatur. Et ra-
tio est: Quia dum partes ordinem exigunt in toto,
sunt ex se incompletæ, suamque exigunt completio-
nem in toto; ad quod proinde ordinantur: Dum autem
illum ordinem non exposcunt in toto, suam ex se ha-
bent completionem; ac propterea non per se, sed per
accidens, ordinantur ad totum. Patet exemplis doctri-
na ista: Miles, qui extra exercitum suam habet adæ-
quatam completionem, seu perfectionem, per acci-
dens ad exercitum componendum ordinatur; at mate-
ria prima, quæ ex se est incompletissima, per se ordi-
natür ad totum, in quo sufficienti gaudet perfectione.

28 Dices iterum: Ergò saltem propositio cathe-
gorica, aliam cāthegoricam componens; v. gr. ista: Pe-
trus est homo, quæ hanc componit: Petrus est homo est
vera propositio, erit pars per se; ac terminus proinde.
Sed neg. conseq.: Quia eam per accidens componit, ob-
rationem supra dictam. Vel dicito; (15) eam solùm ma-
terialiter, & objectivè componere; non verò forma-
liter, & significativè; quia reddit hunc sensum: Pro-
positio, Petrus est homo, est vera; cuius formale subje-
ctum est terminus ille propositio: Materialiter autem
componere non sufficit, ut de vocibus non significa-
tivis infra dicemus. (16)

(15)
Coll. Rip.
hic, dub. 4
conf. 5. n.

39.

(16)
In hac
quest. ar-
tic. 3. num

29 ARGVSE 4. : Carentia Termini non est terminus , sicut hominis carentia non est homo ; sed carentia Termini est pars hujus propositionis : *Carentia Termini non est terminus* : Ergo nostra definitio aliis convenit à definito. Resp. , dist. maj. : Carentia Termini objectiva , seu significatum illarum vocum *carentia termini* , conc. maj. ; carentia significativa , seu *hęc vox carentia* , neg. maj. ; & sic distinc. min. , neg. conseq. Solutio facilis est. Nota : Partes propositionis cathegoricæ , hypoteticam componentis , solum mediatè componere hypoteticam , respectu cuius non sunt termini. Nota: 2.(17) componere per se , in quo stat Termini essentia , nec per accidens alteri convenire.

(17)
Vide Irri-
barr. hic,
artic. I. in
inst. ad I.
erg.

ARTICVLVS II.

*Vtrum Terminus per actū , an per posse componere con-
stituatur?*

A Ctu componere illud dicitur , quod de fa-
cto propositionem , seu aliud artefactum
constituit . Posse autem componere , dicimus , illud
quod , et si de facto non componat , potentiam tamen
habet ad componendum. Est autem duplex potentia:
Altera remota , qualis est , quam lapides , in monte exi-
stentes absque ordinatione ullà , habent ad componen-
dam domum ; quaque gaudent voces , ad componen-
dum non ordinatae ; altera proxima , quām habent par-
tes ab Artifice ordinatae. Primam non esse sufficientem
ad rationem partis , & Termini , certum est : An se-
unda sufficiat , dubitatur.

Nostra Conclusio.

DICIMVS cum communi Thomistarum Sen-

ten-

Artic. II. Vtr. Terminus constituatur, &c. 51

tentia : Terminum constituendum esse , non per actu componere , sed per posse proximè componere. Prob. ratione fundamentali : Verba in definitione posta non denotant actum , sed aptitudinem , ut habet commune proloquium ; sed Terminus ab omnibus definitur per rationem compositionis , aut resolutionis : Ergò non est intelligenda definitio de actuali compositione , aut resolutione , sed de proximà potentia ad compo nendum , vel resolvendum; atque adeò non per actu , sed per posse componere Terminus est nobis consti tuendus.

3 Respondent Contrarii : (1) Proloquium illud in telligendū esse de definitione rei , de cuius essentiā non sit actus ; minimè verò de èa , de cuius definitiō essentia sit actus; ut patet in definitione existentiae , relationis , visionis , &c.; & hujus generis est Terminus. Con trā : Actus componendi non est de essentia termini: Ergò nulla est solutio. Prob. ant. i.: Actus significandi non est de essentia signi juxta plerosque ex Adversariis: Ergò pariter. Consequētia tenet à paritate: quia sicut signum est quid institutum ad significandum ; ita pars ad componendum.

4. Prob. 2. idem ant. : Terminus est propriè pars artificialis antequām actu componat: Ergò actus componendi non est de essentia termini. Prob. ant. : Pars naturalis; v.gr. Anima , & materia prima , est propriè pars antequām actu componat totum naturale : Ergò pariter pars artificialis , qualis est Terminus , ante totum artificiale. Prob. conseq. : (& præoccupatur evasio Contrariorum; sicut pars naturalis est intrinsecè ordinata à natura ad componendum , ita pars artificialis potest esse ab arte ad componendum ordinata , antequām actu componat; sed propterea prima est propriè pars , antequām componat: Ergò & secunda.

(1)
Apud P.
N. Remi
gium à S.
Erasmo in
Summ. dif
put. pag.
10,

5 — Ad arg. resp. P. Loffada: (2) Partem, sive naturalem, sive artificialem, esse partem tantum in actu primo, non vero in actu secundo. Sic arguo: Licet pars

(2) *P. Loffada, hic, dis-*
put. 4. cap. 3. nu. 10. ante, quam componat, non sit pars in actu secundo exercitii, est in actu secundo essentiæ, seu existentiæ: Ergo jam est propriè Terminus ante actualem compositionem. Prob. ant. : Actus secundus essentiæ, seu existentiæ est distinctus realiter in rebus entitativis ab actu secundo exercitii; & debet esse prior isto; sed Terminus, qui res entitativa est, etsi artificialis, dum jam componit, est in actu secundo exercitii: Ergo prius debet esse in actu secundo existendi per aptitudinem, seu proximam potentiam ad componendum.

6 — Maj. patet in intellectu, qui, dum actu non intelligit, est in actu secundo existendi; licet non in actu secundo exercitii: Idem patet in voluntate, visu, &c. Et ratio est; quia in rebus, quarum denominatio est activa, prius est esse, quam operari, ut patet in exemplis allatis; licet in his, quorum denominatio est passiva, sumpta ab aliquo exercitio, ipsum esse sit ipsa denominatio, ut patet in subjecto, & prædicato. Conf.

(3) *Loffada, hic, dispu-*
tat. I. cap. 3. n. 9. tatum, ita signum, antè, quam actu manifestet, solum est signum in actu primo; sed hoc sufficit, ut signum absolutè, & propriè sit signum, (3) utque per posse, & non per actu manifestare constituatur: (4) Ergo pariter.

I. num. I.

& 2.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

(5)

D. Thom.

Opusculo

4.2. cap.

10.

7 **A** RGVES I.: D. Thom. (5) ait: Pars, ut pars, sine toto esse non potest, cum relativa sint simul; atqui si Terminus per posse componere consti-
tuieretur, daretur pars sine toto; Ergo Terminus con-
sti-

stituitur per actu, & non per posse componere.
Resp., explicando S. Doctorem: Pars, ut pars in exercitio, conc. maj. ; pars, ut pars in essentia, neg. maj. ; & è contrà distincta minori, neg. conseq. Verum quidem est, quòd pars, ut pars, nequit esse sine toto, si ly ut reduplicet exercitium partis; falsum verò, si reduplicet ejus essentiam. *Vel dici potest*: Partem esse non posse sine toto potentiali; benè verò sine actuali.

8 *Dices*: Nequit dari pars secundum actualēm essentiā partis, quin detur actu totum: Ergò nulla est solutio. *Prob. ant.*: De ratione partis actualis est actu constituere totum: Ergò nequit dari, &c. *Resp.*, distin. secundum ant. : De ratione partis actualis, tām actualitate exercitii, quām essentiā, conc. ant. ; de ratione partis actualis, præcisè actualitate essentiā, nego ant. ; & conseq. In Termino enim datur duplex actus, essentiā scilicet, seu existentiā, & exercitii, seu compositionis. Primus consistit in actuali habitudine ad componendum, quæ verè datur ante totum: Secundus autem in actuali compositione, quæ sine toto esse non potest. Primus essentialis est termino; secundus accidentalis.

9 *Instabis*: De ratione partis actualis actualitatē essentiā est actu componere: Ergò nulla est solutio. *Prob. ant.*: De ratione totius actualis actualitatē essentiā est actu componi ex partibus: Ergò pariter. Consequētia patet; quia pars, & totum sunt correlativa, quæ proinde simūl debent esse naturā, & cognitionē, ut commune habetur apud Philosophos. *Respon. neg. conseq. prob.* Disparitas est: Quia totum essentialiter est partes simūl sumptae, & unitae; ad quod requiritur actualis ex partibus compositio: At verò pars essentialiter est quid incompletum, per se ordinatum ad componendum, ad quod non requiritur compositio.

Ad

10 Ad consequentiae prob. resp. : Partem , & totum esse correlativa transcendentalia , quæ non debent esse simùl ; non autem prædicamentalia , quæ simùl debere esse , statuunt Metaphysici. *Replicab.* : Ad rationem partis essentialiter sumptæ non sufficit ordo , seu aptitudo ad componendum: Ergò nulla est solutione. *Prob. ant.* : Si mera aptitudo sufficeret ad rationem partis essentialiter sumptæ , materia prima esset pars infinitorum compositorum ; quia apta est ad ea componenda ; item lapis in monte positus , jam diceretur pars actualis infinitorum templorum , pontium , & pyramidum , respectu quorum componendorum est aptus ; sed hoc est falsum evidenter: Ergò.

11 *Ad replicam* resp. , neg. auctec. ; ad probationem facile dicimus , materiam primam pro priori ad compositionem , esse partem solum illius compendi , ad quod est ab Agente naturali disposita: Pariter lapis illius artefacti pars dicitur , ad quod est ab Artifice ordinatus ; quia respectu hujus dicit potentiam proximam ; ad alia vero remotam : *Adverte* diligenter , requiri in vocibus , ut sint termini , non destinationem tantum ad significandum ; sic enim fiunt signa , habentque tantum grammaticalem institutionem ; sed requiri etiam ordinationem Dialecticam ad significandum per modum superioris , & inferioris ; ut sic vox destinetur ad esse , vel subjectum respectu sui superioris , vel prædicatum respectu inferioris.

12 *ARGVES* 2. : Omnis terminus debet esse , aut subjectum , aut prædicatum , aut copula ; sed vox ante compositionem , nec est subjectum , nec prædicatum , nec copula: Ergò non est terminus. *Resp. dist. maj.* : subjectum , aut prædicatum , aut copula in exercitio ; neg. maj. ; in potentia proxima , conc. maj. ; & è contraria distincta minori , nego conseq. *De ratione enim termini*

termini non est esse subjectum , aut prædicatum , sed esse subjicibile , vel prædicabile proximè ; ad quod sufficit proxima potentia ad subjiciendum , vel prædicandum . Et ratio est : Quia Terminus fit per apprehensionem , per quam non fit subjectum , nec prædicatum , sed subjicibile , & prædicabile .

13 Dices : Non sufficit posse esse subjectum , vel prædicatum , ad rationem partis : Ergò neque ad esse terminum . Prob. ant. : Non sufficit potentia proxima ad subjiciendum , vel prædicandum ad rationem subjecti , vel prædicati : Ergò neque sufficit ad rationem partis . Resp. neg. ult. conseq. Disparitas est : Quia esse subjectum , & prædicatum , cum sit passiva denominatio , dicit usum , & exercitium subjiciendi , & prædicandi , vi cuius subjectum est id , de quo aliquid dicitur , & prædicatum est id , quod dicitur de subjecto : Denominatio autem partis est activa , sicut denominatio signi , intellectus , & voluntatis : Et Quemadmodum istorum denominations non in exercitio , sed in aptitudine consistunt ; ita partis denominatio .

14 In statibus : Sicut subjectum , & prædicatum essentialiter dicunt exercitium subjiciendi , & prædicandi ; ita pars essentialiter dicit exercitium componendi : Ergò nulla est solutio . Prob. ant. : Actus , seu exercitium componendi nequit esse accidens respectu Termini : Ergo sicut subjectum , &c. Prob. ant. : Aptitudo , seu potentia ad componendum non est accidens respectu termini : Ergò neque actus componendi . Conseq. tenet : Quia , juxta D. Thomam , (6) actus , & potentia debent esse in eodem genere .

15 Resp. , neg ult. conseq. ; ad prob. D. Thom. , dist. illam . In eodem genere prædicamentali , conc. ant. ; prædicabili , nego ant. , & conseq. Litteralis sensus S. Doct. est , quod si actus est substantialis , pariter poten-

(6)
D. Thom. :
I.p. quest.
77. artic.
I.

potentia; si verò accidentalis, idest *ens in alio*, accidentalis etiam debet esse potentia: Non autem afferit, actum debere esse de essentiā ejus, de cuius essentia est potentia ad talem actum; potentia enim ad intelligendum est de essentia intellectus, non verò actus intelligendi.

16 *Replicabis:* Si actus cōponendi non est de essentia Termini, neque est ejus essentia aptitudo ad compositionem: Ergo nulla est solutio. Prob. ant.: Essentia Termini est esse partem materialem, vel formalem propositionis; sed per aptitudinem ad componendum non constituitur pars materialis, nec formalis propositionis: Ergo. Maj. est certa; quia non datur alia pars propositionis. Probat. min.: Pars materialis propositionis est subjectum, & pars formalis est prædicatum; sed esse subjectum, vel prædicatum non constituitur per aptitudinem ad componendum, ut supra (7) diximus: Ergo. Resp.: Subjectum esse materiam impropriè, & respectu prædicati; & prædicatum esse formam respectu subjecti: At propriè, & respectu totius propositionis, nomen est materia, & verbum est forma.

(7)
In hoc ar-
tic. num.
13.

17 *ARGVES 3.:* Si Terminus constitueretur per posse proximè componere, valeret hæc consequentia: *Vox potest proximè componere:* Ergo actu est terminus; sed hæc consequentia non valet: Ergo. Prob. min.: De posse ad actum non valet consequentia; non enim valet: *Potest currere:* Ergo actu curro: Ergo non valet illa consequentia. Resp.; nego min.; ad prob. distin. ant.: De posse ad actum ejusdem denominationis, concedo ant.; diversæ denominationis, præsupponentis tale posse, nego ant.; & conseq. Licet non valeat: *Potest currere:* Ergo curro; valet: *Potest currere:* Ergo actu sum substantia; quia cursus, ut potè accidens, sup-

Supponit substantiam: ita licet non valeat: Potest componere: Ergò componit; valet: Ergò est terminus.

18 Sed dices: Si dicta consequentia valeret, esset vera hæc propositio: Possibile est, Terminum extra propositionem componere; sed hæc propositio est falsa: Ergò illa consequentia nulla. Prob. min.: Hæc propositio: Terminus extra propositionem componit, est impossibilis: Ergò illa est falsa. Prob. conseq.: Propositio modalis, cuius de *in esse* est impossibilis, est falsa; sed prima est modalis, & secunda est ejus de *in esse*: Ergò si ista est impossibilis, illa erit falsa. Major est regula Dialecticæ; & patet: Eo enim, quod hæc sit impossibilis: Brutum intelligit; etiam hæc est falsa: Brutum potest intelligere. Conf.: Terminus syllogisticus non est Terminus extra syllogismum: Ergò neque enuntiativus extra enuntiationem.

19 Resp. ad replic., nos ejusmodi regulam in generali usurpatam improbare; patet enim, hanc malam esse consequentiam: Hæc propositio: Petrus sedens, currit est impossibilis: Ergò hæc est falsa. Petrum sedentem, possibile est, currere: Cum hæc vera sit, et si prima sit impossibilis. Quare: Solùm habet verum illa regula in sensu absoluto; non in sensu restricto ad determinatum sensum, aut modum. (8) Ad Conf. concessò ante, nego conseq.: Quia Terminus syllogisticus pendent à determinata positione in syllogismo, quæ salvari nequit extra compositionem: etenim terminus iste aut est major, aut minor extremitas, quæ tales dicuntur per hoc, quod plūs, aut minus prædicentur; adeoque pendent ab actuali prædicatione: (9) Ad enuntiativum verò, nec id, nec simile requiritur, ut constat,

(8)

Vide Coll.
Rip.lib: 2.
dub. 6. cō-
fer. 2. n.
10. & 12.

(9)

V.lib. 3. q.
unic. art.
4. n. 10.

ARTICVLVS III.

*Vtrum Copula, vocesque non significativaे sint propriæ
Termini?*

1 **A**dverte 1.: Copulam, quæ est verbum, uniens prædicatum cum subjecto, dupliciter sumi posse: *Primo*, prout est quædam dictio unitiva subjecti cum prædicato in supponendo, seu significando; & sic dicitur copula reduplicativè, ut unio: *Secundo* sumi potest, prout est quædam dictio significativa convenientiæ, aut inconvenientiæ prædicati objectivi cum subjecto objectivo, seu in effendo. Primo modo Copulam non esse terminum, ut certum supponimus; sicut de subjecto, & prædicato, reduplicativè sumptis, affirmemus, necesse est: quia denominatio subjecti, & prædicati fundatur supra denominationem termini. De Copulâ secundo modo acceptâ inquirimus.

2 *Adverte 2.*: Vocem esse sonum literatum lingua articulatum; quæ, si ad aliquid significandum non sit imposita, vox non significativa appellatur; v.gr. *Blepharitis*, *Syndapsus*, & quelibet alia, quam velis effingere. Si verò ad significandum sit imposta, vox significativa dicitur; que sic explicatur: *Sonus ab ore animalis prolatus cum intentione aliquid significandi*. Nunc adverte, inconnexiōnem aliquorum ex Adversariis, afferentium, terminum esse conceptum; terminumque vocalem negantium: nunc autem voces non significativas Terminum esse, id quod significativis negant alibi, propugnant.

Prima Conclusio.

3 **DICIMVS** 1.; Copula, specificativè sumpta pro dictio-

ditione significativa convenientiae, aut disconvenien-
tiæ inter subjectum, & prædicatum, est propriè ter-
minus. Conclusio est Magni P. Aug. (1) dicentis: *Solas
orationis partes, nomen, & verbum debemus accipere.*
Ex quibus sic arguimus: Verbum est juxta S. August.
propriè propositionis pars; sed non extra propositio-
nem juxta Adversarios: Ergò intra illam. Sed intra
propositionem est Copula: Ergò Copula est propriè
terminus. Idem docet Angel. Doct. : (2) *Sola nomina,
& verba sunt principales orationis partes;* sed pars prin-
cipialis orationis enuntiativæ est propriè terminus: Er-
gò verbum in propositione, quod ejus est Copula, est
propriè terminus.

4 PROBAT. Conclusio ratione fundamentali:
Quod est pars per se propositionis, est propriè termi-
nus; sed Copula modo dicto usurpata, est propriè
pars propositionis: Ergò est propriè terminus. Prob.
min.: Copula est propria propositionis forma; sed
forma cuiusvis compositi est propriè pars illius: Ergò
Copula est propriè pars propositionis. Prob. maj.:
Quod determinat adæquatam propositionis materiam,
est forma illius; est enim de ratione formæ materiam
determinare; sed Copula determinat subjectum, &
prædicatum, quæ sunt materia propositionis: Ergò.

5—Respon. i. Adversarii, Copulam esse partem pro-
positionis, ut quò; non verò, ut quid: Id autem re-
quiri ad rationem Termini. Dicunt enim, Copulam
non esse id, quod communicat esse propositioni, sed
esse id, quo subjectum, & prædicatum propositioni
esse communicant, cum sit utriusque nexus. Secundò P. Loffa-
resp. alii. (3) Formam in composito naturali esse pro-
priè partem, non vero in artificiali: quia in primo
composito est entitativa; in secundò vero est purè
modalis.

(1)
S. August.
De Categ.
cap. i.

(2)
D. Thom.
i. Perbi.
cap. i.

(3)
P. Loffa-
da, dispu-
tat. 6. cap.
5. à num.
modali s.

6—*Impugnatur* prima solutio i. : Licet Copula sub munere unientis sit solum pars, *ut quo*, est tamen pars, *ut quod* sub munere significantis convenientiam, vel inconvenientiam subjectum inter, & prædicatum: Ergò licet non primo, secundo saltem modo est propriè terminus. Prob. ant. : Licet Copula sub munere unientis sit id, *quo* subiectum, & prædicatum dant esse propositioni; sub munere autem significantis est id, *quod* significat, seu exprimit supradictam convenientiam, aut inconvenientiam; sed pars, quæ significat, *ut quod*, est pars propositionis, *ut quod*: Ergò licet Copula, &c. Prob. min. : Propositio est compositum significativum; sed partes propriæ compositi significativi sunt, quæ, *ut quod*, significant; sicut partes entitativi, quæ habent esse, *ut quod*: Ergò.

7—*Secundò* : Licet medium verbum syllogismi sic nexus extremitatum ejusdem, est propriè, *ut quod*, pars illius: Ergò licet Copula sit partium nexus in propositione, est propriè illius pars, *ut quod*. Conf. 1. : Propositio essentialiter est oratio veritatis, vel falsitatis significativa; sed veritas, aut falsitas præcipue, &c., *ut quod*, significatur per Copulam: Ergò Copula est pars, *ut quod*, propositionis. Conf. 2. Conjunctiones grammaticales sunt nexus cæterarum partium orationis; sed in frequentiori Grammaticorum sensu sunt propriè partes orationis grammaticalis: Ergò pariter.

8—*Impugnatur* jam secunda solutio i. : Sicut repugnat naturale definiri compositum physicè, quin ejus forma principaliter definitionem ingrediatur, ita repugnat artefactum physicè definiri, quin ejus forma sit præcipua pars definitionis; sed forma compositi entitativi est propriè forma: Ergò pariter. *Secundò*: Copulam esse formam modalem propositionis est esse modum essentiale determinativum materiae proposi-

Artic. III. Vtr. Cop. voceſq; non signif. &c. 61

ſitionis, quæ est artificium inadæquatè modale; ſed hoc ipſo eſt propriè forma propositionis: Ergò. Prob. min.: Propterea Anima eſt forma hominis, qui eſt compositum entitativum; quia eſt forma entitativè determinans ejus materiam: Ergò à pari.

9—*Tertiò*: Implicat compositum propriè tale, non conſtantſ materia, & formā propriè talibus in ſua ſpecie, & linea; ſed in propositione, quæ eſt compositum artificiale significativum propriè tale, non eſt alia forma propriè talis præter Copulam: Ergò Copula eſt propriè forma propositionis. Prob. min.: Forma eſſentialis, & propriè talis, eſt ea, à qua compositum accipit ſuum eſſe ſpecificum, & eſſentialē differentiam; ſed hæc habet à Copula propositio; per illam enim redditur affirmativa, aut negativa, in quo ſtat eſſentia ſpecifica propositionis; imo per illam fit enuntiati-va: Ergò.

10—*Respon.* aliqui, formam eſſentialē proposi- tionis eſſe conformatitatem cum regulis logicis. *Contra*: Propoſitio affirmativa eandem omnino habet confor- mitatem, ac negativa, ſolumque diſerunt ratione Co- pulæ affirmativæ, vel negativæ; ſed diſerunt eſſentialiter: Ergò formalis ſpecifica differentia proposi- tionis eſt Copula. *Vrgetur*: Sicut Copula eſt modus, & affectio ſubjecti, & prædicati, ita termini Synca- thegorematici; ſed iſti juxta Contrarios ſunt propriè termini: Ergò etiam Copula.

Secunda Conclusio.

11 *DICIMVS* 2.: Voces non significativas non eſſe propriè Terminos. Patet Conclusio ex Ang. Mag. afferente: (4) *Pars orationis eſt significativa*, ſicut di- cito significat; puta, ut nomen, & verbum; ſed vox non significativa non significat, eò enim eſt non significa- tiva;

(4)

D. Thom.
1. Perhier
lect. 6.
Idem col.
lig. ibid.
lect. 5.

tiva : Ergò non est pars orationis , neque terminus. *Si dicas* , vocem non significativam significare naturaliter se ipsam, conceptumque proferentis. *Contra*: Quia id non sufficit , teste D. Thomà ibidem dicente: *Oratione , & ejus partes non significant naturaliter , sed debent significare ad placitum.*

12 *PROBAT.* Conclusio ratione : Terminus debet esse pars per se simplicis propositionis , vel admensus artefacti Dialectici ; sed vox non significativa non est pars artefacti Dialectici : Ergò non est terminus. *Prob. min.* : Vox non significativa nequit subindui artificio Dialectico ; sed pars cuiusvis artefacti ejus artificio subindui debet , ut patet in singulis artefactis: Ergò. *Prob. maj.* : Artificium Dialecticum debet esse significativum; sed vox non significativa nequit subindui artificio significativo , aliàs jam non esset vox non significativa : Ergò. *Maj. patet* : *Tum ex D. Thomà ubi supra* : *Tum etiam* ; quia artificium Dialecticum est ad veritatem manifestandam : *Tum denique*; quia, ut ait Arist., vocibus utimur loco rerum, quas ad Scholas adducere non possumus.

13 *Respon.* Contrarii 1. : Vocem non significativam non significare aliquid à se ipsa distinctum, ideoque dici vocem non significativam; at significare se ipsam, non quidem ad placitum, sed naturaliter. *Secundò respondent* , (5) eam vocem significare naturaliter conceptum internum proferentis; quia nobis auditibus quemlibet proferentem : *Bliktiri non est terminus*, satis patet ejus internus conceptus; atque adeò in utroque respondendi modo , jam gaudere artificio significativo.

(5)
P. Loffa-
dus, dispu-
tata. 6. cap.
1. à num.
4. & ferè
per totum.

14 *Sed contra primam solutionem sic insurgimus:* In primis significare se ipsum est valdè impropriè significare; solum enim stat dupliciter significare , for-
mailz

maliter scilicet, & instrument aliter, ut dictum relinquimus. (6) Deinde : Non sufficit ad rationem termini propriè talis, quod vox *Blixtiri* prolata se præsentet auditui, ut ita audientis intellectui se præbeat manifestam: Ergò vocem significare se ipsam (eorum verbis utimur) non sufficit ad propriam rationem termini. Prob. ant. : Multoties res naturalis ; v. gr. Petrus, se præsentat visui, & tamen, neque significat se ; ita saltem, ut possimus congruam facere propositionem, demonstrando Petrum digito, simùlque dicentes : *Est homo*: Ergò pariter.

15 Nec dicas, (7) vocem *Blixtiri* non ideo præcisè significare se ipsam, esseque propriè terminum, quia se præsentat auditui ; sed ideo, & quia est vox, & ea articulata; ne forte suspiria etiam voces dicamus, se ipsas manifestantes. Id enim non obstat : *Primo*, quia auditui solum se offert ut sonus, solumque de materiali importatur, quod sit vox ; eodemque modo se offert suspirium, importato de materiali, quod sit susprium : Ergò si istud propterea non se repræsentat, quantum satis est ad orationem, neque illa. *Secundò* : Omnia verba, etiam significativa se offerunt auditui, seque manifestant ; sed vi hujus manifestationis non sunt termini, sed vi manifestationis significati : Ergò pari.

16 *Tertio* : Verbum est se offert, seque repræsentat, & quidem, ut quod; non enim est id, quo aliiquid se repræsentat, cum omnes pateant voces propositionis ratione sui, ut ajunt ; sed quia non manifestat aliud à se, ut quod formaliter, aut instrumentaliter, non est terminus: Ergò, quod vox *Blixtiri* se repræsenteret, si aliud non significat, non est terminus. *Quartò* : Sui ipsius manifestatio destruit finem Dialecticæ, qui est recta disputatio; Ergò non sufficit ad ratio-

(6)

Quæst. 1.
art. 1. nu-
mer. 8.

(7)

P. Loffa-
da, dispu-
tat. 6 cap.
1. n. 4.
Vide item
num. 2. &
3.

tionem Termini. Patet autem in hoc syllogismo: *Omnis vox est sonus; sed Bliktiri est vox: Ergo Bliktiri est sonus:* In quo sunt quatuor termini; si pro se *Bliktiri* supponit; nam in minori supponit pro se; in consequenti pro se; *Bliktiri* autem majoris, & consequentis realiter distinguuntur: Ergo est duplex terminus: Aliunde est *vox*, & *sonus*: Ergo sunt quatuor.

(8)

P. Loffa-
da, ubi
sup.n. 15.
& 16.

17 Resp. Adversarii, (8) in dicto syllogismo *Bliktiri* consequentis supponere, non pro se, sed pro *Bliktiri* minoris. Sed contra; quia supponimus ex solutione, utrumque *Bliktiri* pro se supponere: Ergo nulla est solutio. Deinde *Bliktiri* consequentis supponere pro *Bliktiri* minoris est illud significare, quod extra casum est, cum supponamus utrumque *Bliktiri* esse non significativum.

18 *Iusurgimus* jam adversus secundam solutionem. Et primò: Quod *Bliktiri* significet internum proferentis conceptum non sufficit ad rationem partis artificii Dialectici: Ergo neque ad rationem termini. Ant. patet ex D. Thomà, ubi supra, afferente: *Oratio, & ejus partes non significant naturaliter; sed debent significare ad placitum.* Nec dicas, (9) non omnes, sed aliquam orationis partem debere esse significativam, teste Aristotele: (10) *Cujus partium aliqua separata significat.* Nam haec pars, quæ separata significat, non potest non intelligi de principaliori, ut subjecto, aut praedicato; sed *Bliktiri*, nec conjunctum, nec separatum significat: Ergo.

(9)
P. Loffa-
da, dispu-
tat. 6. cap.
2.n.8.

(10)
Arist. 1.
Perhyer.
cap. 4.

19 Deinde: Arist. loquitur (interpretante D. Tho.) de termino categorematico, qui *aliquid* significat contrapositivè ad syncategorematicum, qui non *aliquid*, sed *aliqualiter* significat, ut anquit ipse solutionis Author: Ergo juxta mentem Arist., & D. Thomæ licet sufficiat, aliquam orationis partem significare *aliquid*.

CON-

contrapositivè ad aliqualiter , non tamen ſignificare aliquid contrapositivè ad non ſignificare : Ergò omnes orationis partes debent aliquid , vel aliqualiter ſignificare ; ſed *Bliſſiri* , nec aliquid , nec aliqualiter ad placitum ſignificat: Ergò nequit eſſe pars orationis.

20 *Secundò* : Naturalis ſignificatio non eſt ſignificatio dialeſtica : Ergò naturalis ſignificatio interioris conceptus non ſufficit ad rationem termini; hic enim, utpote pars artificialis dialeſtica , debet dialeſticè ſignificare. *Prob. ant.* : Significatio naturalis non eſt artificialis ; ſed ſignificatio dialeſtica artificialis debet eſſe : Ergò. *Conf.* Sicut Ars pictoria ordinatur ad manifestationē prototypi, ita Ars Dialeſtica ad mani- ficationē conformitatis actū cum objecto, in quā ve- ritas conſiſtit; ſed ſi Pictor poneret in imagine partem, nihil de objecto ſignificantem , ſolo fine interni conceptus manifestandi , illa pars non eſſet propria pars imaginis , ſed defectuosa: Ergò pariter.

SOLVVNTVR ARGVMMENTA CONTRARIA.

21 *RGVES* i contra i. Conclusionem: Copula nō eſt pars enūtiationis: Ergò non eſt terminus. *Prob. ant. i.* : Copula eſt unio partium : Ergò non eſt pars. Consequentia tenet ; quia idem nequit eſſe unio partium , & pars , aliàs eſſet unio ſui. *Prob. 2.* idem ant. : Arist. propositionem diſtribuit in ſubjectum , & prædicatum , tanquam in suas partes: (11) Ergò Copula non eſt pars ; aliàs etiam in illam pro- positionem resolvifſet. *Reſp.* , negando ant. ; ad primam ejus prob. neg. conſeq. ; ad ejus prob. diſt. illam: Idem nequit eſſe ſimul pars , & unio partium, formalis ſci- licet cum materiali , conc. ant. ; unio partium mate- rialium inter ſe , nego ant. Vnio itaque partis mate-

(11)

Ariſtot. i.
Prior. cap. i.

rialis cum formalī , nequit esse pars , cum non detur pars ultra materialem , & formalem ; unio verò partium materialium , qualis est Copula , & quælibet forma artificialis , est propriè pars ; ut patet in unionē colorum imaginis .

22 Ad secundam ant. prob. neg. ant. ; nam Arist. postquam asserit : *Terminum eum appello, in quem resolutur propositio, tanquam in subjectum, & prædicatum;* subjungit : *Ipsò esse addito, vel diviso;* per quæ verba Copulam , sive affirmativam , sive negativam integræ propositionis partes enumerat .

23 *Dices:* In composito artificiali ultra partes materiales non datur alia pars : Ergò si Copula non est pars materialis , sed unio partium materialium , non est propriè pars. *Prob. ant. 1.* Quod est in composito artificiali , præter partes materiales , est modus , & affectio earum , sed hoc ipso non est propriè pars , ut patet in termino syncategorematico : Ergò. *Prob. ant.*

(12) 2. : D. Thoma^s (12) ait : *Oratio per constitutionem partium constituitur, & ipse partes se habent ad orationem Opusculi 39. sicut materia; compositio verò sicut forma;* sed si partes se habent , ut materia , extra partes materiales non datur pars: Ergò.

24 *Resp.* , nego ant. ; ad primam prob. dist. maj. : Est modus , & affectio , si purè modificet partes materiales , conc. maj. ; si partes materiales essentialiter determinet ad speciem artificii , neg. maj. Datur itaque nota disparitas inter Copulam , & syncategorema : nam illa non est pura modificatio ; sed ulterius est propositionis forma , essentialiter distinguens unam propositionem ab alia ; istud verò est pura modificatio ; ideo hoc non est Terminus ; sed illa. *Ad 2. prob.* explicò S. Doctorem : se habent sicut materia partes materiales , conc. ; omnes partes , nego. Ait enim Angel.

gel. Doct., orationem constitui, non per partes, ſed per partium constitutionem, quam habent, mediā Copula; idē addit: *Compoſitio verò, ſicut forma;* nomine compositionis intelligens Copulam, quae eſt ratio formalis compositionis.

25 *Inſtabis:* Copula eſt pura modiſatio, ſeu affectio partium: Ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant.: *Vnio physica,* quae eſt inter animam, & Corpus, eſt pura modiſatio partium: Ergò pariter unio, ſeu Copula dialektica. *Reſp.*, negando conſequentiā. Disparitas eſt: Quia uicio physica, præterquām quodd unit partem materialem cum formali, non eſt entitatīva, quod requiritur ad eſſe partem physici compositi, quippe entitatīvi; ſed modalis: ideo eſt pura affectio partium, & non pars. Cæterū: Copula non eſt unio partis materialis cum formali, & ulterius habet eſſe significatiū, & quidem, *ut quod*; idque ſufficit ad rationem partis totius Dialektici, utpote ſignificavi.

26 *Replicabis:* Si Copula haberet eſſe significatiū, ſignificaret identitatē ſubiecti cum prædicato; ſed hanc identitatē non ſignificat: Ergò. Prob. min. In hac propositione *Homo eſt lapis* datur copula; ſed nulla datur identitas inter hominem, & lapidem: Ergò. *Conf.*: Hæc eſt verè propositio: *Homo non eſt lapis;* ſed ejus copula non ſignificat identitatē aliquam: Ergò. *Reſpon.*, diſt. maj.: Significaret identitatē in propositione affirmatiā, concedo maj.; in negatiā, neg. maj.; & ſic diſtincta minori, neg. conſeq.

27 Copula ſemper ſignificat aliiquid ex parte obiecti: Si eſt propositio affirmatiā; ſignificat identitatē, ſeu convenientiam, veram quidem, & realem, ſi vera eſt propositio; fictam verò, & falſam ab intellectu applicatam, ſi propositio eſt falſa: Si autem propositio eſt negatiā; Copula ſignificat diſtinctionem,

seu disconvenientiam inter subjectum, & prædicatum; veram, si vera est propositio; falsam, si falsa. *Dicas*: De ratione Copulæ est unire, seu copulare; sed si Copula negativa significat distinctionem, non unit, sed disjungit: Ergò nequit distinctionem significare. *Resp.* Copulam negativam unire extrema formalia, & enuntiativa, scilicet voces; disjungendo verò solùm objecta.

28 *ARGVES* 2.: Si Copula esset terminus, esset forma propositionis; sed Copula non est forma propositionis: Ergò. *Prob. min.*: Prædicatum est propositionis forma: Ergò. *Resp. dist. ult. ant.*: Prædicatum est forma impropriè, & respectu subjecti, conc. ant.; propriè, & respectu totius propositionis, nego antec. & conseq. *Solutio* constat ex dictis art. 2. num. 16. *Dicas*: Copula non est forma respectu totius propositionis: Ergò. *Prob. ant.*: Variatà Copulà, non variatur essentialiter propositio; sed. variatà formà, variatur propositio essentialiter: Ergò. *Prob. maj.*: In his propositionibus: *Petrus est albus*: *Petrus fuit albus* variatur copula; sed non variatur propositio: Ergò.

29 *Respon.*, dist. maj. ultimæ prob.: Variatur Copula variatione essentiali dialecticâ, nego maj.; accidentali, & purè grammaticalí, conced. maj. Sola enim variatio propositionis de affirmativâ in negativam est essentialis, quæ semper provenit à Copulæ variatione; cæteræ verò variations, aliundè provenientes, sunt accidentales. *Nec dicas*, variationem propositionis de affirmativâ in negativam à particula *non*, vel *nullus* provenire. *Provenit* enim ab illis minus principaliter, & de connotato; principaliter verò, & in recto à Copulâ derivatur. *Vel*, ut alii (13) dicunt, hic, num. 87. provenit ab illis inadæquatè; non adæquatè. *Nota*: Copulam non esse terminum syllogisticum; quia nequit esse

elle major extremitas, minor extremitas, aut me-
dium verbum; benè verò enuntiativum ob allegatas
rationes.

30 ARGVES 3. contra 2. Conclusionem: Quod
est pars simplicis propositionis, est propriè terminus;
ſed vox non significativa, v. gr. *Bliktiri*, est pars hujus
propositionis *Bliktiri non eſt terminus*: Ergò vox non
significativa eſt propriè terminus. *Respon.*, diſt. min.:
Est pars formalis, nego min.; materialis, conced. mi-
nor. *Vel aliter*: Est pars per ſe, & ratione ſui, nego
min.; per accidens, & ratione vocis ſubintellecṭæ,
conced. min., & nego conſeq. Itaque illa propositio
reddit hunc ſenſum: *Vox, ſeu dictio Bliktiri non eſt*
terminus; in quā ly, *vox*, aut *dictio* eſt ſubjectum for-
male, & proprium: *Bliktiri* ſolūm materiale, &
improprium; idque ratione vocis, aut dictionis ſub-
intellecṭæ.

31 Dices: *Bliktiri* eſt pars formalis illius pro-
pofitionis: Ergò nulla eſt ſolutio. *Prob. ant.*: Illa pro-
pofitio eſt adæquatè formalis: Ergò *Bliktiri* debet eſ-
ſe pars formalis. *Respon.*, diſt. ant. probationis: Eſt
adæquatè formalis ratione *Bliktiri*, nego ant.; ratio-
ne vocis, aut dictionis ſubintellecṭæ, ut nuper diximus,
conced ant., & nego conſeq. Solutio jam ſatis conſtar.
Instabis: *Bliktiri* eſt ſubjectum formale: Ergò pro-
pofitio eſt formalis ratione *Bliktiri*. *Prob. antec.*: Subje-
ctum formale eſt id, de quo aliiquid dicitur; ſed de
Bliktiri dicitur non eſſe terminum: Ergò eſt ſubje-
ctum formale.

32 *Respon.* negando maj. probationis; ut enim
diximus artic. 1. *Quæſt. Proœmiaſ. num. 8.* ſubjectum
formale eſt, quod ſupponit pro eo, de quo aliiquid
dicitur; id autem, de quo aliiquid dicitur, eſt ſubje-
ctum materiale, ſeu objectivum, quod propriè ter-
minum

(14)

Quest. 2. minum non esse , constabit infrà. (14) *Inquies* : Bene
artic. 4. sic : Atqui *Blictiri* supponit pro alio : Ergo est subje-
num. 1. cium formale. Prob. min. subsumpta : *Blictiri* mani-
festat internum proferentis conceptum : Ergò. Ant.
patet : Quia , prolatà illà propositione ; intelligit au-
diens, quid proferens intentat afferere. *Respon.* , dist.
ant. prob. : Manifestat internum conceptum natura-
liter , conced. ant. ; artificiosè , nego ant. Primum non
sufficit ad rationem termini ; aliàs suspiria essent ter-
mini. Vide quæ diximus suprà n. 19. & 20.

33 *Instabis*: Non requiritur aliud à se manifesta-
re artificiosè ad rationem termini : Ergò. *Prob.* antec.
1. : Non requiritur , lapidem habere artificium pyra-
midis, ut sit pars pyramidis: Ergò pariter. *Secundò*: Vox
Petrus est propriè terminus ; sed in hac propositione
Petrus est nomen non substituit artificiosè pro alio: Er-
gò. *Respon.* , negando ant. ; ad primam prob. , distin-
ant. : Habere artificium adæquatum, conc. ant. ; ina-
dæquatum, nego ant. , & consequentiam. Lapis enim
pyramidis debet habere partem artifici , licet non to-
tum artificium : pariter vox, cum sit pars compositi si-
gnificativi, debet habere partem significationis propo-
sitionis ; quod non convenit *Blictiri*. *Ad 2. prob.* di-
cimus , illam vocem *Petrus* in èa propositione non
esse propriè partem , neque terminum ; sed quatenus
alias potest componere formaliter ; ob eandem ra-
tionem.

34 *ARGVES* 4. contra eandem: Quod est propriè
terminus syllogisticus , est etiam terminus enuntia-
tionis , super istum enim fundatur ille ; sed vox non
significativa est propriè terminus syllogisticus : Ergò
pariter enuntiationis. *Prob. min.* : Litteræ Alphabeti
sunt non significativæ ; sed illis utitur Arist. (15) lo-
te 2. co terminorum in suis demonstrationibus : Ergò. *Re-
pond.*

(15)

Arist. ap.
Div. Tho-
mä, opusc.
48. capi-
te 2.

pond., dist. mai. prob. : Sunt non significativa absolute, conced. maj. ; prout ibi ponantur ab Arist., exempli gratia, loco terminorum, nego maj. ; & è contrà distincta minori, nego conseq. Ibi enim accipiuntur litteræ ab Arist. significativa terminorum demonstrationis : in hac : *Omne B est A; sed C est B: Ergo C est A;* ubi *B*, significat medium verbum, *A* maior extreum, & *C* minus extreum.

35 *Dices* : Licet vox non significativa pro alio non accipiatur, est propriè terminus: Ergò non requiritur, eas litteras pro alio sumi, ut sint termini demonstrationis. Prob. ant. : Quod fit ex necessitate ob alterius defectum, non requiritur, illo existente; sed vocem sumi pro alio, de quo aliquid dicitur, fit ob necessitatem, ab ejus defectu, seu absentia provenientem : Ergò, dum vox *Bliſſiri*, de quâ aliquid dicitur, in hac propositione *Bliſſiri est vox*, est per se ipsam praesens, non requiritur *dictio*, seu *vox*, supponens pro *Bliſſiri*: Ergò *Bliſſiri* est propriè terminus, eti pro alio non accipiatur.

36 *Respon.*, negando ant. ; ad prob. dist. maj. : Si illo existente, fit eodem modo, ac per ejus substitutum, conced. maj. ; si secùs, nego major. ; & distinguo min. : Ob ejus defectum pure naturalem, & physicum, nego minor. ; ob ejus defectum artificiosum, conced. min. , & nego conseq. Utimur in artefactis dialecticis vocibus loco rerum, quia res ad locutionem adducere non possumus : Non præcisè, quia eas adducere non possumus physice, & naturaliter ; sed quia adducere non possumus artificialiter, seu ita, ut induantur dialectico artificio : Cum autem *Bliſſiri* solum naturaliter, sicut suspiria, & gemitus, ad locutionem veniat, non verò artificiosè ; ideo non est terminus.

37 *Repl. Bliktiri* venit in locutionem absque voce subintellecta: Ergò venit artificiosè. Prob. ant.: *Ly vox*, quod per nos subintelligitur, non supponit pro *Bliktiri*: Ergò. Prob. ant.: Si proferatur *vox*, quin adjungatur *Bliktiri*, non supponit pro *Bliktiri*: Ergò etiā subintelligatur, vel non supponit pro *Bliktiri*, vel supponit, non ratione sui, sed ratione *Bliktiri*. *Resp.*, nego ant.; ad prob. nego ant.; ad alteram prob. concessio ant., nego conseq. Et isto argumentum: Si proferatur *Petrus*, quin entitas Petri mente concipiatur, non supponit pro Petro: Ergò si proferatur, Petro mente concepto, vel non supponit, vel erit ratione entitatis conceptæ?

38 *Respon. iterum*; negando ultimam consequent. Quia *vox* ex hominum institutione habet, quod ex se repräsentet vocem in communi, & quamlibet in particulari, cui adjungatur; sicque ex se, propriaque institutione habet, quod adjuncta voci *Bliktiri*, pro ista supponat: Inde fit, ut *vox* ex se non sit instituta ad significandam vocem in particulari, sed solū ex adjunctione illius.

ARTICVLVS IV.

Quotuplex sit Terminus?

I **T**erminus primò dividitur in formalem, & objectivum. *Formalis* est, qui, pro alio supponens, simplicem conficit propositionem; v. gr. *vox homo*. *Objectivus* est objectum, seu significatum (1) termini formalis; v. gr. homo significatus per illam Quest. 2. vocem. *Adverte* tamen, divisionem istam esse analogicam; nam objectivus non est propriè Terminus. Et artic. I. num. 10. ratio est; quia, ut satis constat, (1) *Terminus* debet es-

se pars propositionis, vel saltē orationis; conceptus autem objectivus non est pars orationis, ea enim debet esse significativa, ut suprà deditum (2) ex D. Thoma; sed Terminus objectivus non significat, sed significatur: Ergò non est propriè terminus.

(2)

Quæst. 2.
art. 3. n^o

11.

2 Subdividitur Terminus formalis in *mentalem*, *vocalem*, & *scriptum*. Primus est: Conceptus mentalis, simplicis propositionis mentalis constitutivus. Conceptus subdivisiones tradidimus *quest. 1. art. 3. num. 5.* Nomine *conceptus* non intelligimus ipsum formalem actum intellectus, sed terminum per talem actum productum, qui verbum mentis dici solet. Secundus est *vox* compositiva simplicis propositionis vocalis. Et tertius character, simplicis propositionis scriptæ constitutivus.

3 Secundò dividitur Terminus in *categorematicum*, & *syncategorematicum*. Primus est, qui per se aliquid significat ad modum per se stantis, & ab alio non dependentis, ut *homo*. Secundus est, qui non aliquid significat, sed aliqualiter; idest, non ad modum per se stantis, sed per modum modi ab alio dependentis, ut *velociter*. *Adverte 1.* Significare per modum *rei per se stantis*, esse significare rem, quæ per se, & independenter ab alio possit esse subjectum, & prædicatum, sive res significata sit entitas, aut modus. Significare autem per modum modi, est significare rem, quæ sit modificatio subjecti, aut prædicati. *Adverte 2.*: Notas universalitatis, ut *omnis*, *nullus*, aut particularitatis, ut *aliquis*, adverbia, conjunctiones, & alia hujusmodi, esse terminos syncategorematicos: Idem intellige de casibus obliquis; contrarium vero de nominibus adjectivis. (3)

4 Terminus categorematicus subdividitur pri-
mo in *communem*, & *singularem*. Communis est, qui

(3)

Vide D.
Thom. I.
part. q. 3 r
art. 3. in
corpore.

K.

signi-

significat rationem communem pluribus, de quibus divisim valet affirmari; v. gr. *homo*. Particularis est, qui de uno tantum valet affirmari, ut *Petrus*. Hic autem potest esse, vel determinatus, ut *Petrus*; vagus, qui singulare indeterminatè significet, ut *aliquis homo*; & ex suppositione, qui ex aliquà suppositione unum tantum significat, ut *Filius Virginis*, qui Christum Dominum significat; quia solus iste de Virgine Matre natus fuit.

5. Terminus autem communis triplicem habet subdivisionem. Prima est: *Intranscendentem, non transcedentem, & supertranscendentem*. Primus est, qui de quolibet ente, & de qualibet ejus differentiâ verificatur: Sant autem sex *Res, Ens, Vnum, Bonum, Aliquid, & Verum*, qui juxta litteras initiales hâc barbarâ dictione Reubau continentur. Secundus est, qui non de omnibus, sed de aliquibus entibus affirmatur, ut *Animal*. Tertius est, qui etiam ad non-entia se extendit, ut *intelligibile, immaginabile*. Secunda subdivisio. Termini communis est in *collectivum*, qui plura significat copulatim; ut *Populus Matritum: & divisivum*, qui plura divisim significat; ut *homo*.

6. Tertia subdivisio Termini communis est in *Vnivocum, Æquivocum, & Analogum*. Primus est, qui rationem pluribus sine diversitate communem significat, ut *homo*. Secundus est, qui significat plura, ut diversa; v. gr. *Canis*, significans Canem, coelestem, terrestrem, & marinum, quibus nihil, præter nomen, in ratione canis, adest commune. Tertius est, qui significat rationem communem pluribus cum diversitate, ut *sanum*, significans rationem sani, inæqualiter, & cum diversitate participabilem ab animali, pulsu, & Medicinâ: nam animal participat sanitatem per modum subjecti; pulsus per modum signi; & Medicina per modum causæ.

Pro

7 Pro Æquivocis tres assignantur regulæ. Prima est: *Propositio de Termino æquivoco non est absolutè concedenda, neque absolutè neganda, sed tamquam dubia distingutndā.* Secunda est: *Si Termino æquivoco adjungatur adjectivum, ad unum determinans, tollitur æquivocatio; ut si dicas: Canis latrabilis.* Tertia est: *In æquivocis non datur contradic̄tio.* Ideoque, si dixeris: *Canis latrat, & non latrat;* utrumque est verum, si primum de Cane terrestri, & secundum de cœlesti intelligatur.

8 Pro Analogis duæ tantum statuuntur regulæ. Prima est: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori, seu nobiliori significato:* Ideò dum absolute dicimus homo, stat pro homine vivo, & non pro picto. Secunda est: *In Analogis talia sunt subjecta, qualia denotantur à suis prædicatis;* ut si dicas: *homo est pictus,* ly homo intelligitur de picto; ad quod determinatur per prædicatum.

9 Secundò subdividitur terminus categoriematus in *in absolutum, & connotativum:* Primus est, qui significat rem per modū per se stantis, seu substantivē, sive significatū sit substātia, vel nō; ut homo, albedo. Secundus est, qui significat adjectivē, seu per modū alteri allitterentis, sive in rei veritate inhæreat, ut album; sive tantum significetur, ut inhærens, v. g. rationale. Ex quibus intelliges, terminum connotativum unum significare, & pro alio supponere; nam principaliter significat formam, quæ est significatum formale; supponit autem pro subjecto illius formæ, quod est ejus significatum materiale: Ideo album significat albedinem, & supponit pro corpore, cui inest.

10 Tertiò subdividitur in *concretum, & abstractum.* Primus est, qui significat formam, prout in subjecto, ut album. Secundus est, qui significat formam, ut à subjecto separatam; v. g. albedo. Advertendum

est in præsenti, omnem terminum abstractum esse absolutum; at non è contrà: quia *homo* est terminus absolutus; sed non abstractus. Pariter: Quamvis omnis terminus connotativus sit concretus; non verò è contrà: quia *homo* est concretus; sed non connotatus.

11 *Quartò*: Terminus categorematicus, alter est *primæ intentionis*, alter *secundæ intentionis*. Primus est, qui rem significat secundùm esse, quod habet à parte rei, seu independenter ab intellectu, v. g. *homo* significans hominis entitatem. Secundus est, qui rem significat secundùm esse, quod habet ab intellectu, ut *species, genus, &c.* *Quintò*. Subdividitur in *finitum*, & *infinitum*. Primus est, qui aliquid determinatè significat, ut *Petrus*. Secundus est, qui nihil determinatè significat; sed solùm denotat, quid res non sit, ut *non-homo*. Redditur itaque Terminus finitus infinitus, si particula *non* præponatur:

12 *Denique*: Terminus Categorematicus, alter est *complexus*, alter *incomplexus*. Primus est, qui plures habet partes per se significativas diversarum rerum, ut *homo albus*. Secundus est, qui tales partes non habet, ut *homo*. Ad Terminum complexum tres requiriuntur conditiones. *Prima* est: quòd partes sint ordinatae; ideo *homo lapis* non est terminus complexus. *Secunda* est: quòd ex parte rei significatæ habeat plurimalitatem conceptuum: Ideò *Intellectio humana* non est terminus complexus; neque *Synonima*, ut *gladius ensis*; neque *nomina compositæ* figuræ, ut *Respublica*. *Tertia* est: quòd ejus partes idem separatæ significant, ac conjunctæ; propterea *Dominus* non est terminus complexus.

13 *Nunc inquirimus*: Vtrum Terminus syncategorematicus sit propriè Terminus? *Respon.* negativè cum

cum D. Thom. : (4) Alia verò (id est syncategorematum) sunt *magis colligationes partium orationis* :: quam *orationis partes*. Et ratio est : quia Terminus debet esse pars per se compositiva ; Syncategoremata autem solum per accidens componunt propositionem , sicut albedo hominem ; quia , seclusis syncategorematibus , adhuc manet *integra propositio* , ut patet in ista : *Petrus est valde ignarus Logicæ* , quæ remanet *integra* , ablatis *valde* , & *Logicæ*. Sunt ergo affectiones partium ; non verò propositionis partes.

(4)

D. Thom.
In 1. Per-
bier. lett.
I.

14 Dices : Hi termini syncategorematici: *Nullus*, non variant propositionem essentialiter , cum illam reddant de affirmativa negativam : Ergo sunt partes *essentialies*, atque adeo termini. Resp. , propositionem posse variari ratione termini syncategorematici ; non quidem per modum partis , sed per modum *affectionis partium*. Nota , terminum infinitum , & comple- xum esse propriè terminos ; quia valent esse subjectum , & prædicatum formaliter talia.

QUÆSTIO III.

DE PROPRIETATIBVS TERMINI:

ARTICVLVS I.

De Suppositione.

Termini proprietates sunt *Suppositio* , *Ampliatio* , *Restriktio* , *Diminutio* , *Alienatio* , & *Appellatio* , quibus à nonnullis adduntur *Status* , & *Remotio*. Impræsentiarùm de Suppositione , de reliquis articulo sequenti acturi , differimus. Definitur itaque Suppo-

Suppositio: Acceptio termini pro alio, de quo verificatur juxta exigentiam copulae. Ponitur acceptio loco generis; per id enim convenit Suppositio cum pura significacione, quae est acceptio termini pro aliquo, sed non juxta exigentiam copulae. Intelligitur autem non de acceptance activa, quae est actus intellectus, accipiens terminum; sed de passiva, quae est ipsum accipi terminum pro aliquo.

2 Ponimus in definitione *Pro alio*; id est pro re significata; perque id jam excluditur à propriâ ratione Suppositionis Suppositio materialis, quae est acceptio termini pro se ipso. Per ly *De quo verificatur, &c.* exprimitur, vocem non supponere præcisè, quia pro alio accipitur; ideo enim tantum significat: sed requiri significatum per terminum debere existere tempore denotato per copulam. Propterea Petrus in hac propositione: *Petrus est homo*, supponit: At vero *Antichristus* in istâ: *Antichristus loquitur*, non supponit; quia non existit de præsenti, prout denotatur per copulam.

3 Neque infringit nostram doctrinam, quod opponit P. Loffada. (1) nempè, quemlibet terminum, cùm habeat termini essentiam, debere supponere; quia proprietas essentiam comittatur. Dicimus enim, proprietates termini non esse absolutas, eique convenientes in omni statu, sed tantummodo in statu compositionis; idque non semper, sed cum existit id, quod requiritur, ut ei convenient; ut clarè patet in singulis, quarum nulla convenit in omni statu compositionis. Cætera, quae nobis ibidem opponit, nihil contra nos inferunt difficultatis: fatemur namque, terminos, sive in propositione verâ, sive falsâ, supponere; dummodo significatum existat tempore denotato per copulam, ut in istis: *Antichristus erit sanctus*: *Adamus fuit justus*.

Jam

(1)
P. Loffada, dis-
put. 5. cap.
I. num. 5. & 6.

4 Jam intelliges; non esse idem propositionem esse veram, ac terminos ejus verificari: Primum consistit in eo, quod res ita se habeat, sicut per propositionem enuntiatur: Secundum in eo, quod significatum termini existat tempore denotato per verbum: Propterea, haec propositio est falsa: *homo est lapis*; cuius tamen termini verificantur: Haec autem est vera: *Antichristus non disputat*; ejusque termini non verificantur. Ex quibus manifestum est, dari propositionem de subiecto non supponente; quae, si negativa est, est vera; si autem affirmativa, falsa. Nec dicas, (2) hanc esse de subiecto non supponente, & quidem affirmativam, *Adam est mortuus*; & tamen est vera. Dicimus enim, esse implicitè negativam; quia reddit hunc praesensum: *Adam non vivit*.

(2)
P. Loffa:
da ubi su:

Suppositio quotuplex?

5 Cum Suppositio ad tria dicat ordinem; nempe ad objectum, pro quo supponit; ad copulam, juxta cuius exigentiam verificantur; & ad notam universalitatis, aut particularitatis, qua terminus afficitur: ex triplici capite Suppositio dividiri potest. Qua igitur parte Suppositio respicit objectum, dividitur in *Materialem*, & *Formalem*. Prima est: *Acceptio termini pro se ipso*; ut in hac propositione: *Blichtiri est vox*; in qua *Blichtiri* pro se ipso accipitur. Secunda est: *Acceptio termini pro significato distincto*; ut *Petrus est homo*. Suppositio materialis non est propriè Suppositio; quia haec debet esse artificialis significatio; illa autem est pura naturalis sui ostensio. (3)

6 Agnoscetis, subiectum materialiter supponere, primo, si sit vox non significativa; ut in exemplo supra posito: Secundò, si apponantur signa materialitatis, qua-

(3)
Vide, que
diximus,
quest. 2.
art. 3.con-
clus. 2 per
totam.

les.

Ies sunt, vox, dictio, terminus, &c. v. gr. vox homo. Tertio, si prædicatum non rem, sed vocem significet; ut si dicas: *Homo est nomen*. Suppositio formalis duplice gaudet subdivisione. Primo subdividitur in propriam, & metaphorisam. Propria est: *Acceptio termini pro significato proprio*, ad quod est impositus; v. gr. *Leo rugit*; ubi *Leo* supponit propriè pro vero Leone. Metaphorica est: *Acceptio termini pro significato metaphorico*; v. gr. *Vicit Leo de tribu Juda*; ubi *Leo* metaphorice supponit pro Christo Domino.

7 Secundò subdividitur Suppositio formalis in simplicem, & personalem. Simplex est: *Acceptio termini pro significato*, ut secundà intentione superinduto; v. gr. *Homo est species*; ubi ly *homo* supponit simpliciter, quia significat naturam humanam, ut superindutam secundà intentione speciei. Personalis est: *Acceptio termini pro significato*, ut non induito secundà intentione superaddita; v. gr. *Homo est animal*; ubi *homo* supponit personaliter, quia significat naturam humanam secundum sua prædicata intrinseca tantum. Adverte, subjectum hujus propositionis: *Genus est prædicabile*, supponere personaliter, licet significet naturam indutam generitate; quia generitas est de intrinsecè ratione naturæ, ut genericæ; sicque generitas non est secunda intentio superaddita generi; licet sit naturæ. (4)

(4)
Vide Los-
sada, dis-
put. 5. cap.
2. à num.
4. usque
ad 8.

8 Adverte 2. In termino, personaliter supponente, posse fieri descensum ad inferiora copulativè; itaque valet: *Homo est animal*: *Ergò Petrus est animal*, *Paulus est animal*, &c. Hic verò descensus non valet in termino, simpliciter supponente; quia non valet: *Homo est species*: *Ergò Petrus est species*. Adverte 3.: Terminum communem, personaliter supponentem, significare immediatè naturam communem præcisiè à secundà intentione, & mediatè ejus singularia;

sic-

sicque homo immediate naturam humanam; mediata Petrum, & Paulum significat.

9 Ratione habitudinis ad copulam dividitur Suppositio in naturalem, & accidentalem. Naturalis, quæ & necessaria dicitur, est: *Acceptio termini pro omnibus, pro quibus potest accipi;* v. gr. *Homo est animal;* ubi ly homo accipitur pro omnibus hominibus, sive præsentibus, sive futuris, sive possibilibus: cuius signum est, quod ad omnes valeat descensus. Accidentalis, quæ contingens appellari solet, est: *Acceptio termini pro his tantum, quibus convenit prædicatum accidentale;* v. gr. *homo est albus;* ubi homo solùm supponit pro hominibus existentibus, quibus solùm convenire potest esse album. In propositione itaque necessaria termini supponunt necessariò; contingenter in contingentí.

10 Ratione habitudinis ad signa, seu notas universalitatis, & particularitatis dividitur Suppositio in communem, & singularem. Communis est: *Acceptio termini pro significato pluribus communi;* v. gr. *Omnis homo est animal;* ubi ly homo significat immediate naturam humanam pluribus communem. Singularis est: *Acceptio termini pro singulari, seu determinato significato;* ut *Petrus, hic homo.*

11 Suppositio communis subdividitur in distributivam, collectivam, determinatam, & confusam. Distributiva est: *Acceptio termini communis pro suis inferioribus seorsim sumptis;* ita, ut de singulis verificetur idem prædicatum; ut homo in hac propositione: *Omnis homo est animal.* Quod si terminus communis accipiatur pro omnibus inferioribus, tūm immediatis, tūm mediatis; id est, tām pro speciebus, quām pro individuis; supponit distributivē completē: si verò pro solis immediatis; id est pro speciebus; supponit distributivē incompletē: Exemplum primi est: *Omne ani-*

mal est sensitivum. Exemplum secundi: Omne animal fuit in Arcâ Noe: Cujus sensus est, quod omnes species animalium fuerunt in Arcâ Noe; sed non omnia individua. Prima suppositio dicitur pro singulis generum: Secundâ pro generibus singulorum.

12 Suppositio collectiva, quæ, & copulativa dici solet, est: Acceptio termini pro suis inferioribus, non divisivè, sed collectivè sumptis; ita, ut de singulis non verificetur idem prædicatum; v. gr. Apostoli in hac propositione: Omnes Apostoli Christi sunt duodecim. Nota: in suppositione distributiva valere descensum ad omnia singularia copulativè; v. gr. Omnis homo est animal: Ergò Petrus, & Paulus, & Antonius sunt animal: neutiquam verò in collectiva. Dignoscitur, terminum communem collectivè supponere, si ex parte sujetū sit particula *omnis*; & resolvi non possit in hanc particulam quilibet, aut *singuli*; vel ex parte prædicati dentur termini numerales, ut *duo*, *sex*, *duodecim*, &c.

13 Suppositio determinata, quæ disjunctiva à nonnullis appellatur, est: Acceptio termini pro suis significatis disjunctivè, & seorsim sumptis, scu: Acceptio termini pro aliquo significato determinabili; quæ de causa ab aliquibus Suppositio dicitur determinabilis; v.g. Aliquis homo est albus; ubi homo determinatè supponit. Adverte, quod sicut in suppositione personali, & in distributiva valet descensus ad inferiora copulativè; ita valet divisivè in suppositione determinata; v. gr. Aliquis homo est albus: Ergò vel hic, vel ille, vel ille est albus. Est itaque Descensus Consequentia à superiori ad inferius: sicut consequentia ab inferiori ad superiori dicitur Ascensus.

14 Suppositio confusa est: Acceptio termini communis pro aliquo significato vagè, & absque ullâ determinatio-

natione ; v. gr. Requiritur oculus ad videndum ; ubi oculus supponit confusè , vel pro dextero , vel sinistro : quia neuter determinatè requiritur ad videndum ; cum possit cum altero , altero deficiente , videri. In hac suppositione solum valet descensus ad inferiora sub disjunctione ex parte extremi , pro quo terminus confusè supponit ; v. gr. Requiritur oculus ad videndum : Ergò requiritur vel dexter , vel sinister.

Regula Suppositionis.

15 Diversimodè à diversis traduntur regulæ Suppositionis. Nos , quà majori poterimus claritate , eas trademus. Cum autem Suppositio in propositionibus indefinitis , illis nimirum , cuius subiectum nullà afficitur notà universalitatis , vel particularitatis , ex his notis , aut signis cognosci non possit ; pro his statuitur generalis regula : *Propositio indefinita in materia necessarià æquivalet universalì ; in materia vero contingentì particulari respondet : Si autem sit propositio singularis ; in quavis materia æquivalet particulari , quoad præsens.*

16 Ex quà regula jam infertur , idem esse , quoad præsens intentum : *Homo est animal , ac Omnis homo est animal : Idem pariter : Homo est doctus , ac Aliquis homo est doctus : Idem denique est dicere : Petrus est rationalis , aut Petrus est doctus , ac Aliquis homo est doctus , aut Aliquis homo est rationalis :* Cùm solà differentià , quòd Petrus supponit determinatè , & quidem singulariter ; at vero aliquis homo solum determinatè ; & quoad hoc tantùm primus terminus æquivalet secundo. *Ex quibus jam agnosces , quomodo subiectum , & prædicatum supponunt in propositionibus indefinitis ; si qualiter supponant in his , quæ notis afficiuntur universalitatis , aut particularitatis , quibus*

illæ æquivalent, perfectè caleas, ut facile poteris ex regulis infrà referendis.

17 Quia tamen ex signorum varietate variatus Suppositio; sciendum est, quatuor esse signorum species. Quædam signa sunt purè universalia, sive affirmativa, ut *omnis*, *quilibet*; sive negativa, ut *nemo*, *nullus*. Quædam sunt purè particularia, sive affirmativa, ut *aliquis*, *quidam*; sive negativa, ut *aliquis non*, Alia sunt mixta ex universali, & particulari, ut *uterque*; id est, *duorum omnis: neuter*; id est, *duarum nullus: alter*; id est, *duorum aliquis, &c.* Alia denique sunt signa specialis confusionis, ut *requiritur*, *promitto*, *ne esse est*.

18 Regula 1. pro signis universalibus: Signum universale affirmativum facit, subjectum supponere distributivè, prædicatum verò confusè; v. gr. *Omnis homo est animal*; ubi *homo* distributivè supponit: ideoque valet descensus copulativus ad singularia: *Ergo, & hic, & ille homo est animal*. Animal verò non supponit distributivè; quia non valet: *Ergo omnis homo est hoc, & illud, & illud animal*: Supponit quidem confusè. Signum autem universale negativum, tam subjectum, quam prædicatum facit distributivè supponere; v. gr. *Nullus homo est lapis*: ideo valet descensus; tūm ex parte subjecti: *Ergo nec iste homo, nec ille, nec ille est lapis*: Tūm ex parte prædicati: *Ergo nullus homo est hic, nec ille, nec ille lapis*.

19 Regula 2. pro signis particularibus: Signum particulare affirmativum facit, tam subjectum, quam prædicatum supponere determinatè; v. gr. *Aliquis homo est albus*: ideoque valet descensus divisivus, tam ex parte subjecti; v. gr. *Ergo vel hic, vel ille, vel ille homo est albus*; quam ex parte prædicati; v. g. *Ergo aliquis homo est hoc, vel illud, vel illud album*. Signū verò particulare

nega-

negativū facit, supponere subjectum determinatè; prædicatum verò distributivè; v. gr. *Aliquis homo non est albus*: ideoque ex parte subjecti valet descensus divisus ad inferiora; ex parte autem prædicati copulatus in sensu negativo.

10 Regula 3. pro signis specialis confusionis: Signum specialis confusionis facit, supponere terminum confusè, ut *Requiritur oculus ad videndum*. Promitto tibi equum. Pro signis mixtis advertendum est, ea regulariter supponere juxta exigentiam signi, cui æquivalent; v. gr. *Alter eodem modo ac aliquis; neuter eodem modo, ac nullus; uterque eodem modo, ac omnis*. Nota tamen, signum *uterque* aliquando supponere collectivè, cùm ita supponere, indicat prædicatum; v. gr. *Vterque equus agit currum*. Nota 2. Signa ista semper debere procedere de binario aliquo determinato; & nisi ita procedat arguens, debet respondens binarium inquirere, de quo loquantur. Ex quibus sic inutilis distributio signorum pro singulis binariis. (5)

21 Doctrina de signis mixtis applicanda est adverbii loci, & temporis; nam ubique idem valet, ac omni loco; sicuti idem, ac aliquo loco; semper idem ac omni tempore; aliquando, idem, ac aliquo tempore. Præter dictas regulas ad discernendas suppositiones, quæ à signis variari solent, deservientes, statui solet regula: Quod subjectum supponat juxta exigentiam prædicati. Quare: Termini secundæ intentionis faciunt, supponere subjectum simpliciter; termini verò primæ intentionis personaliter. Item: Prædicatum necessarium facit, supponere subjectum naturaliter; contingens vero facit, subjectum supponere accidentaliter; & sic de aliis.

(5)
Vide Los-
sada hic,
disput. 5.
capite 3.
num. 5.

ARTICVLVS II.

De reliquis Terminis proprietatibus.

1 **A**mpliatio secunda termini proprietas sic definitur: *Extensio termini à minori ad maiorem significationem*; v. gr. *Prædestinati salvantur*; ubi *prædestinati* ampliatur ad *prædestinatos*, qui sunt, fuerunt, vel erunt.—*Restrictio Ampliationi opposita est*: *Coarctatio termini à maiori ad minorem significacionem*; v. gr. *Homo currens disputat*; ubi *homo* restringitur, ut solos homines, nunc currentes, significet. Hic solet addi *Status*, tanquam medius inter Ampliationem, & Restrictionem; qui est: *Acceptio termini secundum tempus per copulam expressum*.

2—Quemadmodum igitur de ratione Ampliationis est nedum ampliare terminum à significato de præsenti ad significatum de præterito, aut futuro, ut patet in exemplo suprà adducto, sed etiam ampliare eum à significato de præterito, aut futuro ad significatum de præsenti, ut in hac propositione *Justus fuit peccator*; & de ratione Restrictionis est restringere, sive de præsenti, de præterito, aut futuro ad speciale significatum: ita de ratione, *Status est relinquere terminum absque Ampliatione*, & *Restrictione in suo Statu importato per verbum*, sive de præsenti, sive de præterito, aut futuro. (1)

(1)
Vide Los-
sada hic,
disput. 5.
cap. 4. n.
2. & 3.

3—Ampliatio est duplex: Altera, quoad significata; altera, quoad tempora. Quoad significata contingit, quando terminus accipitur pro pluribus significatis, v. gr. *Peccatores punientur*; ubi *peccatores* ampliatur ad omnes peccatores. Quoad tempora evenit, quando terminus accipitur in ordine ad plures temporis

poris differentias disjunctivè , ut in hac propositione : *Homo est animal* ; ubi *homo* accipitur pro eo homine, qui fuit , est , vel erit. Adverte hic , quinque distingui à Dialecticis temporis differentias , *præsens* , *præteritum* , *futurum* , *possibile* , & *imaginarium*.

4 - Circa Restrictionem advertendum est , eam varijs modis fieri posse. Primò per adjectivum , ut *Homo doctus* disputat : Secundò per appositionem inferioris , ut *Rex Philippus imperat* : Tertiò per relativum , ut *Homo* , qui transit per plateam , currit : Denique per quodvis additum , quo termini amplitudo limitetur.

Regulae , & loci arguendi.

5 - Regula 1. Terminus communis , cuius prædicatum est necessarium , ampliatur ; tūm quoad significata ; tūm quoad tempora ; v. gr. *Homo est animal* ; ubi *homo* significat omnes homines , sive præsentes , sive præteritos , sive futuros , aut possibiles. Regula 2. Terminus singularis , cuius prædicatum est necessarium , ampliatur , quoad tempora ; non verò , quoad significata ; v. gr. *Petrus est animal rationale* ; ubi *Petrus* solum Petru complectitur ; at non solum Petrum existentem , sed præteritum etiam , futurum , & possibilem. Idem intelligendum de propositionibus , cuius prædicatum est contingens (quod alioquin subjectum non ampliat) quando ingrediuntur hæ dictiones : *poteſt* , *possibile* ; v. gr. *Album potest esse nigrum*.

6 - Regula 3. In propositionibus , cuius subjectum est terminus connotativus , copula de præterito ampliat subjectum ad præsens , vel præteritum ; copula autem de futuro , ad præsens , vel futurum ; copula denique de præsenti relinquit subjectum pro statu de præsenti , absque ampliatione. Exemplum primæ partis : *Justus fuit peccator* ; cuius sensus est , quod *Justus* , qui

qui nunc est , vel fuit , fuit peccator. Exemplum secundæ partis: *Justus erit peccator*; idest: qui est , vel erit *Justus* , erit peccator. Exemplum tertiae partis: *Justus est peccator*; quæ prōpositio est falsa, cum reddat hunc sensum : *Qui nunc est Justus , est nunc peccator*.

7— Circa tertiam Regulam adverte 1. : Eam non valere, si subjectum non sit terminus connotativus, sed absolutus; ut patet in his : *Dies crastina erit dominica*: *Dies hēsterna fuit sabbatum*. Adverte 2. : (2) Præsentem regulam intelligendam esse de termino connotativo pro formalī significato ; quia de materiali semper debet importari tempore designato per verbum; licet aliunde in aliâ temporis differentiâ existat. Adverte 3. : (3) Aliquando præsentem regulam non esse veram , quoad tertiam partem , si terminus connotativus ex usu , & modo loquendi sit determinatus ad significandam formam de præterito convenientem; ut patet in his enuntiationib⁹ evangelicis : *Cæci vident*; *claudi ambulant*; ubi *cæci* , & *claudi* sumuntur pro his, qui fuerunt *cæci* , & *claudi*.

(2)
Gilab. hic,
quæst. 5. §.
5.n. 278.
Et Colleg.
D. Thom.

(3)
Vide Gila-
bert. ubi
sup. num.
279.

8— Ut in locis arguendi claritate possibili procedamus, diligenter advertendum est , non esse idem terminum amplum, ac non restrictum , neque terminum restrictum, ac non amplum ; quia hic terminus *homo*, neque est restrictus , neque amplius, sed est secundum statum. Quare : *Omnis homo est terminus amplius*; *homo doctus est restrictus*; & *homo*, neque est amplius , neque restrictus. In ampliatione itaque his sex modis argui potest : 1. A restricto ad non restrictum: 2. A non restricto ad restrictum: 3. Ab amplio ad non amplum : 4. A non amplio ad amplum: 5. Ab amplio ad restrictum: 6. A restricto ad amplum.

9— Primus locus: *A termino restricto ad non restrictum* valet affirmatiæ consequentia , siyè terminus se-

habeat ex parte subjecti , sive ex parte prædicati; v. gr. *Homo doctus disputat* : *Ergo homo disputat* : *Petrus est homo doctus*: *Ergo est homo*. At non valet negativè: *Non est homo doctus* : *Ergo non est homo* : *Homo doctus non currit* : *Ergo homo non currit*. Secundus locus: *A non restricto ad restrictum*, ex parte prædicati valet negativè; v. gr. *Non est homo* : *Ergo non est homo doctus*: non verò affirmativè: *Est homo* : *Ergo est homo doctus*. At verò ex parte subjecti , si propositio sit in materia necessarià , aut impossibili, valet utroque modo; v. gr. *Homo est animal* : *Ergo homo doctus est animal* : *Homo non est lapis*: *Ergo homo doctus non est lapis*.

10 — Et ratio hujus doctrinæ est ; quia propositio indefinita in materia necessarià æquivalet universalis, idemque est dicere: *Homo est animal* , ac *Omnis homo est animal* : *Homo non est lapis* , ac *Nullus homo est lapis*. Si autem propositio sit in materia contingentis, dictus locus, nec valet affirmativè, nec negative, (4) sic que non valet: *Homo currit* : *Ergo homo doctus currit*; neque valet: *Homo non est albus*: *Ergo homo doctus non est albus*. Et hujus ratio est ; quia propositio indefinita in materia contingentis æquivalet particulari , ac proinde idem est *Homo currit* , ac *Aliquis homo currit*; *ex qua non infertur*: *Ergo homo doctus currit*.

11 — Tertius locus: *Ab amplio ad non amplum* valet tum affirmativè , tum negativè; v. gr. *Omnis homo est animal* : *Ergo homo est animal*: *Nullus homo est lapis*: *Ergo homo non est lapis*. Quartus: *A non amplio, ad amplum*, tam affirmativè , quam negativè valet in materia necessarià ; sed non in contingentis , ob discrimina suprà posita ; valet itaque: *Homo est animal*: *Ergo omnis homo est animal* : *Homo non est lapis*: *Ergo nullus homo est lapis*. Hæc tamen consequentia solùm tenet ratione materiae ; non ratione formæ,

(4)
P. Loffa-
da, disp.
5. cap. 4.
num. 9.

12—Quintus locus: *Ab amplio ad restrictum*, sive affirmative, sive negativa valet; v. gr. *Omnis homo disputat*: *Ergo homo doctus disputat*. *Nullus homo currit*: *Ergo homo doctus non currit*. Sextus locus: *A restricto ad amplum ratione formæ nullo modo valet*; v. gr. non valet: *Homo doctus disputat*: *Ergo omnis homo disputat*. *Homo doctus non errat*: *Ergo nullus homo errat*. Ceterum in materia necessariæ, & impossibili potest admitti consequentia, ratione materiae. Alias regulas, alios que arguendi modos omissimus; quia obscuritate, & non raro falsitate laborant. (5)

(5) *Vide Gilab. hic, q. 5. S. 5. n. 27. 5. & 28. 1. Et P.*

Loffada, disp. 5. ca.

4. à num.
14. ad finem usq.

(6) *Gilabert. quest. 5. S. 6. num. 28. 3.*

(7) *Gilab. dis-putat. 5. S. 4. à num.*

184.

(8) *Palanc. Bonavent. Coll. Rip. Irrib. Ser-vera, Lof-sada, & alii.*

DIMINUTIO, ALIENATIO, ET APPELLATIO.

13 **D**iminutio est Reductio significationis totalis ad partialem significationem; v. gr. *Ætiops est albus secundum dentes*; ubi *tō albus*, quod totalem ex se subjecti albedinem significat, est diminutum, ut dentium solummodo significet albedinem. A termino diminuto ad non diminutum valet consequentia solum in dehominationibus, quæ dicuntur de toto ratione partis, cui ex sua natura conveniunt; v. gr. *Petrus est crispus secundum capitulos*: *Ergo Petrus est crispus*. Huc solet reduci Remotio, quæ nihil est aliud, quam implicantia in terminis; (6) v. gr. *Homo irrationalis dis-putat*.

14 Alienatio est: Determinatio significationis termini ad differentiam temporis per copulam non expressam; v. gr. *Antichristus est futurus*; ubi *ly Antichristus*, quod sumi deberet pro *Antichristo* existenti, ut denotat copula de praesenti, alienatur ratione prædicati ad *Antichristum*, qui erit. Quapropter inferre licet, (7) irreducere definiri Alienationem ab aliquibus: (8) *Dis-trac-tio termini à propriâ ad impropriam significationem*; v. gr.

gr. *Homo est pictus*; ubi *homo* alienatur, dum sumitur pro *picto*. Et ratio est: Quia hujusmodi acceptio termini pro significato improprio frequenter accipitur pro Suppositione metaphorica, ut vel ipsi Authores fatentur: Ergò irrectè definitur sic *Alienatio*, ut distincta ab aliis proprietatibus.

15 *Appellatio* est: *Applicatio significati formalis unius termini ad significatum alterius*; v. gr. *Petrus est magnus logicus*, ubi denotatur magnitudinem convenire Petro, non ratione quantitatis, sed ratione Logicæ: Quare ly *magnus* cadit suprà ly *logicus*. Primus terminus dicitur *appellans*; secundus dicitur *appellatus*. Quod si terminus *appellans* cadat suprà materiale appellati, dicitur Appellatio materialis; si suprà formale, dicitur formalis: Exemplum primi est: *Petrus albus est musicus*; ubi *albus* non cadit suprà formam illius termini *musicus*, quæ est musica; sed suprà materiale, quod est subiectum. Exemplum secundi est suprà adductum.

16 Summà est advertendum diligentia, supra quid terminus appellebitur; nam ex variatione Appellationis, variæ oriuntur syllogismorum fallaciæ; ut si de *Petro* quantitate magno, parvum Logicæ sapiente, dicas: *Petrus est magnus*; sed est *logicus*: Ergò est *magnus logicus*. Ut id agnoscatur, variæ solent à Dialecticis tradi regulæ: at confusionem potius, quam claritatem parit incipientibus tanta regularum multitudo, quarum non paucæ falsum tenent. (9) Vnica igitur, & quidem optima, observetur regula Mag. Gilaberte; (10) quæ erit distinguere propositionem, in qua detur equivocatio de Appellatione; v. gr. in dicto syllogismo concedes majorem, si tò *magnus* appellebit supra corpus; negabis, si appellebit supra Logicam, &c.

17 Notandum est ex D. Thomâ (11) circa nomi-

(9)

P. Loffada
disput. 5.
cap. 5. n.
4.

(10)

Gilab. ubi
suprà, n.
191.

(11)

D. Thom.
I. p. q. 39.
artic. 3.
Et 3 p. q.
3. artic. 7.
ad 2.

92 Lib. I. Quæst. IV. de Nomin. & Verbo.
na numeralia; quòd numeralia primitiva, ut *duo tres*,
&c. substantivis addita, principaliter numerant, seu
multiplicant formas, sique formaliter appellare di-
cuntur; addita verò adjectivis, multiplicant subjecta,
& quasi materialiter dicuntur appellare: idèò verum
est, in SSma. Trinitate dari tres Sanctos, Justos, &c.,
falsum verò, tres Dominos, Deos, &c. Numerale au-
tem derivativum poterit convenire concreto, vel ra-
tione formæ, vel suppositi; sique dicitur Deus Tri-
nus, & Vnus.

QUÆSTIO IV. DE NOMINE, ET VERBO. ARTICULUS I.

Quid sit Nomen?

Nomen dialecticè usurpatum optimè defi-
nitur: *Vox significativa ad placitum sine
tempore, cuius nulla pars separata significat finita,* &
recta. (1) Ponitur in definitione: *Vox significativa ad
placitum*, ut sit genus, quo Nomen Dialecticum cum
verbo, nominibusque grammaticis conveniat; & inde
à ratione Nominis excluduntur voces non significati-
væ; & quæ tantum naturaliter repræsentant, ut *ge-
mitus*: Excluditur etiam mentis conceptus; quia, re
concepta, si vocem, quæ nominari solet, ignoremus;
ejus nomen, fatemur, ignorare: Tùm etiam; quia
non ad placitum, sed ex suà naturà significat.

2 Ponitur in definitione *sine tempore*, ut differat
Nomen à verbo, quod cum tempore significat. *Enim
verò*

(1)
Colligitur
ex Arist.
I Perbier.
apud Div.
Thom. ibi.
lect. 4.

Verò, aliud est significare *tempus*, aliud connotare *tempus*, est aliud significare *cum tempore*. Etenim significare *tempus* est significare directè ipsam temporis fluentem entitatem, seu aliquam ejus partem; sive significare *tempus* hæc nomina *tempus*, *mensis*, *annus*, &c. Connotare *tempus* est significare aliquid fieri solitum tempore determinato; v. gr. hæc nomina, *prandium cena* connotant *tempus*; primum quidem meridianum, secundum vespertinum. Significare *cum tempore* est significare aliquid per modum actionis, vel passionis decurrentis in aliquà temporis differentiâ, ut *amo amaberis*. Et hoc ultimum Nomihi denegatur.

3 Sequitur in definitione: *Cujus nulla pars separata significat*; quibus verbis excluditur à ratione Nominis nomen complexum, cuius partes significant separatae. Et ratio hujus est; quia Nomen debet esse determinatum notamen rei certæ, & determinatæ, cui unicus internus correspondet conceptus. Si autem plures habeat partes per se, & ratione sui significativas; duplex erit notamen, eique duplex ex parte intellectus correspondet conceptus. Fit inde, ut & nomina æquivo- ca propriè non sint nomina; quia licet plures non habent partes formales, eas habent virtuales; cum plures habeant significaciones, ut patet in his dictionibus: *Canis, Gallus*.

4 Additur in definitione *finita*, ut excludantur nomina infinita, ut *non homo, non lapis*; per ea enim nihil determinatè significamus, neque per ea denotatur quid res sit; propterea nullam rem his nominibus nominamus. Ponitur denique particula *recta*, ad ex- cludendos casus obliquos; quia solus rectus est propriè Nomen, cum iste solus sit nominativus, quo rem directè, & absolute significamus; per obliquos autem indirectè solum, & per modum *cujus, cui, vel ad quæ*. (2)

(2)

Vide Di^o
Tbo. Quod
lib. 4. arr.
17. ad 3.

SOL.

SOLVVNTVR AGVMMENTA CONTRARIA.

5 **A**RGVES i. Nomina, quorum partes significant separatae, sunt propriæ talia: Ergò malè ponitur in definitione Nominis, *cujus nulla pars separata significat*. Prob. ant.: Hæc sunt propriæ nomina *Res publica, Erasmus, Bonaventura*; sed eorum partes significant separatae: Ergò. *Resp.*, dist. antec.: Quorum partes significant separatae idem, ac unitæ, neg. ant.; diversum, ac unitæ; concedo ant., & neg. consequent. Non est contra rationem Nominis, quod ejus partes significant separatae quid diversum ab eo, quod unitæ significant; quia prout illud diversum significant, non sunt partes Nominis, sed solum sub ea significatione, quam habent inter se unitæ; sicutque numquam verificatur, eas significare separatas, ut partes Nominis.

6 Dices: Hæc nomina *Juris peritus, Legislator* habent partes, quæ idem significant separatae, ac unitæ; sed sunt propriæ nomina: Ergò non est de ratione, aut essentiâ Nominis, quod ejus nulla pars separata significet idem, ac unita. *Conf. 1.*: Terminus complexus est propriæ terminus: Ergò pariter nomen complexum est propriæ nomen, et si ejus partes significant separatae. *Conf. 2.*: Sicut nomen complexum plura significat, ita nomen æquivocum; sed æquivocum juxta Arist. (3) est verè nomen: Ergò pariter.

(3)
Arist. in
Ante præ-
dicam.

7 *Ad instantiam resp.*, dist. mai.: Quæ idem materialiter significant, conc. maj.; idem formaliter, nego maj.; & concessâ min., nego conseq. Licet enim res significata per partes illorum nominum, sive separatas, sive unitas eadem sit; at significatio formalis diversa est; quia separatae significant vi duplicitis institu-

tionis, ac duplicitis conceptus; unitate vero vi unius conceptus, ac unius tantum institutionis. Primum de materiali se habet, neque inconvenit, de partibus Nominiis verificari; quod vero idem formaliter significant, tolerari nequit. *Ad 1. Conf.* nego conseq.; quia terminus consistit in ratione partis, de cuius ratione est componere; quod propriè de termino complexo verificatur. Nomen autem debet esse notamen certum, & determinatum; at nomen complexum est multiplex notamen, non unicum.

8 *Si dicas*: Implicat multiplicari speciem, non multiplicato genere; quia implicat dari plures homines, quin sint plura animalia; sed Nomen est species termini: Ergo si terminus complexus est unicus terminus, etiam erit unicum Nomen. *Respon.* enim, dist. min.: Est species termini complexi, neg. min.; simplicis, conc. min.; & nego conseq. In termino complexo datur duplex terminus simplex, sicut datur duplex nomen. *Ad 2. Conf.* argumenti resp., negando min.: nomen enim æquivocum virtualiter, & significative est multiplex; quia plura diversa significat. Arist. autem solùm voluit, æquivocum esse Nomen in latà, non in strictà acceptione.

9 *ARGVES 2.*: Nomen infinitum est propriè nomen: Ergo male excluditur in definitione per partitulam finitam. *Prob. ant.*: Nomen infinitum significat aliquid determinatè: Ergo. *Prob. ant.*: *Non homo* significat determinatè negationem hominis: Ergo. *Resp. dist. ult. ant.*: determinatè significat negationem hominis, ex parte rei significariæ, conc. ant.; ex parte modi significandi, neg. ant., & conseq. Licet enim carentia hominis sit determinatum significatum hujus nominis *non homo*, illam tamen significat, non denotando, quid sit illa carentia, sed exprimendo, quid non sit

sit homo; & cū hoc indeterminate verificetur de multis; ideo ex parte modi nihil determinatè significat.

10 Dices: Hæc nomina: *Cæcus, nihil, immateriale*, & id genus alia, denotant, quid res non sit; sed sunt propriæ nomina: Ergò pariter *non-homo*. Prob. maj. : Idem est *cæcus*, ac *non-videns*: idem *nihil*, ac *non-aliquid*: idem pariter est *immateriale*, ac *non-materiale*; sed hæc nomina *non-videns*, *non-aliquid*, *non-materiale* denotant, quid res non sit: Ergò Respon. dist. maj. probat.: Idem significant eodem modo, neg. maj.; diverso modo, conc. maj. Itaque *Nihil* (idem discurre de aliis) positivè significat ipsum non esse, seu rei carentiam; at verò *non-aliquid* id significat negativè. Deinde: *nihil* denotat positivè ex parte modi significandi, quid sit nihilitas; *non aliquid* præcise denotat quid non sit aliquiditas: ideo prima nomina sunt finita, & propria; secùs secunda.

11 *In statibus*: Nomen infinitum, saltem ex parte modi significandi, denotat aliquid determinatè: Ergò nulla est solutio. Prob. ant. : Nomen infinitum est subiectum formale hujus enuntiationis: *Non homo currit*; sed subiectum formale debet aliquid determinatè significare: Ergò. Min. patet; quia, annuente D. Thomā, (4) oratio formalis constat Nominis, & verbo, quorum est determinatè significare. *Tum etiam*; quia ea propositio habet determinatam veritatem: Ergò ejus subiectum debet determinatè significare. Resp. neg. min. ; ad probat. ex D. Thom. resp., orationem constare Nominae, & verbo, vel aliquo vice Nominis, & verbi, ut patet in hac oratione: *Currere est moveri*; ubi currere, & moveri gerunt vices Nominum. Ad 2. dicimus, habere determinatam veritatem ortam à prædicato, non à subiecto. Nota: quod nomen *ens* determinate significat omnia, licet non significet aliquid determinatè.

(4)
D. Thom.
apud Irri-
barr. hic.

AR:

12 ARGVES 3. : Idem significat casus rectus, & obliquus, imò apud Grammaticos casus pro casu usurpari solet ; sed rectus est propriè Nomen: Ergò etiam obliquus. Conf. Æquè est propriè linea recta, ac obliqua : Ergò à pari. Respon. ad arg. , dist. maj. : Idem ex parte rei significatæ, conc. maj. ; ex parte modi significandi , nego maj. ; & concessà min. , nego conseq. Rectus significat rem per modum *quid*, & directè; obliquus indirectè, & per modum *cujus*, *cui*, vel *ad quem*; idq; attenditur apud Dialecticos ad proprietatem Nominis. (5) Si quando verò obliquo utimur in propositione; intelligitur dependenter à recto subintellecto. Ad conf. neg. conseq. ; quia tam linea recta, quam obliqua est longa; quod est proprium lineæ : at casus obliquus non habet, quod requiritur ad proprietatem nominis, ut constat.

(5)
Vide Gi-
lab. hic, li-
bro 2.q. I.
§. I. à n.
25.

ARTICVLVS II.

Quid sit Verbum?

V Erbum Dialecticum ex Arist. (1) definitur à D. Thom. : (2) *Vox significativa ad placitum cum tempore*, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta ; ac eorum, quæ prædicantur, semper est nota. Illæ particulæ: *Vox significativa ad placitum*, quibus cum nomine Verbum convenit, intelliguntur, ut in nominis definitione. Additur *cum tempore*, ut Verbum à nomine differat ; idque denotat, Verbum exprimere suum significatum per modum actionis, vel passionis in determinata temporis differentiâ ; licet autem *sedeo*, *maneo*, *existo*, *sum*, *es*, *flo*, & alia hujus generis, permanentiam, aut aliud, actionis carentiam importans, significant; id autem ipsum significant per

(1)
Aristo. II.
Perhier.
cap. 4. in
antiq. træ-
statione.

(2)
D. Thom.
sup. Arist.
ubi suprà,
lectio 5.

modum actionis defluentis de præsenti ad præteritum.

2 Particulæ illæ *finita*, & *recta* excludunt Verbum *infinitum*, & *obliquum*, quæ propriè non sunt Verba. Nomine verbi obliqui intelligitur præteritum, & futurum; solùmq; præsens, idq; indicativi modi, dicitur Verbum rectum. Excluditur à ratione Verbi complexum ex pluribus verbis, ac oratio per eas particulæ: *cujus nulla pars separata significat*. Finitur definitio his verbis: *ac eorum, quæ prædicantur, &c.* quibus innuitur, Verbum se habere ex parte prædicati, ut *Petrus amat, Petrus currit*. Pariter in ista: *Petrus est albus, ubi est denotat, album prædicari de Petro*. His particulis excluditur participium à ratione Verbi, illud enim, et si cum tempore significet, non est nota eorum, quæ prædicantur.

SOLVUNTVR ARGUMENTA CONTRARIA.

3 ARGVES 1.: In propositionibus æternæ veritatis, quales sunt istæ: *Deus est unus: Homo est animal*, Verbum non significat cum tempore. Ergò non est de ratione Verbi significare cum tempore. Prob. ant. : In his propositionibus Verbum absolvitur à tempore: Ergò. Conseq. tenet; est enim absolvi à tempore, Verbum verificari, non præcisè pro hac, vel illà temporis differentiâ, sed ab æterno, & usque in æternum; idèque dicitur propositio æternæ veritatis. Conf. : Verbum, *curro v. gr.*, nequit ullo modo significare per modum quietis: Ergò neque *se-deo* per modum actionis decurrentis in tempore, sicque non significat cum tempore.

4 Ad arg. resp. dist. ant. secundi entimemmati: Absolvitur à tempore ex parte rei significatæ, conc. ant.;

ant.; ex parte modi significandi , neg. ant. , & conseq. Verbum enim in his propositionibus significat convenientiam , aut disconvenientiam subjecti cum prædicato , quæ semper est, fuit, & erit ab æterno, & usque in æternum : at nihilominus illam convenientiam significat , ut verificatam de præsenti ; sicque ex parte modi significat cum tempore. *Vel dici potest,* (3) tales propositiones significare cum tempore , non quidem finito, sed infinito ; quod est de præsenti æternitatis significare. *Ad conf.* neg. conseq. ; quia cursus non fit per modum permanentiæ; at sessio, & permanentia per modum defluentis in tempore excentur.

5 ARGVES 2. : Nou datur Verbum infinitum: Ergo superfluit in definitione particula *finita* , ut Verbum infinitum excludat. Prob. ant. : Verbum infinitum repugnat intra propositionem ; sed extrâ ipsam non datur ullum verbum: Ergo. Maj. patet; quia particula *non*, addita verbo intra propositionem, non reddit ipsum infinitum , sed negativum. *Tum etiam;* quia id tenet expressè D. Thom. (4) cuius hæc sunt verba: *Extra enuntiationem potest accipi Verbum infinitum :: Verbum infinitum in enuntiatione positum fit verbum negativum.* Min. autem prob. : Verbum semper est nota eorum , quæ prædicantur ; sed hoc non habet extra propositionem, ut evidens est: Ergo.

6 Resp. nego ant.; ad prob. concessà maj. cum ingenioso Gilab. contra aliquos Thomistas , (5) nego min. ; ad hujus prob., dist. maj.: Actualiter, nego maj. aptitudinaliter , seu in potentia proximâ, conc. maj.; & sic dist. min. , nego conseq. Verba in definitione non denotant actum , sed aptitudinem, ut non semel diximus : propterea sufficit , Verbum extra enuntiationem habere proximam potentiam , ut sit nota eorum , quæ prædicantur in enuntiatione , quam valet

(3)

Gilab. lib.
bro 2.q.2.
§. 2. num.
64. Aliter
Palanc.lib.
bro 1.q.5.
num. 5.

(4)

D. Thom.
2. Perbier.
lect. 1. ap.
Gilab. ubi
suprà, nu.
78.

(5)

Aliqui
Thomistæ
apud Gi-
lab. lib. 2.
quæst. 2.
§. 3. num.
76.

componere. Nota, negationem additam Verbo, non addere aliquid ejus significationi; sed significationem removere positivam, in oppositam; ideoque ex negatione illà, & Verbo non resultare Verbum complexum; sicut de nomine docet D. Thomas. (6)

(6)
D. Thom.
1. per bier.
2. etiōne 4.

7 ARGVES 3. Ex verbis obliquis veræ formantur enuntiationes, quales sunt istæ: *Adamus fuit, Anti-Chri-*
stus erit: Ergò Verbum obliquum est propriè Verbum. Resp. dist. ant. : Formantur ratione obliqui, ne-
go antecedens ; ratione recti inclusi , & subintellecti,
concedo antecedens , & nego conseq. Sunt enim ve-
ræ dictæ enuntiationes per respectum ad præsens, quo
mensurantur ; est itaque vera hæc: *Adamus fuit*, quia
aliquando fuit vera : *Adamus est*. Idem dicitur de se-
cundā suo modo , & de similibus. Nota, Verbum re-
ctum solummodo esse præsens indicativi modi in
omnibus personis utriusque numeri ; quo , si careat
Verbum apud Grammaticos , ut cœpi ; apud
Dialecticos (7) reducitur præteritum ad
præsens aliorum æquivalentium,
ut cœpi ad incipio , &c.

(7)
Gilab. lib.
2. quæst. 2
§. 2. num.
7^{te}



LIBER



LIBER II.

DE
PERTINENTIBUS AD SECUNDAM
INTELLECTVS OPERATIONEM.

QUÆSTIO I.

DE ORATIONE DIALECTICA.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit Oratio?



Ratio Dialectica sic definitur ex Arist. (1) : Vox significativa ad placitum , cuius partes separatae significant, saltem, ut dictio, non præcisè , ut affirmatio , & negatio. Dicitur vox; & intelligitur

(1)
Aristot. I.
per hiberius
cap. 4:

de voce complexà , ut statim innuitur illis particulis: cuius partes , &c. Ponitur autem in singulari ad indicandum , voces ex quibus consurgit Oratio , habitu ras esse quandam unitatem , medio ordine , & nexu grammatical i; ex vocibus enim dissociatis , ut cœ lum, homo, lux non fit Oratio. Illæ particulae: Cuius par tes separatae significant, denotant, partes Orationis debe-

re idem, ac eodem modo significare separatas, ac unitas; per quod Oratio à nomine compositæ figuræ, ut Res-publica, differt.

2 Pro clariori intelligentia notandum est; per eas particulas non convenire Orationem cum termino complexo. Et ratio est: quia terminus complexus, licet importet partes, quæ separatæ significant, eas dicit de materiali; quia formaliter, ut terminus, constituitur per rationem partis, de cuius ratione formalis est esse compositivam; et si de materiali possit habere partes: Sicut brachium, et si constitutum ex nervis, & ossibus, id solùm de materiali importat in ratione partis integralis: Nam verò Oratio est in genere totius, de cuius ratione est partes importare; ideo definitur per habere partes, quæ separatæ significant, & quæ importentur de formalib[us] in ejus constitutivo.

3 Reliquæ particulæ: saltem, ut dictio, &c. prout à nobis in definitione ponuntur, clare denotant, partes Orationis saltem, ut dictiones simplices, esse significativas; et si aliquando possint significare, ut affirmations, & negationes, ut apparet in partibus argumentationis: primum autem exigit Oratio, ut talis secundum verò est præter ejus exigentiam, solùmque convenient Orationi in esse talis. Jam Oratio dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta est, quæ sensum habet perfectum; nec relinquit pendulum audiens animum; v.gr. Petrus est homo. Imperfecta dicitur, quæ sensum reddit imperfectum, & audiensem quasi suspensum relinquit; v. gr. Si Petrus currit. Perfecta subdividitur in imperativam, interrogativam, optativam, deprecativam, indicativam, seu enuntiativam. Enuntiativa verò presentis est propria contemplationis. (2)

(2)

Arist. ubi
suprad.

ARTICVLVS II.

Quid & quotuplex sit Modus sciendi?

Modus sciendi latissimè sumi solet pro omni eo, quod aliquo modo conduit ad scientias acquirendas: Vnde, & Logica ipsa, quia generale quoddam instrumentum est ad scientias comparandas, quandoque Modus sciendi nuncupatur. Secundò solet accipi strictissimè, prout sonat idem, ac cognitio scientifica solà demonstratione comparabilis; consequenter solam demonstrationem, afferunt, esse Modum sciendi. Tertiò sumitur propriè pro oratione artificiosè manifestativa objecti. Hæc acceptio, nec tam laxa est, sicut prima, nec adeò rigida, ut secunda: & meritò; sonat enim *Modus sciendi* cognitio ad modum scientiæ; seu quæ via patesiat ad scientiam. In ultimâ acceptance usurpatur in-præsenti.

2 Advertendum est ex Mag. Gilab. (1), non esse idem manifestare, ac significare, seu ostendere: Nam quilibet dictio simplicissima est significativa, aut ostensiva sui objecti; non tamen est manifestativa; quia manifestare ex suo conceptu exigit, ut objectum manifestatum sit antea confusè cognitum. Quare hæc vox *animal rationale* aliud significat, & aliud manifestat; significat enim animalitatem, & rationalitatem; manifestat autem hominem ante per apprehensionem *homo* confusè cognitum. Diversas Modi sciendi definitiones, quas afferunt Adversarii, haud facile est examinare; eorum enim quisque suo sensu abundant, pro suoque beneplacito Modum sciendi usurpat, ac definit.

(1)

Gilab. lib.
2. q. 3. §.
2. n. 143.

Prima Conclusio.

3 DICIMVS i. : Modum sciendi non esse definiendum per esse *ignoti significativum*, ut frequenter definiunt Contrarii; sed per esse *confusè cogniti manifestativum*. Prob. Conclusio: Modus sciendi nequit ignotum manifestare: Ergò nequit definiri per esse ignoti manifestativum. Prob. ant. : Solùm manifestari potest per Modum sciendi, quod anteà erat confusè cognitum: Ergò. Prob. ant. : Cognitio rei per Modum Sciendi acquisita, debet esse ad modum cognitionis scientificæ, eoque dicitur Modus sciendi; sed cognitio scientifica non est, nisi rei obscurè cognitæ: Ergò. Prob. min. : Cognitio scientifica est cognitio conclusionis ex præmissis illatæ; sed veritas conclusionis erat in præmissis anteà confusè cognita, cum in illis, tamquam in causâ, virtualiter contineatur: Ergò.

4 Conf. hæc ratio: Cognitio objecti omnino ignoti non est cognitio Modi sciendi: Ergò per Modum sciendi debet attingi objectum confusè cognitum. Prob. ant. : Cognitio objecti omnino ignoti est prima rei notitia; sed cognitio Modi sciendi jam supponit primam sui objecti notitiam: Ergò. Prob. min. : Cognitio Modi sciendi debet esse cognitio artificiosa, ut frequenter consentiunt Adversarii; sed artificiosa cognitio supponit primā objecti notitiam: Ergò. Mai. patet; quia Modus sciendi est artificium ad sciētiam comparandam; & nisi hoc ita esset, quælibet dictio absque secundā intentione esset Modus sciendi; quippè, quæ ostenderet objectum ignotum.

5 Prob. min. : Cognitio artificiosa afficit objectum anteà cognitum: Ergò supponit ejus primam cognitionem. Prob. ant. : Quodlibet artificium præsupponit suam materiam in esse naturali; sed cognitio artificia-

tificialis est artificium dialecticum in esse repræsentativo, & objectum, ut primò cognitum, est materia denominata talis artificii : Ergò. Maj. est evidens ; artificium enim dominus præsupponit lapides, & ligna. Min. quoad primam partem est apud Contrarios innegabilis ; admittunt enim, actus cognoscitivos, seu formales, esse formam Modi sciendi : Quoad secundam etiam patet ; sicut enim ex parte actus repræsentantis prior est naturalis repræsentatio, quam artificiosa; ita ex parte objecti prius est esse naturaliter manifestum, quam artificiosè manifestum.

6 Ex dictis facilè impugnandas accipies Adversariorum definitiones; hæ namque per ignoti manifestativum persepe solent Modum sciendi manifestare. Jam igitur Modum sciendi sic definimus : *Oratio Dialectica confusè cogniti manifestativa. Oratio Dialectica,* est genus, per quod convenit Modus sciendi cum propositione, quæ, Oratio cum sit dialectica, Modus sciendi non est, ut citò videbimus. Reliquæ particulæ sunt differentia, ut jam ex dictis non obscurè intelligitur. Omittimus particulam *artificiosè*; quia per ly *dialecticam* jam intelligitur; implicat enim esse orationem dialecticam, & non artificiosam.

Secunda Conclusio.

7 *DICIMVS* 2. : Modum sciendi triplicem tantum esse, nempè Definitionem, Divisionem, & Argumentationem; ac per consequens Propositio non est Modus sciendi. Ita contra Jesuitas Thomistæ omnes, quibus adharet frequentior Scotistarum pars cum suo Subtili Doct. (2) afferente : *Omne instrumentum sciendi est definitio, vel divisio, vel argumentatio.* Prob. Conclusio : Ad rationem Modi sciendi requiritur confusè cognitum manifestare; sed propositio non manifestat

(2)

Scotus in
1. prior. q.
2. num. 8.
apud Gilaber. hic,
num. 14. 2.

confusè cognitum: Ergò. Major satis probata est conclusione primà; exque ibi dictis facile suadebitur.

8 *Prob. min.*: Propositio solum significat, aut ostendit convenientiam, aut disconvenientiam prædicati cum subiecto; sed hæc non erat ante propositionem confusè cognita: Ergò. *Prob. min.*: Ante propositionem solum præcedunt apprehensiones subjecti, & prædicati; sed per has apprehensiones non erat confusè cognita illa convenientia; aut desconvenientia prædicati cum subiecto: Ergo. *Prob. min.*: Convenientia, aut disconvenientia prædicati cum subiecto est affirmatio, vel negatio prædicati de subiecto; sed apprehensio incapax est affirmationis, vel negationis, sicut & veritatis, vel falsitatis: Ergò est incapax attingendi convenientiam, aut disconvenientiam, adhuc confusè.

9 *PROB. 2. Conclusio*: Triplex est tantum modus manifestandi artificiose: Ergo triplex est tantum Modus sciendi. *Prob. ant.*: De eo, quod est manifestabile artificiose solum dubitari potest *quid sit*; & hoc manifestatur per definitionem, eratque confusè cognitum per apprehensionem: Vel *quotuplex sit*; & hoc manifestatur per divisionem: Vel *an verum sit*, seu *propter quid sit*; & hoc manifestatur per argumentationem, probando verum esse, & manifestando propriætates; sed non datur alius modus manifestandi artificiose: cognitio enim, quoad *an est*, est prima rei cognitio non artificiosa: Ergò tantum est triplex modus manifestandi artificiose.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

10 **A**RGVES 1. contra definitionem: Modus sciendi nequit definiri: Ergò male definitur,

nitur. Prob. ant. : Si Modus sciendi posset definiri, es-
set per definitionem ; sed nequit definiri per definitio-
nem : Ergò. Prob. min. : Nequit Modus sciendi per
aliquid inferius ipso definiri ; sed definitio est inferior
Modo sciendi , cum sit species illius : Ergò. Mai. pa-
tet ; quia inter definitionem , & definitum debet da-
ri mutua conversio consequentiae , quæ dari non po-
test inter superius , & inferius. Conf. : Definitum de-
bet esse ignotum ; sed Modus sciendi non est ignotus,
sed confusè cogniti manifestativus : Ergò nequit de-
finiri.

11. *Ad Arg. resp.* , dist. ultimam min. : Est infe-
rior sub hac expressione: *Modus sciendi rem per essen-
tiam* , con. min. ; sub hac expressione: *Oratio confusè
cogniti manifestativa* , nego min. , & censeq. Licet sub
primà expressione sit species Modi sciendi , eoque in-
ferior ; non vero sub secundà , sub quā definit Modu-
lum sciendi. Hæc solutio præ omnibus placet , quia
incipientibus est perceptibilis , præ aliis obscurissimis,
& quæ à logicis reflexionibus pendent. (3) *Ad Conf.* :
pari modo dist. min. : Non est ignotus , sed confusè
cogniti manifestativus sub expressione , quā est defi-
nitum , neg. min. : Sub alia expressione , conc. min. ;
& neg. censeq. Sub hac expressione: *Modus sciendi* , est
confusè cognitus , licet sub ista: *Oratio dialectica con-
fusè cogniti manifestativa* , sit notus : primo modo est
definitum ; non secundo.

12. *ARGVES* 2. contra 2. conclusionem: Proposi-
tio est confusè cogniti manifestativa : Ergò est Modus
sciendi. Prob. ant. : Hæc propositio : *Homo est animal
rationale* , manifestat , quid sit homo ; sed hoc erat con-
fusè cognitum per hanc apprehensionem *Homo*: Ergò.
Resp. ; dist. maj. probationis : Manifestat ratione sui.
neg. maj. ; ratione definitionis in èa contentæ , conc.

(3)
Vide Irri-
barr. &
Villalb. in
presenti.

maj. Licet enim per illas particululas *Animal rationale* dignoscatur quid sit homo; id autem contingit, prout illæ particulæ sunt hominis definitio; non verò prout sunt prædicatum illius propositionis; sic enim solum dicit esse quid identificatum cum subjecto.

13 *Dices*: Talis propositio saltem significat, aut manifestat identitatem prædicati cum subjecto; sed hæc identitas erat confusè cognita per hanc apprehensionem *homo*: Ergò. Prob. min.: Identitas hominis cum animali rationali est indistincta ab hominis entitate; sed hæc erat confusè cognita per hanc apprehensionem *homo*: Ergò. Deinde: Quia nihil est judicatum, quin prius fuerit apprehensum, ut fert axioma commune. *Resp.* concessa maj. intellecta de impropriâ manifestatione, neg. min.; ad prob. dist. maj.: Est indistincta physicè; & in re, conc. maj.; dialecticè, neg. maj.: Primo modo erat confusè cognita; non verò secundo. Identitas physicè est ipsa rei entitas; per rationem autem distinguitur vi affirmationis, quæ sit distinctorum unio; adeoque dialecticè distinguuntur.

14 *Nec facit*, quod nihil sit judicatum, quin prius fuerit apprehensum: id enim verum est, si judicatum, & apprehensum intelligantur de materiali, & pro substracto; reddit enim hunc sensum proloquium illud: *De nullo judicatur, quin prius fuerit apprehensum*; non verò, si intelligantur de formali; identitas enim, quæ importatur de formalis in judicato incapax est, ut attingatur per apprehensionem. *Repliç.*: Ideo apprehensio, attingens montem aureum, facit ens rationis, non verò immaginativa; quia prima attingit illa extrema ut identificata, non autem secunda, ut docent Thomistæ in Logicâ: Ergò apprehensio est capax attinendi identitatem confusè.

15 *Ad repliç. resp. dist. ant.*: Quia attingit, ut iden-

identificata physicè, & negativè, conc. ant.; possitivè, & dialecticè, neg. ant., & censem. Apprehensio *Mons aureus* attingit montem aureum, ut unicam physicam entitatem, consequenter sine distinctione, in quo identitas physica negativa consistit; quod autem non attingit immaginativa, ideoque ens rationis non effor- mat: At verò apprehensio non attingit positivè iden- titatem montis, & auri; quia id fieri non potest, quin unum de altero affirmetur, quod est proprium judi- cii.

16 ARGEES 3.: Hæc propositio: *Quia homo est rationalis, est risibilis*, manifestat risibilitatem per ratio- nalitatem, tamquam per ejus causam; sed risibilitas est confusè cognita in rationalitate, tamquam effe- ctus in suâ causâ: Ergò est Modus sciendi. Conf.: Hæc Oratio: *Petrus est homo*: Ergò est animal, est Modus sciendi, cum sit argumentatio; sed est etiam proposi- tio rationalis: Ergò datur propositio, quæ est Modus sciendi. Resp. ad arg., disl. maj.: Formaliter, ut pro- positio, neg.; ut est virtualiter argumentatio ratione illationis, quam includit, conc. Eodem modo resp. ad Conf. Illæ enim propositiones solùm enuntiant, ut ta- les, modo quasi historico; ut autem dicunt illatio- nem, manifestant; sicque tantummodò sunt Modus sciendi, cum ita sint argumentationes.

ARTICVLVS III.

Quid, & quotplex sit Definitio?

Definitio definitur optimè: *Modus sciendi rem per essentiam*. Modus sciendi est ge- nus, per quod convenit Definitio cum divisione, & argumentatione, à quibus differt per alias particulas,

quæ:

quæ sunt differentia. Omittimus particulam explicans, quæ ab aliis adhiberi solet, quippè superfluam omnino; nam hoc ipso, quod sit Modus sciendi, jam est explicans, seu manifestans, ut ex Modi sciendi definitione constat.

2 Dividitur 1. Definitio in definitionem nominis, & definitionem rei. Prima est, quæ nominis ethymologiam exponit, ut si lapidem explices per *lessonem pedis*, à quâ nominis impositionem habet. Secunda est, quæ rem significatam manifestat, ut *Animal rationale*. Definitio rei alia est essentialis, seu quidditativa; alia accidentalis, seu descriptiva. Prima est, quæ rem explicat per ejus essentialia prædicata, ut cum hominem definimus per *Animal rationale*. Secunda est, quæ explicat rem per prædicata accidentalia, seu per ejus proprietates, ut si hominem describas: *Animal risibile, politicum, &c.*

3 Definitio tam essentialis, quam descriptiva, altera est physica, altera metaphysica. Illa est, quæ explicat definitum per partes, seu proprietates physicas, ut materiam, & formam: hæc est, quæ definitum per partes, seu proprietates metaphysicas exprimit, ut per genus, & differentiam. Definitio essentialis dicitur *quidditativa* simpliciter, si per solam essentiâ exprimat definitum; dicitur *quidditativa* per additamentum, si, praeter partes essentials, aliquid aliud importet ad expressionem definiti. Hæc definitione utimur, cum rem respectivam explicamus, ut ejus ordinem explicemus; v. gr. si patrem definias, ordinem ad filium definitionem ingredi, necessè est.

4 Definitio descriptiva subdividitur in *causalem*, *propriam*, & *accidentalem*. Prima est, quæ explicat rem per ejus causam efficientem, finalem, vel exemplarem; ut, si hominum esse, dicas: *Animal ad similitudinem*

Art. I. Quod, & quotup.sit Modus scien. III
nem Dei à Deo factus ad beatitudinem. Secunda est, quæ explicat rem per proprietates; ut si hominem explices: *Animal risibile*. Tertia est, quæ rem explicat per accidentia; ut cum *Saphirus* definitur: *Gemma cerulea aureis punctis collucens, instar cœli sereni*. Regulæ bonæ Definitionis explicatae, sunt Quæst. Procœm. artic. I. à num. 4.

5 ARGVES contra definitionem Definitionis: Definitio nostra definit se ipsam: Ergò non est recta. Prob. ant.: Nostra definitio definit omnem Definitionem, alijs non conveniret omni definito; sed ipsa est definitio; Ergò. Conf.: Definitio debet converti cum suo definito; sed non ita se habet nostra definitio: Ergò. Min. pater, quia non valet: *Est definitio: Ergò est hæc definitio omnis definitionis*. Ad arg., dist. conseq., prob.: Ergò definit se ipsam sub hæc expressione *Definitio*, conc. conseq., sub hæc expressione: *Modus sciendi rem per essentiam*, neg. conseq. Definitionum per nostram definitionem est omnis definitio sub hæc communi expressione *Definitio*; at verò nostra definitio est talis sub hæc expressione: *Modus sciendi, &c.* (1)

6 Nec dicas, quod non datur actio actionis: Ergò neque definitio Definitionis. Negamus etenim conseq.; quia actio nequit esse agens, & non agens, adhuc sub diversis expressionibus; at verò Definition potest esse clara, & obscura sub diversis expressionibus; ideo potest dari Definitionis definitio. Ad conf. dist. maj.: Definitio formalis, neg. maj.: objectiva, seu in essendo, conc. maj.; & sic dist. min., neg. conseq. Illa regula intelligi debet de definitione in essendo, quæ *objectiva* dicitur; sicque valet: *Est animal rationale: Ergò est homo*; non autem de definitione in repræsentando, quæ *formalis* appellatur; quia non valet: *Est homo: Ergò*.

(1) Vide Gilabert. in præsenti.

Ergò est oratio, constans genere, & differentiâ. In primo sensu etiam valet in nostro casu: Est definitio: Ergò est Modus sciendi rem per essentiam; & è contrà; quamvis non in secundo: Est Definitio: Ergò est hæc definitio.

ARTICVLVS IV.

Quid, & quotuplex sit Divisio?

I **D**ivisio ita rectè definitur: *Modus sciendi rem per partes.* *Modus sciendi* est genus; reliquæ particulæ sunt differentia. Adverte, *Divisio* nem rem manifestare per partes; definitionem verò per essentiam ex partibus constitutam; seu (quod in idem reddit) *Divisio* per partes divisivè sumptas, & resolvendo totum, manifestat; definitio per essentiam ex partibus simul sumptis. At verò totum manifestatum appellatur *divisum*; partes autem dicuntur membra dividentia. Est itaque triplex totum: *Actuale*, quod actu partes includit; v. gr. *Homo*: *Potentiale*, quod solum in potentia partes continent; & est quælibet ratio communis ab inferioribus abstracta; v. gr. *ratio animalis*: & *Accidentale*, quod ex subiecto componitur, & aëidente; ut *album*.

2 *Divisio* alia est *nominis*, & alia *rei*. Prima est distributio vocabuli æquivocî in sua significata; v. gr. *nominis canis* aliud significatum est *animal*, aliud *sydus*, & aliud *piscis*. Secunda est distributio *rei* significatæ in suas partes. *Divisio rei* est triplex, *actualis* scilicet, *potentialis*, & *accidentalis*. *Actualis* est distributio totius in suas partes actuales, quæ, si sunt metaphysicæ, erit *divisio actualis metaphysica*; ut *divisio hominis in animal, & rationale*; si verò sunt physicæ, erit *divisio actualis*

actualis physica; ut hominis divisio in *materiam*, & *formam*.

3. *Divisio actualis*, altera est *essentialis*, altera *integralis*. Prima est distributio totius in partes *essentiales*, sive *physicas*, sive *metaphysicas*, propterea divisio erit *essentialis physica*, vel *metaphysica*. Secunda est distributio totius in partes *integrales*, ut divisio hominis in caput, pedes, &c. Si autem partes *integrales* sint ejusdem rationis, ut partes aquæ, dicuntur *homogeneæ*; & quæ sit in ipsis *Divisio*, *homogenea* dicitur: Si verò partes *integrales* sunt diversæ rationis, seu dissimiles, ut partes hominis, *etherogeneæ* appellantur; appellaturque *etherogenea*, quæ in ipsis sit totius distributio.

4. Secunda divisio est *potentialis*, quæ est distributio totius *potentialis*, seu alicujus rationis communis in suas partes *subjectivas*, quæ sunt ejusdem *inferiora*; & *subjectivæ* partes dicuntur, quia rationi communis subjiciuntur; v. gr. *Divisio animalis* in hominem, & brutum. Hæc autem divisio, vel est *Vnivoca*; ut cum inferiora æqualiter participant rationem divisi; v. gr. *divisio animalis* in hominem, & brutum: vel *Analogæ*, ut cum inferiora rationem divisi inæqualiter participant; v. gr. *divisio hominis* in vivum, & pictum. Iterum: *Divisio potentialis* potest esse 1. *generis* in species *subalternas*: 2. *generis* in species *infimas*: 3. *Speciei* in *individua*.

5. Tertia *Divisio* est *Accidentalis*, quæ est distributio totius in partes *accidentales*; ut *divisio hominis* in album, & nigrum. Hæc autem divisio potest esse, vel *subjecti* in *accidentia*, ut *divisio hominis* in album, & nigrum; vel *accidentis* in *subjecta*; ut *divisio lucidi* in *corpus coeleste*, & *sublunare*; vel *accidentis* in *accidentia*; ut *divisio albi* in *dulce*, & *amarum*;

6 Bona Divisio quatuor requirit conditiones. *Prima est*: Quòd membra dividentia mutuò se se excluant, sique distinguantur realiter, vel ad minus per rationem: Quare malè divideretur *animal* in hominem, & Petrum. *Secunda est*: Quòd totum divisum ad plura se extendat, quām quodlibet membrum dividens, atque adeò istud sit inferius illo: Vnde malè divideretur *animal* in sensibile, & rationale; quia &què se extendit *sensibile*, ac *animal*. *Tertia est*: Quòd omnia membra simul sumpta totum exhaustant divisum, ipsumque simul adæquent; ita, ut nihil continetur sub diviso, nisi sub aliquo ex dividentibus membris continetur: idcirco malè divideretur *elementum* in ignem, & aquam. *Quarta est*: Quòd Divisio fiat in membra immediata; non itaque est *animal* dividendum in Petrum, & Paulum, sed in hominem, & brutum.

7 Tres sunt loci arguendi in Divisione potentiali. *Primus*: A toto diviso ad omnia membra disjunctivè, aut è contrà, valet consequentia, tam affirmativè, quām negativè; v. gr. *Est animal*: Ergò, vel *est rationale*, vel *irrationale*: *Non est animal*: Ergò, nec *est rationale*, nec *irrationale*. Et è contrà: *Est rationale*, vel *irrationale*: *Ergo est animal*. *Secundus*: A quolibet membro determinato ad totum divisum, valet consequentia affirmativè; non verò negativè; v. gr. *Est rationale*: *Ergo est animal*; sed non valet: *Non est rationale*: *Ergo non est animal*: A diviso autem ad quolibet membrum valet negativè, sed non affirmativè; v. gr. valet: *Non est animal*: *Ergo non est rationale*: sed non valet: *Est animal*: *Ergo est rationale*. *Tertius*: A diviso ad determinatum membrum; posità negatione aliorum, valet affirmativè; v. gr. *Est animal*, & *non est rationale*: *Ergo est irrationale*.

QUÆSTIO II.

DE PROPOSITIONE.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex, sit Propositio?

1 **P**ropositio definitur optimè: *Oratio dialectica enuntiativa*. Ejus definitionis genus, est *Oratio dialectica*, per quod convenit Propositio cum definitione, & divisione. Particula *enuntiativa* est differentia, cui non præponimus particulam significativè, aliorum more; quia superfluam judicamus, è ratione, qua in definitione Judicij particulam *formaliter*, ut superfluam, alibi (1) rejecimus: repugnat si quidem, esse orationem dialecticam enuntiativam, & non esse significativè enuntiativam. Descriptivam Propositionis definitionem ex Arist. (2) sumpererunt Autores nostri: *Oratio verum, vel falsum significans*; quam ab adversariorum injuriis apud ipsos (3) vindicata invenies.

2 Dividitur Propositio universaliter sumpta in *categoricam*, & *hypotheticam*. Prima est, quæ *subjecto*, *copulâ*, & *prædicato* simplicibus constat, tamquam *partibus principalibus*, ut: *Petrus est homo*. Secunda est, quæ duabus constat *categoricis copulâ adverbiali unitis*, ut: *Petrus currit, & Paulus sedet*. Nunc autem de *categoricæ divisionibus agimus*, acturi postea de *hypotheticæ*. At vero ex quadruplici capite potest dividiri Propositio; videlicet ex parte *materiæ*, quæ est *subjectum*, & *prædicatum*; ex parte *formæ*, quæ est

(1)
Quest.

Proœm. ar-
tic. 3. nu-
mero 4.

(2)
Aristot. I.
Perbier.
cap. 4.

(3)
Vide Coll.
D. Thom.
I. p. inst.
q. 5. art. 1.
Froylan.
in disput.
q. 5. à S. I.
Irrib. lib.

2. q. 2. ar-
tic. 1.
Palanc. lib
2. q. 6. Et
P. N. Re-
mig. à S.
Erasm. di-
spu. 4. S. 1.
conclusio-
ne 1.

copula; ex parte quantitatis, quæ est extensio ad plura, vel pauciora; & ratione qualitatis, quæ est ejus veritas, vel falsitas.

3 Ratione materiæ dividitur 1. Propositio in necessariam, impossibilem, & contingentem. Necessaria est, quæ enuntiat rem, quæ aliter se habere non potest, quam per propositionem enuntiatur; ut *Homo est animal*. Impossibilis est, quæ rem enuntiat modo, quo se habere non potest; v.gr. *Homo est lapis*. Contingens est, cuius significatum sic, vel aliter se habere potest, ac per illam enuntiatur, ut *Homo est albus*. Advertendum tamen est, in materia necessariæ omnem propositionem affirmativam esse necessariam; negativam verò impossibilem: è contrà vero in materia impossibili.

4 Secundò dividitur, etiam ratione materiæ, in identicam, & formalem. Prima est, in qua idem omnino prædicatur de se ipso, ut *Homo est homo*. Secunda est, in qua prædicatum est aliquo modo à subjecto distinctum, ut *Homo est animal*. Igitur ad propositionem identicam requiritur, eundem esse terminum ex parte subjecti, & prædicati, vel saltem, quod sine synonima, ut *Gladius est ensis*. Tertiò dividitur adhuc ratione materiæ in directam, & indirectam. Prima est, in qua forma de subjecto, aut superioris de inferiori, vel æquale de æquali prædicatur, ut *Homo est albus*; *homo est animal*. Secunda est, in qua subjectum de formâ, aut inferioris de superiori dicitur; ut *Album est homo*: *animal est brutum*.

5 Ratione formæ dividitur propositio in affirmativam, & negativam. Prima est, in qua dicitur, prædicatum convenire subjecto; ut *Petrus est homo*, secunda est, in qua, prædicatum non convenire subjecto, enuntiatur; ut *Homo non est lapis*. Harum prima appell.

appellari consuevit *compositio*; secunda *divisio*. Nordanum est autem, propositionem esse affirmativam, vel negativam, desumendum esse à copula principali: fit itaque, ut hæc sit affirmativa: *Petrus, qui non sedet, currit*; hæc verò negativa: *Homo, qui dormit, non studet*.

6 Ratione quantitatis dividitur in *universalem*, *particularem*, *indefinitam*, & *singularem*. Universalis est, cuius subjectum est terminus communis signo universalitatis affectus; v. gr. *Omnis homo est animal*: *Nullus homo est lapis*. Particularis est, cuius subjectum est terminus communis signo particularitatis affectus, ut *Aliquis homo est albus*. Indefinita est, cuius subjectum, est terminus communis nullo signo affectus, ut *Homo est animal*. Propositio in indefinita in materia necessarià æquivalet universalí, nisi fuerit indirecta, ut *Animal est homo*; in materia verò contingentí æquivalet particulari. Singularis est, cuius subjectum est terminus singularis, vel terminus communis affectus pronomine demonstratiyo, ut *Petrus est homo*; *hic homo currit*.

7 Ratione qualitatis dividitur in *veram*, & *falsam*. Vera est, cuius objectum ita se habet, sicut per ipsam enuntiatur, ut *Homo est animal*. Falsa est cuius objectum aliter se habet, ac per propositionem enuntiatur, ut: *Petrus est lapis*. Præter has divisiones aliæ due adduci solent. Prima est, in propositionem de *secundò adiacente*, & de *tertio adiacente*. Prima est, cuius prædicatum est imbibitum in copula; v. gr. *Petrus currit*, cuius sensus est: *Petrus est currens*. Secunda est cuius prædicatum est expressum, ut *Petrus est homo*. Secunda divisio est in propositionem de *in esse*, & *modalem*. Prima est, in quā prædicatum absolute dicitur de subjecto; secunda est, in quā prædicatum dicitur aliquo.

118 *Liber II. Quest. II. de Propositione.*
ex his modis possibile, impossibili, &c. v. gr. Possibile
est, Petrum currere.

ARTICVLVS II.

De Propositionibus hypotheticis.

1 — **P**ropositio hypothetica ea est, quæ duabus constat categoricis copulâ adverbiali unitis; v.gr. *Petrus currit*, & *Paulus sedet*. *Enim* verò si particula adverbialis non afficiat propositiones, sed terminos ejusdem propositionis, non resultat hypothetica, sed categorica de extremo copulato, aut disjuncto, juxta particulæ conditionem, ut patet in his: *Petrus*, & *Paulus disputant*: *Petrus est sapiens*, vel *ignarus*, aliisque similibus. Si autem categoricæ nulla adverbiali copulâ copulentur, erunt plures categoricæ, sed non una hypothetica, ut *Petrus currit*, *Paulus sedet*; non enim sufficit æquivalētia pluribus categoricis ad essentiam hypotheticæ.

2 — **P**ropositio hypothetica dividitur in *Conditionalem*, *Rationalem*, *Causalem*, *Copulativam*, & *Disjunctivam*. *Conditionalis* est, cuius partes copulantur particulâ, si; ut: *Si Sol lucet, dies est*; cuius prima pars dicitur *conditio*; secunda vocatur *conditionatum*. *Rationalis* est, cuius partes copulantur particula *ergo*; ut *Petrus currit*: *Ergo movetur*. *Causalitatis* est, cuius partes copulantur particulâ *quia*; ut *Quia Petrus est homo, est risibilis*. *Copulativa* est, cuius partes copulantur particulâ &, nec, vel atque; ut *Petrus currit*, & *Paulus sedet*: *Nec Joannes studet, nec Paulus disputat*. *Disjunctiva* est, cuius partes uniuntur particulâ, vel, sive aut; ut *Petrus movetur, vel quiescit*.

3 — Nunc examinanda est materia, forma, quan-

titas, & qualitas hypotheticarum. Est itaque materia hypotheticæ duplex categorica, quæ constat per modum subjecti, & prædicati; est autem ejus forma copula adverbialis, non quidem unica, & omnimoda, sed principalis. (1) Est enim copula minus principalis verbum utriusque categoricæ. Propositio hypothetica erit affirmativa, si ejus copula adverbialis non afficitur negatione; negativa vero, si negatione afficiatur, sive categoricæ, ex quibus componitur, negative sint, sive affirmativæ: (2) quare hæc est affirmativa: *Si homo non movetur, non currit;* hæc autem est negativa: *Non, si homo movetur, currit.* Excipitur rationalis, quæ propriè negativa, aut affirmativa esse non potest. (3)

4—Ratione materiæ potest esse propositio hypothetica inquitlibet specie assignata necessaria, impossibilis, vel contingens. Qua propter, conditionales, rationales, & causales dicuntur necessariæ, quando unum extremum non potest non sequi ex alio; v. gr. *Si Sol lucet, dies est;* *Est homo: Ergo est animal:* *Quia est rationalis, est discursivus.* Impossibilis sunt, quando unum extremum ex alio sequi non potest; v. gr. *Si est homo, est brutum;* *Est homo: Ergo est lapis.* Sunt denique contingentes, cum unum ita ex alio sequitur, ut possit sequi, vel non sequi; v. gr. *Si viceris inimicum, à Rege coronaberis.*

5—Pari modo: Copulativa est necessaria, quando ejus extrema sunt necessariò conjuncta; v. gr. *Homo est animal, & homo est vivens.* Est impossibilis, quando ejus extrema objectiva, repugnat, conjungi; v. gr. *Homo est animal, & homo non est vivens.* Est autem contingens, quando extrema possunt conjungi, vel non conjungi; v. gr. *Petrus currit, & Paulus sedent.* Tandem: Disjunctiva est necessaria, quando necessarium est, alterum ex extremis verificari; v. gr. *Vel creatu-*

(1)
Loffada,
disput. 7.
cap. 5. nu-
mer. 3

(2)
Gilab. lib.
2. quest.
5.n. 249.
(3)
Irrib. lib.
2. quest. 2
artic. 3.

ra existit, vel creatura non existit. Est impossibilis, quando utrumque extreum repugnat; v. gr. *Vel homo non est animal, vel animal non est vivens.* Est contingens, dum ejus extrema possunt esse, vel non esse ut *Petrus sedet, vel studet.*

6—*Circa quantitatem hypotheticarum observandum est, eas specialem non habere quantitatem distinctam à quantitate categoricarum.* Id autem speciale est in copulativis, & disjunctivis, quod particula & est universalitas, & parricula vel particularitas;

(4) *Gilab. ubi sup. num. 150.* (4) ita, ut contradictoria copulativa sit disjunctiva ejusdem de eodem secundum idem; mutata de negativâ in affirmativam; vel è contrâ. *Circa qualitatem hypotheticæ, quæ est ejus veritas, vel falsitas, id observandum est: Ad veritatem conditionalis sufficit bonitas consequentiæ, ab uno ad alterum extreum; ad falsitatem sufficit esse malam consequentiam; idcirco hæc est vera: Si homo volat, habet alas; hæc vero falsa: Si Petrus est homo, leo est brutum.*

7—Ad veritatem rationalis ultra bonitatem consequientiæ, requiritur veritas utriusque partis: ad falsitatem sufficit, quod altera pars sit falsa, vel quod sit mala consequentia; ideo hæc est vera: *Petrus est homo: Ergo est animal; haec autem sunt falsæ: Petrus est lapis: Ergo est insensibilis: Petrus currit: Ergo Joannes moveatur.* Ad veritatem causalis, ultra bonitatem consequientiæ, & utriusque partis veritatem, requiritur, unam partem esse causam alterius; ad falsitatem sufficit, aliquid ex his deficere; propterea hæc est vera: *Quia Sol lucet, dies est; istæ vero sunt falsæ: Quia Petrus moveatur, currit: Quia homo est accidens, inhaeret alteri, &c.*

8—Ad veritatem copulativæ requiritur, quod utræque pars sit vera; v. gr. *Petrus est homo, & leo est bruto-*

tum; ad falsitatem sufficit, quod altera pars sit falsa; v. gr. Petrus est homo, & Leo est rationalis. Ad veritatem disjunctivæ sufficit, alteram partem esse veram; v. gr. Vel Petrus movetur, vel quiescit: Ad falsitatem requiritur, utramque partem esse falsam; v. gr. Vel Leo disputat, vel studet. Nota: Propositionem disjunctivam, cuius utraque pars est vera, esse falsam, (5) dummodo particula *vel* sit rigorosè disjunctiva, prout idem sonat, ac tantum: Si autem, prout idem est, ac saltem, accipiatur, non erit disjunctiva falsa, etsi utraque ejus pars sit vera. (6)

(5)

D. Thom.
q.48. tra-
ctat. de
enunc. cap.
14.

(6)

Coll. Com-
plut. apud.
Gilab. ubi
suprà, nu-
mer. 254.
Et Loffa-
da ubi su-
prà, num.
12.

Loci arguendi.

9—Plures sunt in hypotheticis arguendi loci, & quidem utilissimi. Pro conditionalibus est triplex. Primus est: A conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis est optima consequentia; v. g. Si Petrus currit, movetur; sed currit: Ergò movetur: non tamen valet à positione consequentis ad positionem antecedentis; v. gr. Si Petrus currat, movetur; sed movetur: Ergò currit. Secundus est: A Conditionali cum negatione consequentis ad negationem antecedentis; v. gr. Si est homo, est animal; sed non est animal: Ergò non est homo. At non valet à negatione antecedentis ad negationem consequentis. Tertius est: A conditionali ad disjunctivam compositam ex consequenti, & contradictrio antecedentis; v. gr. Si Petrus currat, movetur: Ergò vel movetur, vel non currit.

10—Pro rationalibus duplex est locus. Primus: A rationali ad copulativam, & conditionalem valet: itaque, si hæc est vera: Homo est rationalis: Ergò est risibilis, infertur: Ergò & est rationalis, & est risibilis: Ergò si est rationalis, est risibilis. Secundus est: A rationali ad quamlibet ejus partem; sed non è contraria;



v. gr. Ex hac : *Homo est rationalis* : Ergo est risivus, infertur : *Ergo est rationalis* : Ergo est risivus. Pro causalibus datur duplex locus. *Primus* : A tota causali ad quamlibet ejus partem; v. gr. *Quia homo est rationalis, est risibilis* : Ergo est rationalis : Ergo est risibilis. *Secundus* : A tota causali ad copulativam, & conditionalem; sed non è contrà, ut diximus in primo loco pro rationalibus.

I I. — *Pro copulativis* duplex datur locus : *Primus* : à copulativà ad quamlibet ejus partem determinatam, valet ; at non è contrà ; v. gr. *Petrus ambulat, & disputat* : Ergo ambulat ; vel : Ergo disputat : Sed non valet : *Petrus ambulat* : Ergo ambulat, & disputat. *Secundus* : A copulativà ad disjunctivam, sed non è contrà ; v. gr. *Petrus currit, & manducat* : Ergo vel currit, vel manducat ; sed non valet è contrà. *Pro disjunctivis* est duplex locus. *Primus* est : A qualibet parte ad totam disjunctivam, valet ; v. gr. *Petrus currit* : Ergo vel currit, vel sedet : sed non è contrà. *Secundus* : A disjunctivà cum destructione unius partis ad positionem alterius valet, dummodò partes non sint connexæ ; v. gr. *Vel Petrus currit, vel sedet* ; sed non currit : Ergo sedet.

ARTICVLVS III.

De Propositione Exponibili.

I. — **P**ropositio Exponibilis est, quæ propter suam obscuritatem, indiget expositione, mediante alià propositione, quæ dicitur exponens. Est autem triplex, nempe *exclusiva*, *exceptiva*, & *reduplicativa*. *Exclusiva* est, in qua, vel alia subjecta excluduntur à prædicato, vel alia prædicata à subjecto per hæc signa;

gna: tantum, dumtaxat, solum, &c. Quarè si particula exclusiva sit ex parte subjecti, excludit alia subjecta à prædicato; v. gr. *Solum Deus est Omnipotens*, in quâ quodvis aliud subjectam excluditur à participatione Omnipotentiæ. Si autem particula exclusiva sit ex parte prædicati, excluduntur alia prædicata à subjecto; v. gr. *Petrus tantum disputat*; in quâ excluditur à Petro aliud quocumque, præter disputandi negotium.

2 — Ad exponendam propositionem exclusivam notwithstanding est, propositionem exclusivam ex parte subjecti, quæ simpliciter est exclusiva, quadruplicem esse; alia enim est affirmativa, tam signi, quam copulæ; v. gr. *Tantum Deus est immensus*; quæ sic exponitur: *Deus est immensus*; & nihil, præter ipsum, est immensus. Alia est negativa, & signi, & copulæ; v. gr. *Non tantum Petrus non disputat*; quæ sic exponitur: *Petrus non disputat*; & aliquis, præter ipsum, non disputat. Alia est negativa signi, & affirmativa copulæ; v. gr. *Non tantum Petrus est doctus*; quæ sic exponitur: *Petrus est doctus*; & aliquis, præter ipsum, est doctus. Alia denique est affirmativa signi, & negativa copulæ; v. g. *Non tantum Petrus est doctus*; quæ sic exponitur: *Petrus est doctus*; & aliquis, præter ipsum, est doctus. Alia denique est affirmativa signi, & negativa copulæ; v. gr. *Tantum Petrus non currit*; quæ ita exponitur: *Petrus non currit*, & omnes alii currunt.

3 — Propositio exceptiva est, in quâ aliquid inferius subjecto, & sub illo contentum, excipitur à participatione prædicati per aliquam ex his particulis: *præter, nisi, excepto, &c.* v. gr. *Omne ens, præter Deum, est defectibile*; quæ sic exponitur: *Deus non est defectibilis*; & *omnia alia sunt defectibilia*. Nota, discrimin inter propositionem exclusivam, & exceptivam reper-

tum: Quia per exceptivam excluditur à prædicato aliquid contentum in subjecto : per exclusivam verò excluditur aliquid in eo non contentum , ut patet in supra positis exemplis. Nota 2. : in propositione exclusivâ ex parte prædicati non esse sumendam exclusionem in toto rigore ; ita, ut omnia alia quæcumque excludantur à subjecto ; sed minus rigidè; ita, ut excludantur alia ejusdem generis ; (1) v. gr. *Petrus est tantum Logicus*; in quâ solum à Petro excluduntur aliæ scientiæ.

(1)
Grlab.lib.
2. quæst.

5. §. 6.

4. Propositio reduplicativa est, in quâ prædicatum dicitur de subjecto , in quantum tali, per aliquam ex his notis: *Vt, prout, in quantum, quatenus, &c.* v. gr. *Homo, in quantum rationalis, est discursivus*. Hæc exigit duas exponentes , quarum prima affirmet universaliter prædicatum de termino reduplicato ; secunda verò sit causalis , cur prædicatum subjecto conveniat; dicta itaque propositio sic exponitur : *Omne rationale est discursivum: Et quia aliquid est rationale, est discursivum*. Sed est advertendum , particulas reduplicativas quandoque sumi restrictivè ; ut in hac propositione: *Ætiops est albus secundum dentes*. Ex his facilem verint Tyrones modum exponendi singulas expónibiles.

ARTICVLVS IV.

De Propositione Modali.

Constat jam, Propositionem Modalem eam esse, in quâ prædicatum de subjecto dicitur aliquo determinato modo ex his: *Possibile, impossibile, &c.* Est autem modus : *Dictio modificans unionem prædicati cum subjecto*. Si autem modus subjectum afficiat

afficiat, vel prædicatum, ut in his: *Petrus contingens disputat: Petrus currit contingenter*, non erit propositio modalis, sed de *in esse*. Debet igitur copulam afficere; v. gr. *Hominem, necesse est, esse animal*. Datur itaque in Propositione modali *Dictum, & Modus*: *Dictum* est ea propositio, quæ modificatur; *modus* verò est ea dictione, illam modificans propositionem. Quatuor sunt modi: *Possibile, impossibile, contingens, & necessarium*. At verò modi isti non sunt sumendi adverbialiter, sed nominaliter, ut modalem efficiant propositionem.

2 — Dividitur Propositio Modalis in Modalem, de sensu composito, & Modalem de sensu diviso. (1) Prima est, in quā modus dictum modificat, denotando compositionem extremorum ex parte dicti; v. gr. *Album esse nigrum, est possibile*; cujus sensus est: *Possibile est, idem simul esse album, & nigrum*. Secunda est, in quā modus dictum modificat, denotando extremorum divisionem; v. gr. *Album, possibile est, esse nigrum*; cujus sensus est: *Quod nunc est album, potest esse nigrum postea*. Id autem nota, quod si modus subjiciatur, vel prædictetur de dicto absque interpositione ullâ, reddit propositione sensum compositum, v. gr. *Album esse nigrum, est possibile*; si autem modus interponatur dicto, reddit sensum divisum, ut *Petrum sedentem, possibile est, currere*. Eadem doctrina applicanda est propositione de *in esse*, in quā est particula *poteſt*.

3 — Circa Modalium qualitatem attendendum est, an modus dicto conveniat; eritque vera, si conveniat; sint autem, erit falsa: ideo hæc est vera: *Lapidem discurrere, est impossibile*; hæc autem falsa: *Petrū currere, est necesse*. Circa quantitatem sciendum est, Modalem ex parte dicti posse esse universalem, particularem, indefinitam, & singularē juxta regulas propositionū de *in effe*.

(1)
Coll. Rip.
lib. 2. dub.
6. Conf. 1.
n. 7. 8. &
9.
Et Conf.
4. à num.
32.

(2)
Vide sup.
articul. I.
num. 6.

esse. (2) At ex parte modi omnis propositio modalis est universalis, vel particularis juxta modi naturam. Utque id intelligatur, advertendum: *necesse esse* modum universalem affirmativum; *impossibile* universalem negativum; *possibile* particulare affirmativum, & *possibile non* particulare negativum; quod innuunt versus isti:

OMNIS necesse valet; IMPOSSIBILE nullus;
POSSIBILE quidam, QVIDAM NON possibile non.

4 — Facile ex dictis cognoscendum ducimus, hanc esse universalem affirmativam: *Hominem esse animal, est necesse*; hanc universalem negativam: *Hominem esse lapidem, est impossibile*; hanc particularem affirmativam: *Hominem currere, est possibile*; hanc denique particularem negativam: *Hominem esse brutum, non est possibile*. Restat advertendum, propositionem modalem, aliam esse affirmativam, tam ex parte dicti, quam ex parte modi; v. gr. *Hominem esse discursivum, est necesse*; aliam ex parte utriusque negativam; ut *Hominem non esse animal, est impossibile*; aliam affirmativam ex parte modi, & negativam ex parte dicti; v. gr. *Petrum non currere, est possibile*; & tandem aliam negativam ex parte modi, & affirmativam ex parte dicti, ut *Brutum discurrere, non est possibile*. Sed denominatio absoluta sumitur à modo.

Loci arguendi.

5 — Tres sunt in Modalibus arguendi loci. *Primus est*: A Propositionibus Modalibus de *necesse*, & *impossibili* ad suas de *in esse* valet consequentia; sed non è contrà; v. gr. *Petrum esse hominem, esse necesse*: *Ergo Petrus est homo*: *Petrum esse equum, est impossibile*: Er-

gò Petrus non est equus. Sed non valet è contrà. Secundus locus : A Propositione de in esse , ad Modalem de possibile valet; sed non è contrà; v.gr. Petrus est albus: Ergò Petrum esse album , est possibile. At non è contrà. Tertius est : A composita de possibile ad divisam valet; sed non è contrà; v. gr. Album esse dulce , est possibile: Ergò album , possibile est , esse dulce. Sed non è contrà; v. gr. Album , possibile est , esse nigrum : Ergò album esse nigrum,est possibile.

QUÆSTIO III.

DE PROPRIETATIBVS PROPOSITIONIS.

ARTICULUS I.

Quid , & quotuplex sit Oppositiō dialectica?

1—**P**roprietates propositionis sunt : *Oppositiō*, *Æquipollentia*, & *Conversiō*. Oppositiō dialectica (de aliis enim oppositionis generibus alibi redibit sermo) est juxta Aristotelem: (1) *Affirmatio*, & *negatio ejusdem de eodem secundūm idem*. Hinc adnotandæ sunt conditiones ad Oppositionem requisitæ. Prima conditio est: Altera ex oppositis propositionibus debet esse affirmativa , altera negativa; quare istæ non opponantur dialecticè, & si physicè opponantur: *Homo existit : hominis carentia existit*. Secunda: Vtraque propositio debet esse ejusdem subiecti , ejusdemque prædicati cum eisdem casibus obliquis,iisdemque syncategorematis: præter quantitativa , quæ sunt notæ universalitatis, & particularitatis ; hæ namque variari possunt , ut infra dicemus, num. 5. & 6.

(1)
Aristot. 1.
per h. ierm.
cap. 1.

Ex

2—Ex hac conditione infertur *Tertia*: In utræque propositione oppositæ observari debent eadem conditiones, seu circumstantiæ loci, temporis, acceptio-nis, & significationis: ideo istæ non opponuntur: *Petrus studet domi*: *Petrus non studet in platea*; nec istæ: *Petrus disputat*: *Petrus non disputabit*; neque istæ: *Gallus est homo*: *Gallus non est homo*; si *Gallus*, in primâ hominē, francū, & avem in secundâ significet. *Quarta conditio*: In utræque propositione debet servari eadem acce-ptio terminorum; ita, ut si subjectum in una accipiatur uno sensu, eodem accipiatur in altera: Quare va-tiatio cuiuscumque proprietatis termini, præter sup-positionis variationem, quæ ex signis quantitatis ori-tur, tollit oppositionem.

3—Propterea: Istæ non opponuntur: *Animal est genus*: *Animal non est genus*; si *animal* in priori supponat simpliciter, & in secunda personaliter; si verò eodem modo, sive simpliciter, sive personaliter in utræque supponat, erunt oppositæ. Neque opponuntur istæ: *Rex est nomen*: *Rex non est nomen*, si ly *Rex* in prima supponat materialiter pro ipsa *voce*, & in secunda formaliter pro *Rege* significato; at si uno modo in utraque supponat, erunt abs dubio contradictoræ.

4—*Quadruplex est dialectica Oppositiō*: *Contra-dictoria*, *Contraria*, *Subcontraria*, & *Subalterna*. Contra-dictoria est, quæ datur inter duas propositiones, qua-tum altera est universalis, altera particularis; v. gr. *Omnis homo est justus*: *Aliquis homo non est justus*. Con-traria est, quæ datur inter duas propositiones univer-sales; v. gr. *Omnis homo currit*: *Nullus homo currit*. Subcontraria est; quæ datur inter duas propositiones parti-culares; v. gr. *Aliquis homo est albus*: *Aliquis ho-mo non est albus*. Tandem subalterna est, quæ mediat inter duas propositiones, quarum altera sit universa-

lis, particularis altera, sed utraque affirmativa, vel utraque negativa; v. gr. *Omnis homo est animal: Aliquis homo est animal.* Hæc autem non est propriè Oppositiō, quia non est *Affirmatio, & negatio, &c.*

5—At verò Oppositiō potest esse, vel de lege tantum, vel de lege, & nota simul. Pro cuius intelligentia notandum est, legem Oppositionis esse repugnancia duarum propositionum ratione veritatis, & falsitatis: Nota autem est particula universalitatis, vel particularitatis. Illa igitur est Oppositiō *de lege* tantum, quæ datur inter propositionem affirmativam, & negativam, nullà notâ affectas universalitatis, vel particularitatis. Illa est *de lege, & nota simul*, cuius extrema sunt dictis notis affecta. *Jam itaque lex Oppositionis Contradictoriæ est, quod altera sit vera, & altera falsa.* Ejus nota est, quod altera sit universalis, & altera particularis.

6—Lex Oppositionis Contrariæ est, quod pugnant in veritate; ita, ut nunquam possint esse simul veræ; non verò in falsitate, quia possunt esse simul falsæ, saltem ratione formæ; nam in materia necessaria, vel impossibili nequeunt esse falsæ simul, sed id solum est ratione materiæ. Ejus nota est, quod utraque propositio sit universalis. Lex Oppositionis Subcontrariæ est, quod pugnant in falsitate; ita, ut nequeant esse simul falsæ: & non pugnant in veritate; cum possint esse simul veræ ratione formæ; et si non in materia necessariâ, & impossibili, sed contingenti tantum: sicut de simultaneâ falsitate Contrariarum diximus. (1) Lex Subalterna nulla est; quia possunt esse simul veræ, vel falsæ. Nota est, alteram esse universalem, alteram particularem.


7—Præter dicta, observandum est, (3) non aliter evidenter discernendas esse Oppositiones, quam sequentibus signis. Primum pro Contradictoriis est: quod una debet affirmare, vel negare id præcisè, quod

(2)
Subcon-
traria nō
est pro-
priè oppo-
sitio. Coll.
Rip.lib. 2
dub. §. cō-
fer. 3:

(3)
Vide Gi-
lab, lib. 2:
quæst. 6,
§. 2. à nu-
322. P.
Loffada,
disp. 7. c.
2. num. 3:
& 4.

ad aliam falsificandam requiritur, & non amplius: Sicque si una sit vera, altera erit præcisè falsa. Ex quo patet, contradictionem hujas: *Omnis homo est albus*, non esse istam: *Aliqui homines non sunt albi*, neque istam: *Petrus non est albus*; quia, ut prima sit falsa, non requiritur, quod plures homines, aut unus determinatè, non sint albi; sed sufficit, aliquem vagè, & indeterminatè non esse album. Sunt ergò dictæ propositiones contrariè oppositæ, ob rationem statim innuendam.

8.—*Secundum signum pro Contrariis est*: quod altera debeat plus affirmare, vel negare, quam ad alterius falsitatem requiritur. Et ratio est; quia ad falsificandam universalem affirmativam; v. gr. *Omnis homo est albus*, sufficit, aliquem hominem non esse album: Ergo ejus contraria: *Nullus homo est albus*, negans de omni homine albedinem, plus negat, quam ad primæ falsificationem requiritur. Inde resultat, ut ambæ Contrariæ vi formæ possint esse simul falsæ. *Tertium pro Subcontrariis est*: quod una debeat affirmare, vel negare minus, quam ad alterius falsitatem requiritur; ut enim falsificetur ista: *Aliquis homo est albus*, requiritur universalis negatio albedinis de omni homine: Ergo ejus Subcontraria: *Aliquis homo non est albus*, negans tantum albedinem de aliquo homine, minus negat, quam ad primæ falsitatem requiritur. Ecce jam totius doctrinæ propositum exemplar.



ARTICVLVS II.

Aliqua circa Oppositionem dialecticam resolvuntur.

I **INQUIRES** i. Vtrum in aliquà materia possint dari duæ Contradictoriæ simul veræ , vel simul falsæ . Constat jam ex dictis, (1) duas Contrarias posse esse simul falsas ; non tamen simul veras. Ratio primæ partis est; quia, cum una ex Contrariis affirmet prædicatum de omni subjecto , altera de omni subiecto idem neget prædicatum , evenire potest , ut aliqui tantum conveniat ; in quo casu utraque erit fal-

sa: ut de facto albedo alicui tantum convenit homini; ideoque utraque contraria in tabella posita est falsa, ut cernenti patebit. *Ratio* secundæ partis est: quia, cum Contraria sub se includat suam Subalternam, si utraque Contraria est vera, etiam erit vera utraque subalterna; sicque Contraria affirmativa, & Subcontraria negativa erunt veræ: adeoque darentur duæ Contradicторiæ simul veræ; quod repugnat.

2 Exemplis patet doctrina ista: Si enim esset vera ista: *Omnis homo est albus*, erit pariter ista: *Aliquis homo est albus*; &, si vera est hæc: *Nullus homo est albus*, ista pariter: *Aliquis homo non est albus*: Ex quo quis non advertat, has Contradicторias: *Omnis homo est albus*: *Aliquis homo non est albus*, esse simul veras: Constat etiam, Subcontrarias posse esse simul veras, ut de facto sunt veræ, istæ: *Aliquis homo est albus*: *Aliquis homo non est albus*; non tamen simul falsas, alias, cum Contrariæ, quibus contradicτoriæ opponuntur, possint esse simul falsæ, ut nuper diximus; darentur duæ Contradicτoriæ simul falsæ; quod esse non potest.

3 Nunc ad quæstum respon.: In nullà materiâ dæri possunt duæ Contradicτoriæ simul veræ, aut simul falsæ. Nititur hæc cine resolutio principiis Aristotelicis (2) lumine naturali notis: *Quodlibet est, vel non est: Impossibile est, idem simul esse, & non esse*. Hæc quidem principia metaphysicè infalibilia falsificarentur, si duæ darentur Contradicτoriæ simul veræ, vel simul falsæ: Ergò in nullà materiâ, &c. Prob. antec.: Nam si utraque hæc Contradicτoria: *Omnis homo est albus*: *Aliquis homo non est albus*, esset vera; ille *aliquis homo non est albus*, ut secunda indicat propositio; aliunde idem *aliquis homo* comprehensus sub prima universalis esset albus, ut ipsa indicat propositio uni-

(2)
Aristot. 4
meth. cap.

3.

universalis : Ergò simul esset, & non esset albus: Ergò non implicaret, quòd idem simul esset, & non esset; quod est chimæricum.

4 INQUIRES 2. : Quenam sit omnium Oppositionum maxima? Resp. : Contradictoriam Oppositionem esse omnium maximam, simpliciter loquendo: Ratio est: quia *id*, propter quod unumquodque est tale, est in eo genere maximum; sed, ut D. Thomas (3) docet, cæteræ Oppositiones eò majores sunt, quò plus ad Contradictoriam accedunt: Ergò Contradictoria est omnium maxima. Conf. : Repugnantia aliarum Oppositionum probari solet per repugnantiam Contradictoriæ; ideo enim repugnant duæ Contrariæ simul veræ, quia inde inferrentur veræ duæ Contradictoriæ; & ideo repugnant Subcontrariæ falsæ, quia inde falsæ sequerentur Contradictoriæ, ut diximus, n. 1. & 2.; sed ineptè probatur major per minorem Oppositionem; aptè verò è contrà: Ergò Contradic-toria est maxima Oppositio.

5 Prob. eadem resolutio: Vbi est major pugna, major est Oppositio, sed in Contradictoriis est major pugna: Ergo. Prob. min. : Contrariæ pugnant in sola veritate; cum possint esse simul falsæ, atque ideo in falsitate non pugnant: Subcontrariæ in sola falsitate; possunt enim esse simul veræ, quia ratione in veritate non pugnant; sed in utroque pugnant Contradictoriæ: Ergò. Si dicas: Contrarias plius inter se opponi in affirmatione, & negatione; eò quòd plius affirmant, & negant, cum sint universales. Contra: Etsi Contrariæ plius negant, vel affirment extensivè, non verò intensivè; id est negant, seu affirmant de pluribus, sed non plius: Ergò in hoc Contradictorias non excedunt, sed æquant: Ergò, cum aliundè in pugna veritatis, & falsitatis ab his superentur; major erit Contradictoria Oppositio,

(3)
D. Thomas
Opusc. 37
Apud Gi-labert.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

I ARGVES I. contra 1. resolutionem: Ex quo

A dentur duæ Contradictoriæ simul veræ, non sequitur falsitas illius principii: *Quodlibet est, vel non est*: Ergò falso nititur fundamento prima resolu-tio. Prob. ant.: Ex quo dentur duæ Contradictoriæ simul veræ, solum sequitur veritas hujus propositionis: *Quodlibet est, vel non est*; sed cum veritate hujus non stat illius principii falsitas: Ergò. Prob. min.: Hæc propositio infert illud principium; sed antecedens ve-rum nequit inferre consequens falsum: Ergò. Mai. est certa; quia propositio copulativa infert optimè dis-junctivam. (4) Conf.: Istæ sunt Contradictoriæ: *In mari sunt pisces; in mari non sunt pisces*; sed ambæ sunt veræ: Ergò. Min. quoad 1. partem patet; quoad 2. prob. Hæc est vera: *In mari sunt non pisces*; quia sunt lapides: ergo & illa. Conseq. tenet; quia arguitur à propositione affirmativâ de prædicato infinito ad ne-gativam de prædicato finito.

7 Resp. ad arg; neg. ultimam maj; ad prob. ne-gatur, eam propositionem *Quodlibet est, vel non est*, esse disjunctivam; est enim exceptiva, quia ly vel non sumitur disjunctivè, prout est idem, ac *saltem*; sed exclusivè, prout idem sonat, ac *tantum*, redditique hunc sensum: *Quodlibet, vel tantum est, vel tan-tum non est*. (5) Ad Conf. resp., neg. ant. prob.; ad

Vide, quæ hujus prob. negatur ant.: quia *pisces* in his propositio-diximus, nibus non est prædicatum, sed subjectum, cum red-quest. 2. dant hunc tensum: *Pisces sunt existentes in mari*: Pi-art. 2. nu-*pisces non sunt existentes in mari*, quæ verè sunt Contra-mer. 8. dictoriæ, sed altera vera, falsa altera; sicque non ar-guitur modo in argumēnto prætenso.

ARGVES

8 ARGV. 2.: Omne album aliquà albedine est album:
 Aliquod album aliquà albedine non est album sunt pro-
 positiones Contradictoriæ; pariter istæ: Petrus aliquan-
 dò currit; Petrus aliquandò non currit; sed omnes sunt
 vere, ut clare patet: ergo. Resp., neg. ant: Primæ non
 sunt Contradictoriæ; quia negativa non negat, quod
 altera affirmit: Est ergò Contradictria hujus: Omne
 album aliquà albedine est album, ista: Aliquod album
 non est aliquà albedine album. Idem sentimus de his:
 Petrus essentialiter, & secundum se est albus: Petrus
 essentialiter, & secundum se non est albus; quæ non sunt
 Contradictroriaræ; sed istæ: Petrus essentialiter, & secun-
 dum se est albus: Petrus non est essentialiter, & secun-
 dum se albus; quia negativa debet de Petro negare, &
 albedinem, & modum illi conveniendi, cum utrum-
 que affirmet affirmativa.

9 Neque secundæ sunt Contradictroriaræ; quia ali-
 quandò est adverbium temporis, & quidem particu-
 lare affirmativum, cuius contradictorium est univer-
 sale negativum, nempe *numquam*: istæ itaque sunt
 Contradictroriaræ: Petrus aliquandò currit: Petrus *num-*
quam currit; & istæ: Petrus aliquando non currit: Pe-
 trus *semper currit*. Idem intellige de adverbii loci, &
 aliis similibus, quæ notis universalitatis, & particu-
 laritatis æquivalent, juxta dicta: (6) Contradictria enim
 hujus: Petrus ubique studet, est: Petrus alicubi non stu-
 det; & Contradictria hujus: Petrus alicubi ludit, est:
 Petrus nullibi ludit. Ex quibus deduces Contradic-
 triam hujus: Cujuslibet militis omnis equus semper, &
 ubique currit; essa istam: Alicujus militis aliquisequus
 aliquando, & alicubi non currit.

10 ARGVES 3.: Istæ sunt Contradictroriaræ: Omne
 animal fuit in Arcâ Noë: Aliquod animal non fuit in
 Arcâ Noë; Sed ambae sunt veræ: ergo. Resp. Eas non
 esse

(6)

Lib. I. q.¹
3. art. I.
num. 12.

esse Contradictorias; quia ly *animal* in primà supponit incompletè pro generibus singulorum, & in secundà determinatè, & completè pro singulis generum, sicque variatur suppositio: at, si in primà sumatur animal completè, prout requiritur, ut sint Contradictoriæ; jam prima est falsa, & secunda vera. *Hic adverte*, Contradictriam hujus: *Omnes Apostoli Christi sunt duodecim*, esse istam: *Omnes Apostoli Christi non sunt duodecim*; quia ly *Apostoli* supponit collectivè; quæ suppositio est invarianda in Contradictoriis: *Panner* Contradictria hujus: *Omnes homines currunt* non est ista: *Aliqui homines non currunt*; sed ista *Aliquis homo non currit*.

11—*ARGVES* 4.: Hæ sunt Contradictrix: *Aliquis oculus requiritur ad videndum*: *Nullus oculus requiritur ad videndum*; sed utraque vera est: Ergò. Min. quoad 1. partem patet; quoad 2. prob.: In primis non requiritur dexter, cum sine illo, solo sinistro videri possit; sed neque sinister, cum solo dextero possit videri: Ergò. *Resp.* Eas non esse Contradictorias; quia *oculus* in primà supponit confusè pro disjuncto oculorum; in secundà distributivè pro quolibet oculo in particuli; ideo variatur suppositio plus, quam Opposito permittat. Veruntamen, si ly *oculus* in prima accipiatur determinatè, & disjunctivè, sensus ejus erit: *Vel hic oculus, vel ille requiritur ad videndum*; cuius Contradictria est: *Neque hic oculus, neque ille requiritur ad videndum*.

12—*ARGVES* 5.: Duæ Contraria possunt esse simul falsæ in materia contingentí; sed in eadem materia potest altera ex Subcontrarijs esse falsa: Ergò erunt duæ Contradictria simul falsæ. Conseq. tenet; quia hæc Subcontraria falsa cum aliquà ex Contrariis falsis opponitur contradictoriè. Min. autem pate;

nam

Artic. 11. *Aliqua circa Opposit. Dialect. resol.* 137
nam evenire potest casus, in quo omnes homines sint
albi; sitque falsa ista: *Aliquis homo non est albus*. Res.
pon. dist. min.: Simul cum falsitate Contrariarum,
nego min.; divisivè, ab earum falsitate, conc. min.
In casu, quo ambæ Contrariae sint falsæ, ambæ Sub-
contrariae erunt verae: at verò in casu argumenti, si-
cūt falsificatur ista Subcontraria: *Aliquis homo non est*
albus; ita verificatur ista Contraria: *Omnis homo est*
albus, cum quā ea Subcontraria opponitur contradic-
toriē.

13 — ARGVES 6.: Iste sunt Contradicторiae: *Hæc pro-*
positio est falsa: *Hæc propositio non est falsa*; sed ambæ
sunt vere casu, quo prima loquatur de se ipsa reflexè,
& secunda loquatur de prima: Ergo. *Prob. min. quoad*
1. partem: Nam illa prima propositio vel est falsa,
vel vera? Si vera; probata est prima pars minoris:
Si est falsa; hoc ipso est vera: Ergo semper est vera.
Prob. min.: si est falsa, dicit rem prout est in se, quia
dicit, se esse falsam; sed si dicit rem prout est in se, est
vera: Ergo si est falsa, hoc ipso est vera. *Secunda pars*
primæ minoris patet; quia si prima est vera, non est
falsa: Ergo vera est secunda, dicens de prima, quod
non est falsa; ergo vera est utraque.

14 — En Sophisma chimæricum, in cuius solutione
variè insudarunt Antiqui Dialectici; Recentioribus
autem nodum istum, aliosque similes, potius rum-
pere, quam solvere, optimè visum est. Negatur er-
gò suppositum minoris, quod nempe prima propo-
sitio possit loqui de se ipsa; cum repugnet signum sui
ipsius; & si talis casus impossibilis est permittendus,
ex eo Contradicторias esse veras inferri, fatemur;
quia ex impossibili quodlibet sequitur; (7) cæterum
sicut est casus chimæricus, ita impossibilis earum ve-
rificatio propositionum.

(7)
Vide attē-
tè Loffada
disput. 7.
cap. 3. n.
19. usque
ad 26.

S

Hypo:

Hypotheticarum Oppositi.

15. Inter propositiones hypotheticas, si formaliter inspiciantur, nulla reperiri valet, nisi Contradictoria Oppositi; quia in his ratione formæ solùm variari potest Oppositi secundùm affirmationem, & negationem: affirmativa autem hypothetica semper est Contradictoria negativæ; cum hęc negativa esse non possit, nisi negatio principalem afficiat copulam. Sit itaque generalis regula pro hypotheticis: Contradictoria hypotheticæ affirmativæ erit hypothetica formaliter negativa per negationem toti propositioni præpositam: Contradictoria enim hujus: *Si Petrus currit, movetur, est*: *Non si Petrus currit movetur*: Contradictoria hujus: *Quia homo est rationalis, est discursivus, est*: *Non quia homo est rationalis, est discursivus*; & sic de aliis.

16. At verò, quia circa copulativas, & disjunctivas dubitari posset, an particula *non* præposita immediatè subiecto primæ partis, sumatur infinitater, an negater; expedit, particulam adverbiale in post particulam *non*, & ante subiectum collocare; ita, ut Contradictoria hujus: *Petrus currit, & Paulus ambulat*, sit ista. *Non & Petrus currit, & Paulus ambulat*; & Contradictoria hujus: *Vel Petrus currit, vel Joannes ambulat*, sit ista: *Non vel Petrus currit, vel Joannes ambulat*. Aliter nihilo minus solet fieri inter copulativas, & disjunctivas Contradiccio; istæ enim sibi invicem sunt Contradictoriæ, si partes, quibus constant, in altera sint affirmativæ, & in altera negativæ; v. gr. Contradictoria hujus: *Petrus currit, & Joannes sedet, est*: *Vel Petrus non currit, vel Joannes non sedet*; & è contrà. (8)

(8) Gilab. lib. 2. q. 6. §. 4. Loffada, disput. 7. cap. 5. n. 27. 17. — Diximus, non aliam, præter Contradictoriam, reperiri Oppositionem inter hypotheticas formaliter inspectas: Cæterū ratione partium, quæ sunt categoricas, quibus constant, poterit alia reperiri, dummodo

modò altera constet categoricis affirmativis, altera negativis, utriusque tamen adverbialis copula sit affirmativa. Propterea *observandum est* 1. : Dari Oppositionem Contrariam inter copulativas, quarum una utrumque extremum habet affirmativum, altera utrumque, vel alterum negativum; v. gr. *Petrus sedet, & disputat*: *Petrus non sedet, & non disputat*; vel etiam: *Petrus sedet, & non disputat*. Hæ quippe in veritate, non in falsitate, pugnant; quia utraque est falsa casu, quo Petrus solum disputet.

18—*Observandum est* 2. : Supradictam Oppositionem, si inter disjunctivas eformetur, esse Subcontrariam; v. gr. *Petrus sedet, vel disputat*: *Petrus non sedet, vel non disputat*, aut etiam: *Petrus sedet, vel non disputat*; quarum utraque est vera casu, quo Petrus sedeat, & non disputet; at numquam valent esse simul false: propterea in falsitate pugnant, non in veritate; quod proprium habet Subcontraria Oppositione. *Observandum est* 3. : Inter copulativam, & disjunctivam affirmativas, vel negativas, dari Oppositionem Subalternam; at, si altera affirmativa sit, negativa altera, erit Oppositio Contradictoria juxta dicta, num. 16. *Observandum est* 4. : Conditionales, quarum altera conditionatum affirmat, altera negat, esse Contrarias; v. gr. *Si Petrus est dives, est doctus*: *Si Petrus est dives, non est doctus*. Idem dicimus à simili comparatione de causalibus; v. gr. *Quia Petrus est logicus, est Musicus*: *Quia Petrus est logicus, non est Musicus*; quarum utraque est falsa. (9)

19—Vt Oppositio formetur inter exponibiles, observandum est, eas in se ipsis vix admittere contradictionem, exclusivam præsertim, & exceptivam; licet inveniri possit inter reduplicativas, dummodo negatio ipsam afficiat reduplicationem; v. gr. *Homo in sive,*

(9) Vide Pat.
Loffada,
disput. 7.

cap. 5. à
num. 26.

usque ad
27. inclusio

(10) quantum albus, est coloratus: Homo, non in quantum
P. Loffada
 disput. 7.
 capite 6.
 num. 7. 11
 & 16.
 (11)
Gilab. lib.
 12. quæst. 6
 §. 4. num.
 355.

albus, est coloratus. (10) Optimè igitur sit exponaibilium
 Oppositio, eas resolvendo in suas exponentes, quæ
 vel erunt copulativæ, vel disjunctivæ; quarum Op-
 positionem efformandi modum explanatum habes su-
 prà num. 16, (11)

ARTICVLVS III.

De Propositionum Äquipollentia, & Conversione.

1 - **A**Quipollentia, secunda propositionis pro-
 prietas est: Äquivalentia duarum propo-
 sitionum, quoad veritatem, & sensum ratione negationis
 anteposita, vel postposita. Sed quia aliter Contradi-
 citoriae, aliter Contrariæ, & aliter Subalternæ äqui-
 pollentes fiunt; tres sunt regulæ statuenda, quæ se-
 quenti carmine continentur.

1 *Præ Contradic.* 2. *Post Cōtra:* 3. *Præ, postq; Subalter.*

Præ Contradic. denotat primam regulam; nempe,
 Contradictorias fieri inter se äquipollentes, si subjecto
 præponatur particula *non*; v. gr. *Omnis homo est al-
 bus*: *Aliquis homo non est albus*; præponitur negatio
 cuiusvis propositionis subjecto, sicque äquivalat pri-
 ma secundæ, & secunda primæ, ideoque: *Non omnis
 homo est albus*, äquipollet huic: *Aliquis homo non est
 albus*; & ista: *Non aliquis homo non est albus*, äquipol-
 let huic: *Omnis homo est albus*.

2 - *Post Contra* secundam regulam denotat; fieri
 nempe Contrarias äquipollentes, si subjecto postpo-
 natur negatio; v. gr. *Omnis homo est albus*: *Nullus ho-
 mo est albus*, ita fiunt äquipollentes: *Omnis homo non
 est albus*: *Nullus homo non est albus*; ex his enim pri-
 ma äquipollet secundæ; & secunda primæ. *Præ, pos-
 tq;*

que Subalter terriam indicat regulam ; subalternas vi-
delicet fieri æquipollentes per negationem anteposi-
tam, & postpositam; v. gr. *Omnis homo est albus* : *Aliquis
homo est albus*, sic fiunt æquipollentes: *Non omnis homo
non est albus*: *Non aliquis homo non est albus*; nam hæc:
Non omnis homo non est albus, æquipollet huic: *Aliquis
homo est albus*; & ista: *Non aliquis homo non est albus*;
isti: *Omnis homo est albus*. Quæ facilius hisce carmi-
nibus retinentur.

NON OMNIS, quidā non: *OMNIS NON*, quasi *Nullus*:
NON NVLLVS, quidā sed *NVLLVS NON*, valet *omnis*
NON ALIQUVIS, *Nullus*: *NON QVIDAM NON*, valet
Omnis.

NON ALTER, *Neuter* : *NEVTER NON* præstat
uterque.

De Conversione.

3—Propositionis Conversio, quæ est ejus tertia
proprietas, sic explicatur: *Consequentia formalis unius
propositionis ad aliam per transmutationem subjecti in
prædicatum, & prædicati in subjectum, servata eadem
forma*. Tunc itaque dicitur converti propositione, cum
termini sic transponuntur, ut subjectum fiat prædicatum,
& prædicatum in subjectum mutetur absque ul-
lā affirmationis, aut negationis mutatione. Est au-
tem Conversio triplex: (1) Prima appellatur *Simplex*;
secunda per *accidens*; tertia per *contra positionem*. Prima
est: *Conversio unius propositionis in aliam, servata eadem
quantitate*; ita, ut utraque sit universalis, vel par-
ticularis; v. gr. *Nullus homo est lapis*, convertitur ita:
Ergo nullus lapis est homo.

4—Secunda est: *Conversio unius propositionis in aliam,
variata quantitate*; ita, ut si altera sit universalis, al-
tera debeat esse particularis; v. gr. *Omnis homo est
animal*;

(1)

Aristot. I.
prior. cap.
2. & lib.
2. Topic.
cap. 3.

animal: Ergo aliquod animal est homo. Tertia est: *Conversio unius propositionis in aliam*, variatis terminis finitis in infinitos; v. gr. *Omnis homo est animal*: Ergò *omne non animal est non homo*. Sed quia non qualibet propositio quomodolibet est convertenda, sed aliqua simpliciter, aliqua per accidens, & aliqua per contrapositionem; idcirco sequentia carmina sunt ediscenda.

Simpliciter FECI convertitur: EVA per accid.

ASTO per contra: Sic fit conversio tota.

Ad quorum intelligentiam, advertendum est, in his tribus dictioribus FECI, EVA, & ASTO has quatuor dari vocales A. E. I. O. quarum A denotat propositionem universalem affirmativam; E universalem negativam; I particularem affirmativam, & O particularem negativam, ut concinunt versus isti:

Afferit A, negat E; sed universaliter ambæ:

Afferit I, negat O; sed particulariter ambæ.

§—Jam inde facile dignoscetur, universalem negativam, & particularem affirmativam indicatas per litteras E, & I, dictioris FECI, converti *Simpliciter*; v. gr. *Nultus homo est Leo*: Ergò *nullus Leo est homo*; item: *Aliquis homo est albus*: Ergo *aliquid album est homo*. At verò, universalis negativa, & universalis affirmativa indicatae per litteras E, & A dictioris EVA, converti possunt per accidens; v. gr. *Nullus homo est Leo*: Ergò *aliquis Leo non est homo*. Et: *Omnis homo est animal*: ergò *aliquid animal est homo*. Tandem: Universalis affirmativa, & particularis negativa, denotatae litteris A, & O dictioris ASTO, converti valent per contrapositionem; v. gr. *Omnis homo est animal*: Ergò *omne non animal est non homo*. Tum: *Aliquis homo non est albus*: Ergo *aliquid non album non est non homo*.

Igitur

6—Igitur universalis affirmativa converti potest, vel per accidens, vel per contrapositionem: universalis negativa, vel simpliciter, vel per accidens: Particularis affirmativa tantum simpliciter: Et particularis negativa solum per contrapositionem. Hæc dicta sunt de conversione formalī, quæ ratione formæ in omni matetiā tenet; sæpè tamen conversione materiali, seu ratione materiae convertitur simpliciter universalis affirmativa, quoties aequale prædicatur de æquali; v. gr. *Omnis homo est animal rationale*: Ergò *omne animal rationale est homo*: imo etiam particularis negativa; v. gr. *Aliquis homo non est equus*: Ergò *aliquis equus non est homo*; at non valet in omni materia; v. gr. *Aliquis homo non est Episcopus*; Ergò *aliquis Episcopus non est homo*; propterea est conversio purè materialis pro nihilo ducenda.

7—Præter dicta in Conversione notandum est pri-mò, totum prædicatum propositionis conversæ, quæ est antecedens, debere fieri subjectum convertentis, seu consequentis; & è contrà: Quare non valet: *Nul-lum cælum est in Stellâ*: Ergò *nulla Stella est in Cælo*; sed hoc pacto: Ergò *nullum, existens in Stella, est Cæ-lum*. Pariter ista: *Aliquis equus est Regis*, ita conver-ti debet: *Aliquod ens Regis est equus*; quia prima red-dit hunc sensum: *Aliquis equus est ens Regis*. Et ista: *Aliquis homo currit*, sic: *Aliquod currens est homo*. Notandum est secundò: in Conversione debere servari omnes termini proprietates absque variatione, excepta suppositionis variatione à signis proveniente: Qua-re defectu suppositionis non tenet: *Homo est species*: Ergò *species est homo*; & defectu ampliationis non valet: *Aliquis puer erit senex*: Ergò *aliquis senex erit puer*; sed ita: *Ergò aliquis, qui erit senex, est puer*.

8 Notandum est tertio; circa propositiones sin-gula-

gulares singularem dari convertendi modum; nam propositio, cuius subjectum, & prædicatum sunt singularia, sive sit affirmativa, sive negativa, convertitur simpliciter: ut; Petrus est hic homo: Ergo hic homo est Petrus: Petrus non est Joannes: Ergo Joannes non est Petrus. Si subjectum sit singulare, prædicatum commune, & affirmativa propositio, convertitur in particularem; negativa verò in particularem, vel universalem; v. gr. Petrus est homo: Ergo aliquis homo est Petrus: Item: Petrus non est lapis: ergo aliquis lapis non est Petrus; vel: Ergo nullus lapis est Petrus. Si denique prædicatum sit singulare, subjectum verò particulare, convertitur simpliciter, dummodo sit affirmativa; at nullo modo negativa.

ARTICVLVS IV.


De Oppositiōne, Aequipollentia, & Conversione Modaliūm.

(1)
Suprà q.
2.artic.4
yam. I.

Diximus,(1) Modalem propositionem habere modum, & dictum. Dictum est propositionis, quæ modificatur, & modus est modificatio ipsa propositionis; v. gr. Petrum currere, est necesse, in qua Petrum currere est dictum, & necesse est modus. Ut certum supponimus, duas modales ejusdem modi, quarum altera sit affirmativa ex parte modi, altera negativa, esse Contradictorias; v. gr. Necesse est, Petrum esse hominem: Non necesse est, Petrum esse hominem. Sed quia modi in modalibus æquivalent notis universalitatis, & particularitatis, juxta illud: *Omnis necesse valet, &c.* (2) sicut hæc signa: *Omnis, & Nullus sunt contraria; ita necesse, & impossibile.* Et sicut: *Omnis, & Aliquis non, vel Nullus, & aliquis sunt Con-*

(2)
Vide ubi
Suprà nu-
mero 3.

tradictoria; ita Necesse, & Possibile non, vel Impossi-
ble, & Possible: Necesse, & Possible sunt Subalterna:
Possibile, & Possibile non Subcontraria; ut indicat hæc
tabella.



Modalium Äquipollentia.

2.— Propositiones Modales äquipollentes sunt per easdem regulas, quibus propositiones de *in esse* sunt äquipollentes: Sicut enim Contradictoriæ de *in esse* sunt äquipollentes per negationem præpositam, Contrariæ per ipsam postpositam, & Subalternae per eandem antepositam, & postpositam, juxta illud carmen:

Præ contradic; Post contra; præ, postque subalter; (3)

(3)
Vide sū
præ artic.
3. vum. 1.

ita Modales; v. gr. Hæ Contradictoriæ: Possibile est, Petrum currere: Impossibile est, Petrum currere, ita fiunt equipollentes: Non possibile est, Petrum currere: Non impossibile est Petrum currere. Et istæ Contrariae: Necesse est, Petrum currere: Impossibile est, Petrum currere, sic fiunt equipollentes: Necesse est, Petrum non currere: Impossibile est, Petrum non currere. Pari modo discussendum proportione servatæ in aliis Oppositionibus.

Conversio.

3. — In Modalium Conversione attendendum est dictum, & non modus: propterea convertuntur eodem modo, ac propositiones absolutæ juxta regulas generales suprà (4) assignatas, juxta illud carmen: Sim-

(4) Vide ubi suprà numer. 3. & sequent. pliciter, fEcI, &c. Quare Modalis, cuius dictum sit universale affirmativum, sive modus sit affirmativus, sive negativus, universalis, aut particularis, convertenda est per accidens, vel per contrapositionem; v.g. Necesse est, omnem hominem esse animal, convertitur per accidens sic: Ergò necesse est, aliquid animal esse hominem; vel per contrapositionem sic: Ergò necesse est, omne non animal esse non hominem. Modalis autem, cuius dictum sit universale negativum convertenda est simpliciter, vel per accidens: modalis cuius dictum est particulare affirmativum, convertenda est simpliciter; si verò sit negativum, per contrapositionem.

(5) D. Thom. Opusc. 48. tract. de Syllog. cap. 3. — Hic advertendum est i. ex D. Thomâ, (5) quod si in propositione modali de necesse subjectum dicti sit concretum accidentale, ut ritè Conversio fiat, modus necesse debet mutari in possibile; v. gr. hæc: Necesse est, Grammaticum esse hominem, non est ita convertenda: Ergò necesse, hominem esse Grammaticum; quia sic falsa esset, sed ita: Ergò possibile est, hominem esse

esse Grammaticum: Et ista: *Necesse est, album esse corpus*, ita est convertenda: *Possibile est, corpus esse album*. Id tamen intellige, si dictum sit affirmativum; nam, si est negativum, non requiritur ea mutatio; v. gr. *Necesse est, album non esse nigrum*: *Ergo necesse est, nigrum non esse album*.

5 — *Advertendum est* 2.: *Modales de impossibile affirmato*, quorum dicta sunt affirmativa universalia; non sunt convertibilia, saltem ratione formæ; quia non valet: *Impossibile est, omne animal esse hominem*. *Ergo impossibile est, omnem hominem esse animal*. Idem dicimus de *Modalibus de possibile non*, ac de *necesse negato*. Et hæc de secundo libro sufficient.





LIBER III.
DE PERTINENTIBVS
AD TERTIAM MENTIS OPERATIONEM.
QUÆSTIO UNIC.
DE ARGVMENTATIONE.
ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Argumentatio?



RGVMENTATIO est : *Modus*
sciendi, in quo unum ex alio infertur. Constat Antecedenti,
 Consequentia, & Consequentia,
 prout explanatum est. (1) Ante-
 cedens, & Consequens sunt

(1)
Quæst. Pro
am. artic.

1. à num. illius forma : unde, ablatâ Consequentia, deficiunt
 Antecedens, & Consequens formaliter ut talia, etsi
 materialiter, ut propositiones, valeant persistere. Et
 ratio est; quia, nisi detur illatio, dari nequit id, ex-
 quo aliquid infertur, in quo Antecedens consistit, &
 id, quod infertur ex Antecedenti, in quo stat Conse-
 quen-

10.

quentis essentia. Ex quibus fit clarum quomodo Discursus denominet effectivè Antecedens , & Consequens propositiones aliunde per Judicium fabricatas, ponendo scilicet inter ipsas illationem.

2 Quamquam argumentatio , inspectà ipsius materia , alia sit evidens, alia obscura, alia certa, aliaque probabilis; inspectà tamen terminorum dispositione, ac propositionum numero, prout ad præsens attinet, in sex distinguitur species , quæ sunt : Syllogismus , Enthymema , Dilema , Inductio , Exemplum , & Sorites; *Syllogismus* est: Argumentatio triplici constans propositione, & illatione, seu consequentiæ : habet enim syllogismus antecedentis loco duas propositiones , quæ præmissæ dicuntur, unaque *Major*, *Minor* altera nuncupatur. Tertia dicitur *Consequens*, seu *Conclusio*, quæ, licet in se sit quandoque contingens , semper ex præmissis necessariò infertur ; estque proinde necessaria necessitate consequentiæ.

3 *Enthymema* est : Argumentatio , in quæ ex una tantum propositione alia deducitur; v. gr. *Petrus currit* : *Ergo movetur*. At vero Enthymema est imperfecta Argumentatio , solùmque tenet ejus consequentiæ ratione materiæ, non autem vi formæ, ut patet in hoc Enthymemate : *Petrus est homo* : *Ergo est animal*, quod non concludit vi formæ , nisi hæc sub audiatur præmissa : *Omnis homo est animal*, cuius defectu Enthymema vocari solet *Syllogismus truncatus* : Vbi autem alia non subaudiatur propositio , nullum Enthymema concludit , nisi ratione objectivæ extremonrum connexionis. (2)

4 *Dilema* , quod argumentum cornutum , seu bicorne dici solet , est: Argumentatio disjunctiva , utrinque feriens , omnesque præcludens Adversario evadendi vias. Continet itaque in Antecedenti duas propositiō-

(2) Vide Gi-
lab. hic, q.
§. 2. num.
15. & P.
Loffada,
disp. 8. c.
2. numer.
2.

nes oppositas, quarum quilibet concessa, premittur Adversarius; v. gr. *Vel credis peccatores puniendos esse, vel non credis?* Si credis: Ergo dignus, es supplicio propter tua peccata; si non credis: Ergo ob bæresis infamiam dignus es supplicio. Ut id argumentandi genus sit efficax, proponere debet extrema, medium non admittentia; adeò, ut alterutrum concedere, sit necessitatis alias facile Adversariùs, utroque cornu decepto, medium tutissimus ibit. Si autem ejusmodi Argumentatio tria habeat extrema, dicitur *Trilemma*; si quatuor, *Tetralemma*; si quinque, *Pentalemma*; si sex, *Hexalemma*, &c.

5 Inductio est: Argumentatio, ex singularibus integrè numeratis, conclusionem inferens universalē; v. gr. *Hic ignis comburit, & ille, & ille, & sic de ceteris: Ergo omnis ignis comburit.* Duplex est Inductio, altera completa, altera incompleta. Prima est, quæ conclusionem infert ex omnibus recentis inferioribus, vel nominatim, vel implicitè per rationem de omnibus assignatam; v. gr. *Ignis est substantialis, Aer est substantialis, Terra est substantialis, Aqua est substantialis: Ergo omnia Elementa sunt substantialia.* Secunda est, quæ suam infert conclusionem, aliquibus tantum numeratis inferioribus; v. gr. *Hic homo, est animal, & ille, & ille: Ergo omnis.* Hæc argumentatio tenet in materia necessaria, non vero contingentī; at nullibi ratione formæ.

6 Exemplum est: Argumentatio, in qua ex uno simili aliud infertur simile; v. gr. *Deus pepercit Ninivitis pænitentibus: Ergo nobis etiam parcer pænitentibus.* Ut hæc argumentatio, quæ à pari dici solet, sit efficax, debet parificari, assignata utrobique extremorum èadem convenientiæ, vel inconvenientiæ ratione; v. gr. in dicto exemplo, si tibi negetur consequentia,

ita parificabis : Ratio , ob quam Deus Ninivitis pepercit, fuit eorum pænitentia ; sed supponimus , similem in nobis fore pænitentiam : Ergò si Deus pepercit Ninivitis pænitentibus , nobis etiam parcer pænitentibus. Nunc autem si concessis præmissis , negetur consequentia ; petitur disparitas.

7 Diximus , exemplum parificandum esse ; quia nisi urgeat ratio paritatis , quā proberur similitudo subjecti Antecedentis , cum subjecto Consequentis , vi cuius prædicatum , quod in antecedenti subjecto conceditur , concedatur etiam subjecto Consequentis ; paritas , seu exemplum nihil convincit ; v.gr. si formetur hæc paritas : *Theologia est scientia* : Ergò etiam *Logica* , ponderanda est adhuc ratio , quā *Theologia est Scientia* , eademque applicanda *Logicæ* , ut inde fiat , hanc esse *Scientiam* ; hoc modo : *Sicut Theologia demonstrat suas conclusiones ex præmissis certis , ita Logica ; sed Theologia propterea est propriè Scientia* : Ergò etiam *Logica* : Alioquin Respondens satisfaciet dicendo : *Non apparet paritas* ; vel alio simili modo. (3)

8 Sorites est : Argumentatio , in quā ex pluribus concordatis præmissis Conclusio infertur ; ita , ut de subjecto insimæ præmissæ prædicatum supremæ prædiceatur ; v. gr. *Petrus est homo , homo est animal , animal est vivens , vivens est substantia , substantia est ens* : Ergò *Petrus est ens*. His argumentationis speciebus additur ab aliquibus (4) Argumentum mirabile , quo scilicet datur Consequens Antecedenti contradictrium , vel contrarium ; ut si adversus Calvinistam arguas : *Omnis homo per te necessariò peccat* : Ergò numquam peccat ; implicat enim , necessariò peccare.

Gilab. lib.
3. quest. 1
§. 3. à n.
29.

P. Loffada
disput. 8.
cap. 2. nro.
mer. 12.

ARTICVLVS II.

Quid, & quotuplex sit Consequentia?

* **C**onsequentia est: *Illatio*, seu *deductio Consequentis ex Antecedenti*, eaque verbaliter exprimitur particulâ *ergo*, vel *igitur*. Primo dividi solet Consequentia in bonam, & malam; æquivocè tamen: (1) Mala enim Consequentia nulla est Consequentia; quia per ipsā non infertur Consequēs ex antecedenti; quod est de essentiâ Consequentialē. Bona autem Consequentia est: *Illatio recta Consequentis ex Antecedenti*; & hæc verificatur quoties Antecedens connexionem habet cum Consequenti, quoad veritatem, vel absolutam; v. gr. *Petrus est homo: Ergo est animal*; vel ex suppositione; v. gr. *Petrus volat: Ergo habet alas*, in quâ consequens benè infertur ex antecedenti ex suppositione, quod Petrus volet.

— Secundò: Consequentia bona alia est formalis, alia materialis. Formalis est, quæ vi formæ, seu terminorum dispositione in omni materia concludit; v. gr. *Omnis homo est animal*; sed *Petrus est homo: Ergo Petrus est animal*: *Nullus homo est lapis: Ergo nullus lapis est homo*; quia in omni materia rectè arguitur in Darrii, & à conversâ ad convertentem. Consequentia materialis est, quæ vi solius materiae concludit; ita, ut sub eadem terminorum dispositione non æquè valeat in omni materia; v. gr. *Homo est animal: Ergo omnis homo est animal*: Hic enim arguendi modus ab indefinita ad universalem valet in materia necessariâ, non verò contingentî; quia non valet: *Homo est doctus: Ergo omnis homo ob doctrinam alibi traditam*. (2)

(1)
Gilab.lib.
3. quest.
1. §. 2. n.
14. P. Los-
fada, disp.
8. cap. 1.
n. 2. Rip.
lib. 3. dub.
1. Conf. 1.
num. 1. &
alii.

(2)
Vide lib.
2. q. 2. ar-
tic. 1. num
6.

Regule bone Consequentiae.

3 REGVLA I. : Ex vero non sequitur , nisi verum ; ex falso , verum , & falsum. — Prima pars per se patet ; & intelligi debet de sequella naturali ; quia ex vero physicè , seu naturaliter connexo , sequi potest Consequens miraculosè falsum ; v. gr. Existunt in hac hostia consecratà accidentia panis : Ergò existit substantia panis : quæ consequentia vi naturalis connexionis accidentis cum subiecto bona esset , ut patet in aliâ materiâ ; at verò in præsenti deficit miraculosè natura. (3) Secunda Regulæ pars constat exemplo ; nam ex hoc Antecedenti falso : Leo discurrit , infertur : Ergò est animal : Ergò est rationalis , quorum primum Consequens verum est , secundum autem falsum. Cæterum , ut ex falso sequatur verum , debet falsum supponi , seu haberi , ut verum.

4 REGVLA II. : Ex necessario nihil , nisi necessarium ; ex contingenti contingens , vel necessarium ; ex impossibili sequitur quodlibet. Ratio primæ partis est : quia necessarium semper est verum , contingens potest esse falsum , & impossibile semper est falsum : Si ergò ex necessario sequeretur contingens , vel impossibile , posset ex vero sequi falsum ; quod est contra primam Regulam. Ratio secundæ partis est : Quia contingens optimè potest cum alio contingenti connecti , ut cursus , cum motu ; imò cum necessario , à quo pendeat , ut existentia creaturæ cum existentia Creatoris. Ratio tertii partis est ; quia impossibile est falsum , ex quo verum , & falsum sequi potest. En exemplum : Leo discurrit : Ergo est animal : Ergò existit : Ergo est rationalis. Primum Consequens est necessarium , secundum contingens , tertium impossibile.

(3)
P. Loffada
disput. 8.
cap. I. nu-
mer. 8.

5 REGVLA III. : Ex opposito Consequentis sequitur Oppositum Antecedentis ; sed non è contrà. Ratio primæ partis est : quia si ex opposito Consequentis non se queretur oppositum Antecedentis , posset verificari oppositum Consequentis , stante veritate Antecedentis ; sed verificato opposito Consequentis , Consequens falsificatur : Ergò stante Antecedenti verò , esset Consequens falsum ; quod opponitur primæ Regulæ : Vnde , si valet : *Est animal* : *Ergo est vivens* , valere debet : *Non est vivens* : *Ergo non est animal*. Ratio secundæ partis est : quia , licet non possit permanere Antecedens sine consequenti ; bene vero è contrà ; quia eorum connexio non est mutua : licet ergò valeat : *Est animal* : *Ergo est vivens* ; non valet : *Non est animal* : *Ergo non est vivens*. (4)

(4) 6 REGVLA IV. Ex quocumque sequitur Antecedens ;
Vide P. sequitur & Consequens : Et quidquid sequitur ex Consequenti , sequitur ex Antecedenti. (5) Prima pars patet
Loffada ubi supr. hoc exemplo : *Est animal* : *Ergo est vivens* : Ex quo-
num. II. cumque enim sequitur *animal* , ut ex homine , leo-
ne , equo , &c. sequitur etiam *vivens* ; sed non è
contrà ; quia *vivens* sequitur ex plantâ , ex quâ non
Aristot. I sequitur *animal*. Secunda pars eodem exemplo sit
Prior. cap 28. & 33 evidens : quia enim ex animali sequitur *vivens* ; quid-
quid ex viventi sequitur , ut *corpus* , *substantia* , &
ens , sequitur etiam , etsi mediatis , ex animali. Ex
his oritur alia Regula , scilicet : *Quidquid repugnat Consequenti , repugnat Antecedenti* ; quæ facile ex di-
ctis intelligitur.

7 REGVLA V. Ab inferiori ad superiorius valet af-
firmativè ; non verò negativè : à superiori ad inferiorius
negativè valet , sed non affirmativè. nomine Superio-
ris , & inferioris intellige terminos magis , & minus
universales ejusdem prædicamentū indefinitè sum-
ptos.

pros. Quarè rectè arguitur: *Est homo*: *Ergò est animal*; irrectè tamen: *Non est homo*: *ergò non est animal*; idque denotat prima regulæ pars. Recte itidem arguitur: *Non est animal*: *Ergò non est homo*; non tamen valet: *Est animal*: *Ergò est homo*. Alias regulas, hic solitas accumulari, jam in diversis arguendi locis (6) tradidimus abundè.

ARTICVLVS III.

De Principiis, & Regulis, quibus Ars innititur Syllogistica.

Syllogismus, argumentationis speciem perfectissima, est: *Modus sciendi, in quo, quibusdam positis, & concessis, aliud sequi, necesse est.* (1) *Modus sciendi* est genus. Reliquæ particulae sunt differentia, perque illas denotatur, præmissis dispositis in modo, & figurâ, consequens inferri, necessum esse; non quidem necessitate consequentis; ita, ut consequens in se ipso necessarium sit; sed necessitate consequientia; ita, ut consequens, quodcumque sit, necessariò sequatur ex præmissis. Priùs itaque, quam Syllogismi artificium tradamus, Syllogizandi principia, & regulas explicemus.

2—Primum principium, quo nititur vis Syllogistica, est: *Dici de omni. Secundum est: Dici de nullo.* Illud regulat Syllogismos affirmativos concludentes; & ejus sensus est: *Quidquid verè affirmatur de subiecto distributivè sumpto, pariter debet affirmari de singularis sub eo contentis, aut de quibus tale subjectum affirmatur.* Quod igitur concludat hiccine Syllogismus affirmativus: *Omne animal est vivens; sed omnis homo est animal*: *Ergo omnis homo est vivens*, sic demon-

(6)

Vide sup.
lib. I. q.
3. art. 2.
à num. 8.
Et lib. 2.
q. 2. artic.
2. à num.
9. Et art.
4. num. 4.

(1)

Aristol. I.
Prior. cap. I.

stratur: Vivens verè affirmatur de animali distributo, ut patet in majori; sed sub animali continetur omnis homo, ut minor afferit: Ergò verè affirmatur vivens de omni homine in consequenti; sicque valet illud: *Dici de omni.*

3.—Secundum autem: *Dici de nullo*, negativos regulat Syllogismos, ejusque sensus est: *Quidquid verè negatur de subjecto distributivè sumpto, negandum est pariter de singulis sub eo contentis, vel de quibusvis affirmatur subjectum illud.* Ex quo demonstratur efficiacia hujus Syllogismi negative concludentis: *Nulla arbor est animal; omnis palma est arbor: Ergo nulla palma est animal:* Ibi enim, quia *animal* verè negatur de omni arbore, sub quâ omnis palma continetur, ut præmissæ fatentur; de omni etiam palmâ negatur *animal*, ut afferit conclusio; sicque persistit principium: *Dici de nullo.*

(2) 4.—Prædictis principiis regulantur immediatè
Vide infr. quatuor modi primæ figuræ; (2) mediatè verò cæteri omnes, utpote ad illos reducibiles. (3) Pariter regulantur Syllogismi, quorum præmissæ sunt æquales in subjecti latitudine; v. gr. *Omne animal est vivens;*
artic. 4. (3) *sed omne sensitivum est animal: Ergo omne sensitivum est vivens;* quia, et si sensitivum non continetur sub animali, tamquam inferius, verè tamen de sensitivo affirmatur animal; quod sufficit, ut valeant illa principia in sensu explicato. Quia tamen eadem principia regulare non possunt, juxta aliquos, Syllogismos expositiorios, quorum medium verbum est singulare, eò quod medium istud distributionis sit incapax; alia pro expositoriis, & quæ pro omnibus deservire valent, statuuntur principia.

5.—Tertium igitur principium est: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se.* Quartum huic affi-

ne , est : *Quæ distinguntur in tertio , distinguntur inter se.* (4) Ex his primum deservit Syllogismis affirmativis ; v. gr. *Petrus est doctus ; sed hic homo est Petrus : Ergo hic homo est doctus;* ubi concluditur identitas inter concreta *doctus* , & *hic homo* , quia utrumque identificatur cum tertio *Petrus* in præmissis. Sed hoc principium intelligendum est (interprete D. Thomæ) de his , quæ sunt eadem uni tertio re , & ratione : si autem sunt eadem uni tertio re , differant autem ratione , non semper sunt idem inter se ; sed solummodo quando rationis distinctio relativam non importat oppositionem ; ut *Petrus* , & *homo* cum animali ; minimè tamen , si illam importet ; ut *Paternitas* , & *Filiatio* respectu Essentiae Divinæ. (5)

6—Aliter interpretatur D. Thomas (6) principium illud , dicens : intelligendum esse de identitate inter se secundum illam rationem , secundum quam identificantur in tertio ; & non aliter. Cum hæc explicatio ne alia coincidit, asserens: principium illud intelligendum esse de his , quæ sunt eadem uni tertio adæquata sumpto; non verò si sint eadem cum illo sumpto inadæquate. (7) Alterum Principium : *Quæ distinguntur , &c. sustinet Syllogismos negativos ; v. gr. Cicero non est Cæsar ; sed Tullius est Cicero : Ergo Tullius non est Cæsar ;* in quo concluditur distinctio Tullii , & Cæsaris , nam distinguntur in Cicerone ; quia alter cum isto identificatur, alter ab ipso differt; si enim utrumque distingueretur, non in tertio , sed à tertio distinguerentur.

Règulae Syllogismorum.

1. *Terminus est trinus.* 2. *Medio ne clausuris unquam.*
3. *Altera , distribui medium, præmissa requirit.*
4. *Partibus ex puris sequitur nil.* 5. *atque negatis.*
6. *Et sequitur partem Conclusio debiliorem.*

(4)

Aristot. 7.

Topic. cap.

I.

(5)

D. Thom.

I. p. q. 28.

art. 3. ad

I.

Vide Coll.

Rip. lib. 3.

dubi. 2.

Conf. 2. n.

6. Irrib.

bic, quest.

ultim. art.

I. Goneti in

Manuali,

tract. 6.

cap. 2. nu-

mer. 10.

(6)

D. Thom.

in I. dist.

33. quest.

I. art. 1.

ad 2.

(7)

Vide Gon-

net in Ma-

nual. ubi

sup. num.

12. & Ri-

pen. ubi

suprà nu-

mer. 7.

7—REGVLA I. *Terminus est trinus*, denotat, Syllogismum debere constare tribus terminis tantum; v.gr. *Omnis homo est animal*; sed *Petrus est homo*: Ergò *Petrus est animal*. Ratio hujus regulæ est: quia intentio syllogistica est concludere identitatem, vel distinctionem Extremorum inter se ex comparatione eorum cum Medio Verbo; ad quod tres tantum requiruntur termini, iique simplices, vel complexi; quia eorum quilibet sàpè multis dictionibus constat. Defectu hujus regulæ non concludit hic syllogismus: *Omnis homo est animal*; sed *Petrus est substantia*: Ergò *Petrus est animal*.

8—REGVLA II. *Medione, &c.* indicat Medium, ut tale, numquam ponendum esse in Conclusione. Ratio est: quia in conclusione ponitur id, quod probari intenditur, nempe duarum extremitatum inter se identitas, vel distinctio. Defectu hujus regulæ non concludit syllogismus iste: *Omnis homo est vivens*; sed *Petrus est homo*: Ergò *homo est vivens*. Diximus Medium, ut tale; quia, si munus extremitatis gerat, poterit conclusionem ingredi; v.gr. *Omnis homo est homo doctus*; sed *Petrus est homo*: Ergò *Petrus est homo doctus*.

9—REGVLA III. *Altera distribui, &c.* exposcit, medium esse completere distribuendum, in altera saltem premissa. Ratio est: quia aliter extrema non erunt eadem uni tertio adæquatè sumpto; sed tantum inadæquatè secundùm distinctas partes ejusdem tertii; ex quo non sequitur identitas inter se: Propterea Medium in aliquâ saltem ex præmissis debet distributivè supponere. Defectu hujuscce regulæ claudicat hic syllogismus: *Omnis homo est animal*; sed *omnis equus est animal*: Ergò *omnis equus est homo*; quia medium animal utrobique supponit confusè, & nullibi distributivè;

(8)

Vide lib. I. quæst. 3. art. I. numer. 18. Prædicatum enim affirmatiæ proposi-

10—REGVLA IV. Partibus ex partis, &c. significat, ex præmissis purè particularibus nullam inferri conclusionem. Ratio est: quia in his præmissis Medium particulare non distribuitur. Eadem regula valet de indefinitis in materia contingentib; quippe quæ æquivalent particularibus. Ex hujus regulæ inob-servantiâ peccat hiccine syllogismus: *Aliquod animal est Leo; sed aliquis homo est animal: Ergo aliquis homo est leo.* Sed hæc regula non valet in syllogismis hypotheticis, aut in absolutis, Medio constantibus singulari.

11—REGVLA V. Atque negatis, explicat, ex præmissis purè negativis nihil sequi. Ratio est: quia præmissæ purè negativæ, nec identificant extrema cum Medio, sive Tertio; nec ea distinguuntur in Tertio, sed à Tertio. Primum evenit, quando unum illorum eum Tertio identificatur; quod requiritur ad rectam syllogismi dispositionem: secundum contingit, cùm utrumque à Medio differt; quod vitiat syllogismum. Inde fit, ut iste syllogismus non teneat: *Nullus homo est lapis; sed aliqua substantia non est homo: Ergo aliqua substantia non est lapis.* Si qui autem syllogismi ex purè negativis videntur concludere; id erit ratione materiae, non verò ratione formæ. (9)

(9)

12—REGVLA VI. Et sequitur partem, &c. vult, con-
clusionem consequi debiliorem præmissam; ita, ut, si Vide Los-
aliqua ex præmissis sit particularis, aut singularis, & fada disp:
altera sit universalis, conclusio sit particularis. Pari- 8. cap. 4. à
ter, si altera sit negativa, ejusdem indolis erit conclu- num. 12.
sio. Idem proportione servatâ sentiunt communiter
Authores, si altera præmissa sit solùm probabilis, na-
turalis, &c. tunc enim erit conclusio probabilis, &
naturalis tantum, etiam si altera præmissarum scien-
tifi.

tifica sit, & supernaturalis. Ab hac regula excipiuntur syllogismi expositori, in quibus ex altera præmissa singulari, concluditur universaliter.

ARTICVLVS IV.

De Artificio Syllogismi.

1. **C**Vm Syllogismus sit totum artificiale; materia, & forma constare debet. Materia Syllogismi, alia est *qua*, alia *circa quam*. Prima est illa, ex qua Syllogismus componitur: Secunda est ea res, circa quam versatur. Materia *qua*, altera est proxima, remota altera. Materia proxima Syllogismi tres sunt propositiones, quibus conflatur, Major, Minor, & Consequens. Remota vero tres Termini, ex quibus illæ propositiones confurgunt, quorum duo appellantur: *Extrema*, seu *Extremitates*, alias vocatur *Medius Terminus*, seu *Medium Verbum*.

2. Debet itaque Syllogismus tribus tantum constare Terminis; hi sunt: *Majus extremum*, *Minus extremum*, & *Medium Verbum*. Majus extremum est terminus in majori, & conclusione repertus; Minus extremum in minori, & Conclusione reperitur; & Medium Verbum in utræque præmissa, non vero in Conclusione invenitur; v. gr. in hoc Syllogismo; *Omne animal est vivens*; sed *aliquis homo est animal*: Ergo *aliquis homo est vivens*, tres tantum termini reperiuntur, *homo*, *animal*, & *vivens*, ex quibus *animal* est Medium Verbum, repertum quippe in Majori, & Minoris; *vivens* est Majus extremum, cum in Majori, & Conclusione reperiatur; & *homo* est Minus Extremum, ut potè repertum in Minoris, & Conclusione.

3. Forma Syllogismi est: *Recta terminorum dispositio*.

tio in figura, & modo: Continet namque syllogistica forma Figuram, & Modum. Figura syllogismi est: *Apta Extremorum cum Medio ad concludendum colloca-tio in ratione subjecti, & prædicati.* Et quia ejusmo-di collocatio triplex potest esse, triplex est Figura Syllogismi. (1) Prima est, quando Medium in altera præmissa subjicitur, in altera prædicatur: Secunda est, cum Medium in utræque præmissa prædicatur: Tertiæ est, in qua Medium utriusque præmissæ est subiectum. Hæc, ut memoriam teneas, concine carmina:
*Sub. Pra. prima tenet; bis Pra. tenet ordo secundæ,
 Tertia bis Sub. habet: Quartamque negato figuram.*

(1)
*Aristot.in
 lib. Ana-
 litic.*

4. Modus autem Syllogismi est: *Apta præmissarum ad concludendum dispositio secundum debitam quantitatē, affirmationem, & negationem.* Igitur, præter aptam Terminorum positionem loco subjecti, vel prædicti, in quo stat Figura Syllogistica, observanda est in Syllogismi artificio recta dispositio præmissarum secundum quantitatem; ita, ut ea sit universalis, eaque particularis, quam Modus figuræ requirit: & secundum affirmationem, & negationem; ita, ut affirmativa, vel negativa unaquæque sit, prout indicat ipse Modus. Sunt autem frequentiores Syllogismorum Modi decem, & novem, hisce carminibus annotati:

Fig. 1. Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

2. Cesare, Camestres, Festino, Baroco. 3. Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

3. Ex his dictionibus (intellige Mysterium) unaquæque suum designat Modum; & tribus, quas continet, vocalibus (in quibus sunt plures, dantur causæ metri) tres significantur Syllogismi propositiones, quæcumq; ælibet debet esse universalis, vel particularis, affirmativa, vel negativa, juxta vocalis exigentiam

(2) significatam illis versibus: Afferit A, negat E, &c. (2)
 Lib. 2. q. v. gr. Darii habet tres vocales A, I, I, quarum prima
 3. artic. 3. est universalis affirmativa, secunda particularis af-
 num. 4. firmativa, & tertia particularis affirmativa. Modus
 ergo hanc dictione significatus petit, ut major Syllo-
 gismi sit universalis affirmativa, minor particularis
 affirmativa, & consequens particulare affirmativum.

6 — *Præterea*: Novem priores modi pertinent ad
 primam Figuram: ex quibus quatuor priores direc-
 tè concludunt; cæteri vero indirectè: Quatuor se-
 quentes pertinent ad secundam; quia Medium in utra-
 que præmissa prædicatur; concludunt autem directè.
 Sex ultimi attinent ad tertiam; quia in utraque præ-
 missa medium subjicitur; & concludunt directè. Ve-
 runtamen, quid est directè concludere, quid indi-
 rectè? Tunc concluditur directè, cum Majus Extre-
 mum prædicatur in consequenti, & Minus Extremum
 subjicitur: Tunc indirectè concluditur, cum è contrà
 Minus Extremum prædicatur, & Majus subjicitur.

7 — Accipe clarum supradictæ doctrinæ exemplum:
 Positis his præmissis: *Omne animal est vivens*; sed
aliqua substantia est animal, quæ sunt in prima figu-
 ra; quia *animal*, quod est medium in altera subjici-
 tur, in altera prædicatur: si positis, inquam, his præ-
 missis, ita concludas: *Ergo aliqua substantia est vivens*,
 directè concludis in *Darii*, quia Majus Extremum
 prædicatur in conclusione; si verò ita: *Ergo aliquid*
vivens est substantia, concludis indirectè in *Dabitis*,
 ob oppositam rationem. Tandem: quatuor priores
 modi primæ figuræ sunt perfecti, quia in his boni-
 tas consequentiæ primo oculorum visu appetit, &
 ex principiis Syllogizandi immediate probari potest:
 Cæteri omnes sunt imperfecti, quia non ita appetit
 bonitas consequentiæ. Accipe Modorum omnium pra-
 dicam tabellam.

Fig. 1. SUB. PRÆ. PRIMA TENET:

Modi directi.

1.

Bar. *Omnis homo est animal;*
 ba. *Sed omne rationale est homo:*
 ra. *Ergo omne rationale est animal.*

2.

Ce. *Nullus Equus est homo;*
 la. *Sed omne inibile est equus*
rent. Ergo nullum inibile est homo.

3.

Da. *Omne animal est vivens;*
 ri. *Sed aliquod corpus est animal.*
 i. *Ergo aliquod corpus est vivens.*

4.

Fe. *Nullus homo est lapis;*
 ri. *Sed aliquod animal est homo:*
 o. *Ergo aliquod animal non est lapis.*

Modi indirecti.

5.

Ba. *Omnis homo est animal;*
 ra. *Sed omne rationale est homo:*
 lip. *Ergo aliquod animal est rationale*

6.

Ce. *Nullus equus est lapis;*
 lan. *Sed omne inibile est equus:*
 tes. *Ergo nullus lapis est inibilis.*

7.

Da. *Omne animal est vivens;*
 bi. *Sed aliquis homo est animal:*
 tis. *Ergo aliquod vivens est homo.*

8.

Fa. *Omnis virtus est honestas;*
 pes. *Sed nulla gula est virtus:*
 mo. *Ergo aliquod honestū nō est gula*

9.

Fri. *Aliqua virtus est Charitas;*
 fe. *Sed nullum vitium est virtus:*
 so. *Ergo aliquam haritas nō est virtus.*

Fig. 2. BIS PRÆ. TENET ORDO

Secundæ.

Modi directi

10.

Ce. *Nullum bonum est malum;*
 sa. *Sed omne peccatum est malum:*
 re. *Ergo nullum peccatum est bonum*

11.

Ca. *Omnis Religio est virtus;*
 me. *Sed nulla secta est virtus:*
 stres. *Ergo nulla secta est Religio.*

12.

Fe. *Nullum vitium est virtus;*
 sti. *Sed aliqua qualitas est virtus:*
 no. *Ergo aliqua qualitas nō est virtus.*

13.

Ba. *Omne vivens est animatum:*
 ro. *Sed aliquod corpus nō est animatum*

co. *Ergo aliquod corpus non est vivēs*

Fig. 3. TERTIA. BIS SUB. HABET.

Modi directi.

14.

Da. *Omne album est coloratum;*
 ra. *Sed omne album est corpus:*
 pti. *Ergo aliquod corpus est coloratū.*

15.

Fe. *Nullus lapis est homo;*
 lap. *Sed omnis lapis est insensibilis:*
 cō. *Ergo aliquod insēnsibile nō est homo*

16.

Di. *Aliquod animal discurrit;*
 sa. *Sed omne animal est vivens:*
 mis. *Ergo aliquod vivens discurrit;*

17.

Da. *Omne peccatum est malum;*
 ti. *Sed aliquod peccatum est delectabile*

fi. *Ergo aliquod delectabile est malū.*

18.

Bo. *Aliquis homo nō est Philosophus;*
 car. *Sed omnis homo est animal:*
 do. *Ergo aliquod animal nō est Philo-*

19.

Fe. *Nulla substantia est accidentis;*
 ri. *Sed aliqua substantia est homo:*
 son. *Ergo aliquis homo nō est accidēs.*

X 2

IN 2 V 1 -

(3)
Quest. Pro-
œm. artic.
I. num. II

8— INQUIRES 1.: Quænam ex præmissis sit Major, & quænam Minor? Diximus, (3) Majorem esse illam, quæ datur ante particulam *sed*, vel *atqui*; Minorem verò eam esse, quæ datur post particulam *sed*, vel *atqui*, & ante particulam *Ergo*; quia eas sic ordinari, frequentius est; nec aliter Tyronum oculis in principio sunt objiciendæ. Enim verò, si propositio illa, quæ est ante particulam *sed*, post ipsam collogetur, ordine inverso, non ideo Major fit Minor, & contrà; sed quælibet suam ipsius retinet naturam: si vè enim dicas: *Omne animal est vivens; sed omnis homo est animal*; sive asseras: *Omnis homo est animal; sed omne animal est vivens*; semper hæc: *Omne animal est vivens*, erit Major.

9— Et ratio est: Quia sub utraque præmissarum dispositione infertur hæc Conclusio in *Barbara*: *Ergo omnis homo est vivens*, quæ, cum sit directa, ejus prædicatum, nempè *vivens*, est Majus Extremum, & ejus subjectum, nempè *homo*, est Minus Extremum: Cum autem majus extremum, præterquam in Conclusione, reperiri debeat in Majori; illa erit Major prædicti Syllogismi, in quæ *vivens* reperitur, scilicet: *Omne animal est vivens*; illa autem erit Minor, in quæ Minus Extremum reperitur, nempè: *Omnis homo est animal*. Ex quibus jam patet immediata ratio dubii propositi; videlicet, eam esse Majorem, in quæ *est Majus Extremū*; & eam Minore, in qua *est Minus*.

10— INQUIRES 2.: Quodnam sit Majus Extremū, quodnam Minus? Aliqui respondent, Majus esse, quod est in Majori, & Minus, quod est in Minor. Sed hoc esset circulum constituere vitiosum; non enim Extrema sunt dignoscenda per præmissas; sed præmissæ sunt agnoscendæ per Extrema. Resp. igitur, Majus extreμū esse, quod plūs, aut prius prædicatur in Syllogismo;

mo; Minus verò Extremum, quod minus, posteriorius, vel nunquam in Syllogismo prædicatur. Pro majori claritate nota; quod in Modis directis primæ Figuræ alterum Extremum bis prædicatur, alterum verò semel: Primum ergò erit Majus, & secundum Minus: indirectis verò ejusdem Figuræ utrumque Extremum prædicatur semel tantum: quod autem prius prædicatur, nempe in majori, est Majus; quod posteriorius, nempe in conclusione, est Minus.

11—In secunda Figurâ alterum Extremum semel prædicatur, nempe in conclusione, alterum verò nullibi prædicatur; propterea illud est Majus, istud Minus Extremum. In tertiat denique, alterum bis prædicatur, idque est Majus extreum; alterum semel dumtaxat, & id erit Minus extreum. Omnia clarè introspicies sub efformata Syllogismorum tabulâ. Ratio autem hujus resolutionis est: quia Aristoteles (4) non aliundè Majus metitur Extremum, nisi ex majori prædicatione; major autem prædicatio ea est, quæ, vel ordine est prior, vel repetitione potior.

12—*INQUIRES* 3.: Vtrum detur quarta Figura? (4)
Ariſtot. I.
Prior. cap.
Resp. negativè cum omnibus Peripateticis, eorumque Principibus Arist. & D. Thom. (5) contra Galenum, & Averroëm, quos sequutus est Illustr. Caramuel. (6) Et prob: Si daretur quarta Figura, præter dispositiones de *sub prae bis prae*, & *bis sub*, daretur quarta de *prae sub*; sed hæc dispositio non est diversa à dispositione de *sub prae*, quæ prima Figura constituitur: Ergò. Prob. min: Dispositio de *sub prae* est, quando Mediū in majori subjicitur, & in minori prædicatur; sed dispositio de *prae sub* codem modo se habet: Ergò. Prob. min: Semper ac Medium in altera præmissa subjicitur, & in altera prædicatur, ea est major, in quæ subjicitur, & ea minor, in qua prae dicatur: Ergò. Prob.

(5)
4. 5. & 6.
(5)
D. Thom:
Opusc. 47.
cap. I. ap.
Villalbam
(6)
Caramuel
parte 4.
art. 5.

13—Prob. ant: Ea est major , in quā est Majus extremum , quod scilicet prædicatur in conclusione directā , & subjicitur in indirectā , ut nemo negat; sed Majus extremum semper est in eā præmissā , in quā Medium subjicitur , ut viderī potest in exemplo allato num. 8: Ergò ea est major , in quā Medium subjicitur , & ea minor , in quā prædicatur. Conf., Hic Syllogismus: *Omnis homo est animal; sed omne animal est vivens*: Ergò *omnis homo est vivens*, est in dispositione de *præ sub*; sed in hoc Syllogismo Medium subjicitur in majori , & prædicatur in minori : Ergò est in dispositione de *sub præ*; consequenter hæ dispositiones non distinguuntur.

14—Prob. min.: In eo Syllogismo Medium , quod est animal, subjicitur in hac propositione : *Omne animal est vivens* , & prædicatur in ista : *Omnis homo est animal* ; sed prima est major , & secunda minor ; et si ordo videatur inversus : Ergò. Min. constat ex supradictis num. 8. & 9. Ex quibus jam patet, Medium solum tres habere dispositiones : *Primam* , qua in utræque præmissâ subjicitur ; & hæc est tertia Figura: *Secundam* , quā in utræque prædicatur ; & hæc est secunda : *Tertiam* denique , qua in majori subjicitur , & in minori prædicatur , sive ordine de *sub præ* , sive de *præ sub* : Tres igitur tantum dantur Figuræ.

15—ARGVES: Dispositio de *bis præ* constituit distinctam Figuram à dispositione de *bis sub* : Ergò , & dispositiones de *sub præ* , & *præ sub* ; atque adeo datur quarta Figura. Resp. neg. conseq. Disparitas est ; quia in dispositione de *bis præ* ; Medium est in positione supremâ , quæ est positio prædicati in utræque præmissâ ; & in dispositione de *bis sub* est in positione infimâ , quæ est positio subjecti utriusque præmissæ : At vero tam in dispositione de *sub præ* , quam in dispositione

tione de *præ sub* Medium est in mediâ positione , quæ est positio subjecti in alterâ præmissa , & in alterâ prædicti. Addo , has positiones solùm esse diversas ratione collocationis; non verò ratione essentiax præmissarum; in quo solùm est variatio accidentalis.

ARTICVLVS V.

De Syllogismorum Reductione.

Novemdecim assignavimus Syllogismo-
rum modos articulo antecedenti ; quo-
rum quatuor primi *perfecti* dici solent , reliqui verò
imperfecti , quāvis omnes necessariò , & infalibiliter
concludant. Cæterū , quia in perfectis clariùs , &
evidentiùs cōclusio ex præmissis infertur , in imperfe-
ctis verò non adeò perspicaciter ; ut hi , qui Syllogi-
smorum imperfectorum conclusiones negant , cogant-
tur claritate vici , easdem concedere; isti reduci pos-
sunt ad perfectos , in quibus illas negare non poterunt
perspicuitate coacti. Duplex autem est Reductio , al-
tera *Ostensiva* , altera *Per impossibile*.

Reductio Ostensiva.

Reductio *Ostensiva* fit per conversionem , &
transpositionem propositionum. Pro cuius intelligen-
tiā notandum est *primò* , quatuor modos perfectos his
literis incipere B, C, D, F , quibus etiam incipiunt
omnes imperfecti : quare quilibet imperfectus ad
eum modum perfectum est reducendus , qui ejusdem
cum ipso est litteræ initialis ; v. gr. *Baralipton* ad *Bar-*
bara , *Celantes* ad *Celarent* , *Dabitis* ad *Darii* , *Fapesmo*
ad *Ferio* , & sic de aliis. Notandum est *secundò* , præ-
ter dictas consonantes initiales , dari inter medium
dictio-

dictionum, imperfectos modos indicantium, aliquam ex his Litteris S, P, M, C; ut videri potest in quilibet dictione.

3—Ex his ultimis consonantibus S, denotat, præmissam, quæ vocali antecedenti respondet, convertendam esse simpliciter: Littera P, convertendam esse per accidens: Littera M indicat, transponendas esse præmissas; ita, ut major ponatur loco minoris, & minor loco majoris: ac denique littera C, quæ non sit dictionis initium, indicat, modos, in quibus reperitur, non esse reducendos *obſenſe*, sed *per impossibile*. Hic sunt *Baroco*, & *Bocardo*. At verò, quando aliquam vocalem cuiusvis dictionis non subsequitur aliqua ex prædictis quatuor litteris, propositio, per eam denotata, relinquenda est, sicut antea erat. Accipe nunc versus, quibus hujus doctrinæ facile recordaberis.

— *Simpliciter* verti vult S: P verò per accid.

M vult transponi: C *per impossibile* duci.

4—Ut exemplis pateat doctrina ista, en Syllogismus in *Fapesmo*, reducendus ad *Ferio*: *Omne animal est substantia; sed nullus lapis est animal*; Ergò aliqua substantia non est lapis; cuius major est convertenda per accidens, ut denotat littera P, quæ datur post *Fa* in *Fapesmo*; itaque dices: *Aliqua substantia est animal*: Qz. inde minor convertenda est simpliciter, ut denotat littera S, quæ datur post syllabam *pes*; v.gr. *Nullum animal est lapis*: ac denique littera M, quæ datur post syllabam *pes*, indicat præmissas transmutandas esse, maiorem scilicet loco minoris, & è contrà; resultat itaque hic syllogismus in *Ferio*: *Nullum animal est lapis; sed aliqua substantia est animal*: Ergò aliqua substantia non est lapis, cuius conclusio eadem est, ac Syllogismi præcedentis.

5—En aliud exemplum in *Felapton*, cuius conver-
sio facienda est absque transmutatione præmissarum,
quia non datur M: Nulla præmissarum est converten-
da simpliciter, quia abest S: Sola minor est converten-
da per accidens, relictæ majori immutata; sicque fiet
Syllogismus in *Ferio*; v. gr.

Fe--Nullus homo est leo;

Ia--Sed omnis homo est vivens;

ptō. Ergò aliquod vivens non est leo.

—Convertitur, invariata majori, & minori ita per
accidens conversa: Aliquod vivens est homo; v. gr.

Fe--Nullus homo est leo;

ri--Sed aliquod vivens est homo;

o. Ergò aliquod vivens non est leo.

6—Id ipsum jam facile præstabis in reliquis modis
imperfectis, servatis omnibus regulis allatis. Id unum
adverte in *Baralipton*, litteram P, quæ est post li, non
velle, ut consequens expressum per litteram I, con-
vertatur per accidens; quia, cum sit particulare affir-
mativum per accidens nequit converti: Solùm ergò
intendit, ut Syllogismus in *Baralipton* reducatur ad
Barbara, invariatis præmissis, & illatà conclusione
universalí; quæ, cum vera sit, conversa per accidens,
resultabit particularis affirmativa etiam vera, quæ erat
conclusio Syllogismi prioris in *Baralipton*; v. gr. *Omne*
animal est vivens; *sed omnis homo est animal*: Ergò
aliquod vivens est homo. Nunc in *Barbara*: *Omne ani-*
mal est vivens; *sed omnis homo est animal*: Ergò *omnis*
homo est vivens. Hæc autem conclusio per accidens
conversa infert istam: Ergò aliquod vivens est homo,
quæ erat conclusio prioris Syllogismi.

Reductio per impossibile.

7—*Reductio per impossibile* fit per contradictoriam
conclusionis negatæ, quæ cogitur Adversarius, ut
duas concedat contradictorias. Diverso tamen modo

fit in unaquaque figurâ: In primâ enim ponitur in pri-
mis contradictoria conclusionis negatæ pro majori; anti-
qua autem major jam concessa, loco minoris; po-
stea pro conclusione infertur contradictoria minoris
antea concessæ, ut claritate vicius eam concedens Ad-
versarius, utramque contradictoriæ habeat conce-
sam, noscatque pertinaciam, quâm habuit, negando
consequentiam prioris Syllogismi.

8—Disce doctrinam exemplo posito in Fapesmo:
Omne animal est substantia; sed nullus lapis est animal;
Ergo aliqua substantia non est lapis. Si quis concessis
præmissis hujus Syllogismi, neget consequentiam; sic
reducito: *Ergo omnis substantia est lapis;* hanc negare
non potest, quia est contradictoria conclusionis nega-
tæ, & utraque falsa esse non potest: pone jam loco
minoris majorem illius Syllogismi, & tandem infer
conclusionem in *Barbara* hoc modo: *Omnis sub-
stantia est lapis; sed omne animal est substantia;* *Ergo*
omne animal est lapis. Præmissæ concessæ sunt; conclu-
sio infertur in *Barbara*: convertatur hæc per accidens
sic: *Ergo aliquis lapis est animal,* & erit contradic-
toria minoris primi Syllogismi.

9—In secundâ figurâ, major Syllogismi reduc-
tum manet intacta; pro minori autem ponitur contradi-
ctoria conclusionis negatæ; & infertur conclusio jux-
ta exigentiam modi perfecti, ad quem reducatur; v.
gr. hic Syllogismus in *Cesare*: *Nullus lapis est vivens;*
sed omnis homo est vivens; *Ergo nullus homo est lapis.*
Negata consequentiâ; sic reducito: *Nullus lapis est*
vivens; (hæc est antiqua major) *sed aliquis homo est la-*
pis (quæ est contradictoria conclusionis negatæ) *Ergo*
aliquis homo non est vivens. Hæc conclusio est opti-
ma in *Ferio*, contradictoria tamen minoris concessæ
in *Cesare*. In tertia tandem figurâ minor permanet
intacta; pro majori ponitur contradictoria conclu-
sionis

Artic. V. De Reductione Syllogismorum. 171
sonis negatæ, & infertur conclusio. Omnia hæc pa-
tent his carminibus:

- Fig. 1. Major sit Minor, & sit contradic̄tio Major.

Excipe Celantes, in quo pervertitur ordo.

2. Servat Majorem, variatque secunda Minorem.

3. Tertia Majorem variat, servatque Minorem.

10 Circa ea, quæ diximus de reductione in pri-
mà figurâ advertendum est id, quod explicat secundus
versus, nempe Syllogismum in *Celantes* non converti
juxta regulam generalem primæ figuræ; in ejus enim
reductione minor antiqua sit major, & contradic̄to-
ria conclusionis sit Minor. *Vt autem scias*, ad quem
modum perfectum reducendus sit quilibet imperfe-
ctus, facillimam accipe regulam Mag. Gilaberte. (1)
Si contradictoria ponenda pro præmissâ, & altera præ-
missa sint universales affirmativæ, reducendus est ad
Barbara; si altera sit negativa, altera affirmativa, utra-
que universalis, ad *Celarent*; si utraque sit affirmativa,
altera universalis, altera particularis, ad *Darii*; si al-
tera sit universalis negativa, altera particularis affir-
mativa, ad *Ferio*: Non enim possunt aliter disponi
præmissæ.

(1)

Gilab. in
presenti
num. 89.

ARTICVLVS VI.

De Syllogismo Expositorio, & Hypothetico.

1-Dividitur Syllogismus ex parte Medii in
Communem, & Expositorium. Communis
est, qui constat Medio communi, de quo suprà eg-
imus: Expositorius est, qui Medio constat singulari; v.
gr. *Hic homo est Rex Hispaniæ*; sed *Philippus Quintus est*
hic homo. Ergo *Philippus Quintus est Rex Hispaniæ*; cu-
jus medium est *hic homo* terminus quidem singularis.
Construi potest in quilibet ex tribus figuris, sive ex-
trema sint termini communes, sive singulares; & in

singulis concludere tām affirmativē , quām negativē ,
juxta præmissarum exigentiam : v. gr. D. Thomas est
clarissimus ; sed hic Sanctus est D. Thomas : Ergo hic
Sanctus est clarissimus. Cicero non est Græcus ; sed ali-
quis Orator est Cicero : Ergo aliquis Orator non est Græ-
cus.

2.—Deinde potest Syllogismus Expositorius per to-
ferè variari modos , ac Syllogismus Communis. Ex-
cipitur tamen tertia figura , cuius duos dumtaxat mo-
dos solet æmulari , quorum alter affirmativam in-
fert conclusionem particularem ex præmissis affirma-
tivis; v. gr. Petrus est homo; sed Petrus est aliquid animal:
Ergo aliquid animal est homo ; alter infert conclusio-
nem negativam particularem ex majori negativa , &
minori affirmativa ; v. gr. Petrus non est lapis ; sed Pe-
trus est vivens : Ergo aliquid vivens non est lapis.

3.—Notandum tamen est , Medium Syllogismi Ex-
positorii ita debere esse singulare, ut ,ne virtualiter
quidem , aut æquivalenter , & ex modo significandi sit
communis , ut est terminus Deus. Propterea non va-
let: Pater est Deus ; sed Filius est Deus : Ergo Filius est
Pater. Debet namque terminus Deus, communis quip-
pè ex modo significandi , in aliquà præmissa ita distri-
bui: Quidquid est Deus, est Pater; sed Filius est Deus: Er-
go Filius est Pater. Simili defectu peccat Syllogismus
Diogenis: Quod ego sum , tu non es ; sed ego sum homo:
Ergo tu non es homo; cuius major deberet distribui sic:
Quidquid ego sum, tu non es , quæ tamen falsa est; sicut,
& major distributa primi Syllogismi.

4.—Huc pertinet Syllogismus Modalis, qui ex Mo-
dalibus constituitur enuntiationibus, vel ex alterā saltē
modali ; v. gr. Necesse est, omne animal esse vivens; sed
necessitatem est, omnem hominem esse animal: Ergo necessitatem est,
omnem hominem esse vivens. In his tām figura , quām
modus figuræ ex dicto enuntiationis pensari debent,

nullo habito ad modum propositionis respectu. Ceterum Syllogismus undique Modalis de *Necessitate* in omnibus modis, & figuris formari valet; Syllogismi vero de *Contingens*, *Possibile*, & *Impossibile*, tantæ regularum multitudini subjiciuntur, ut vix sine Tyronum confusione, valeant explicari. Si quando occurserint, præmissarum sensus ponderandus est juxta modalium naturam, ac Syllogismorum regulas, ut conclusio bene illata cognoscatur.

5—Syllogismus Hypotheticus est, qui utraque, vel altera saltem præmissa constat hypothetica; quæ cum sit quadruplex, (1) totuplex potest esse Hypotheticus Syllogismus, nempè: *Copulativus*, *Disjunctivus*, *Causalis*, & *Conditionalis*: Visitatione Syllogismi Hypothetici forma est, constare majori categorica: Si Ergo Copulativus majori constat affirmativa penes adverbiam Copulam, vix ullus, aut rectus erit Syllogismus: (2) Si tamen constat majori negativa penes principalem Copulam, sive extrema, quibus constat, affirmativa sint, sive negativa; tunc recte concludit, cum in minori altera pars ponitur, & altera in conclusione tollitur; v. gr. *Non & Petrus currit, & Paulus sedet; sed Petrus non currit: Ergo Paulus sedet.*

6—Circa Syllogismos hypotheticos Disjunctivos, Causales, & Conditionales, nihil tibi sub sole novum erit, si recolas ea, quæ diximus de arguendi locis in hypotheticis. (3) Jam circa Exponibiles Syllogismos, quorum altera saltem præmissa exponibilis est, te monitum optamus, ut in exceptivis terminum exceptivum ponas in utraque præmissa; in Reduplicativis terminum reduplicatum colloces in conclusione: Si secus feceris; Syllogismus erit irrectus. Si Medium Syllogismi in altera præmissarum sit obliquum, minor Extremitas debet pariter esse obliqua in conclusione ex. gr. *De omni corpore est scientia; sed omne mobile est cora*

(1)

Vide sup:
lib. 2. q. 2.
articul. 2.
num. 2.

(2)

P. Loffada
hic disput
8. cap. 6.
num. 6.

(3)

Vide sup:
lib. 2. q. 2.
art. 2. n^a
9.

corpus : Ergò de omni mobili est scientia. Si verò Medium sit obliquum in utraque præmissa, Extrema conclusionis debent esse in recto.

ARTICVLVS VII.

De Fallaciis Syllogismorum.

1 — **S**yllogismus ex parte materiæ dividitur in *Demonstrativum*, seu *Analyticum*, *Topicum*, seu *Probabilem*, & *Sophisticum*, seu *Fallacem*. Demonstrativus est, qui rectâ formâ ex præmissis veris, & evidentiis construitur ; & generat scientiam. Probabilis, seu Topicus est, qui rectâ astruitur formâ ex præmissis probabilibus, vel alterâ saltem probabili, & alterâ necessariâ ; & generat Opinionem. Sophisticus, seu Fallax est, cujus præmissæ apparent veræ, quæ in re sunt falsæ ; vel cujus præmissæ, etsi veræ, non sunt ritè dispositæ ; adeoque non concludit ob aliquam ex fallaciis nunc detegendis.

2 — Tredecim assignavit Aristoteles Syllogismorum fallacias, quarum duplex classis distingui solet, altera *dictionis*, altera *extra dictionem*. Ad primam sex reducuntur sophismata. Primū est sophisma *equivocationis*, consistens in termini aequivoци lusione, quā in alterâ præmissa secundū unū sensū, & in alia secundū aliud ponitur ; v. gr. *Omnis canis latrat* ; sed aliqua constelatio est canis : Ergò aliqua constelatio latrat. Secundū est sophisma *Amphibologiae*, seu ambiguitatis, quā ponitur enuntiatio diversis sensibus abundans ; v. gr. *Omnis Episcopi sunt Sacerdotes* ; sed aliqui equi sunt Episcopi : Ergò aliqui equi sunt Sacerdotes.

3 — Tertium est sophisma *Ascentus*, proveniens ex diversa dictionis pronuntiatione, scriptione, aut quantitate.

titate; v. gr. *Qui occidit, punitur; sed Sol occidit.* Ergò punitur. *Quidquid edis, comedis; sed librum edis.* Ergò librum comedis. Quartum est sophisma *Divisionis*, quo utitur, qui ex dictionis similitudine, quod unius est proprium, tribuit alteri, vel etiam sumens *quid pro quale*; v. gr. *Habeo est secundæ conjugationis Grammaticæ.* Ergò etiam abeo: *Quidquid emisi, comedisti; sed carnes crudas emisi.* Ergò carnes crudas comedisti.


4—Quintum est *Compositionis*, ortum ex mutatione sensus compositi in sensum divisum; v. gr. *Frigidum non potest esse calidum; sed aqua est frigida.* Ergò non potest esse calida. Major est vera in sensu compagno, componente scilicet esse frigidum cum esse calido: Consequens verò verum tenet in eodem sensu; in sensu autem diviso falsum est, quia potest esse calida, divisa à frigiditate. Sextum est Sophisma *Divisionis*, quo utitur, qui sensum divisum mutat in compositum; v. gr. *Homo habet potentiam ad sedendum, & ambulandum; at qui sedere, & ambulare est impossibile.* Ergò homo habet potentiam ad impossibile. Omnes hæ fallacie, si detegantur, manent planè solutæ.

5—Ad classem *Extra dictionem* pertinent septem sophismata. Primum est *Accidentis*, quo tribuitur subiecto ratione sui, quod ei convenit ratione accidentis; v. gr. *Album est concretum accidentale; sed Petrus est albus.* Ergò Petrus est concretum accidentale: *Hic canis est Pater; sed est tuus.* Ergò est Pater tuus. Huc facit variatio suppositionis, appellationis, & cuiusvis alterius termini proprietatis, præter variationem suppositionis, quæ provenit à signis. Secundum est sophisma à secundū quid ad simpliciter, vel è contrā: Et contingit, cùm rei tribuitur sine addito, quod cum addito convenit; aut è converso; v. gr. *Homo non est mortalis secundū animam.* Ergo homo non est mortalis: *Homo est corpus.* Ergo homo secundū animam est corpus.

6—Tertium est sophisma Ignorationis Elenchi ; dum sumuntur , ut contradictoria , quæ contradictoria non sunt ; v. gr. Petrus cognoscit Regem , & non cognoscit Papam : Ergo cognoscit , & non cognoscit. Quartum est Petitionis principii ; quando id quod probandum est, sumitur , ut probationis principium ; v. gr: Cælum est Sphericum : Ergo est rotundum. Quintum est sophisma consequentis ; dum creditur, antecedens inferri ex consequenti , sicut consequens ex antecedenti ; v. gr. Petrus movetur : Ergo currit ; valet enim: Currit : Ergo movetur.

7—Sextum sophisma : Non causæ , ut causæ ; quod tunc decipit , cùm aliquid æstimator causæ alicuius, cum non sit ejus causa ; v. gr. Petrus se ipsum videt, quia ob oculos habet speculum ; sed etiam illud habet cæcus : Ergo cæcus se ipsum videt. Septimum denique est sophisma : Plurium interrogationum , ut unius ; vi cuius ad plures interrogaciones oppositas unica simplex responsio exigitur ; v. gr. Petrus est homo , & equus ? Si simpliciter dicas: Est ; sequitur : Ergò Petrus est equus: Si dicas : Non est ; infertur : Ergò Petrus non est homo. Respondendum igitur sub distinctione , ne absurdum sit inevitabile.

8—Solent impræsentiarū insudare Authores , ut Medium inveniant ad probandam conclusionem in quâlibet materia. Res quidem inventu difficultis ; sed quæ praxi applicetur , Tyronibus , quos instruendos assumpsimus, difficultior. Propterea ab ea libenter supersedemus ; id unum pro Arte inveniendi Media, seu argumenta , commendantes , ut Studentes ingenium assiduâ arguendi exercitatione colant , optimos emulantes Magistros , quorum exemplo aptè probabant in materia , qua fuerint satis imbuti. Et hæc de Dialecticis sufficient Institutionibus.



TRACTATUS II. DE LOGICIS DISPUTATIONIBVS.

PROOEMIVM.



ATIONALIS Philosophia , quæ græcè *Logica* dici constuevit , est omnium Scientiarum janua, quà hi, qui in teñbris , & in umbrâ ignorantiae sedent, suos pedes in viam dirigunt veritatis: Ea est disciplinarum omnium disciplina, eamque clavis , & regula , quibus humana ratio primos ritè dignoscendi gresus inducit : Ea est nitidus rationis oculus, ut homo absque ullo prorsus errore procedat, apprimè necessarius: Eadem est lucida ingeniorum pharus , quæ obscura rerum, artiumque penetralia, satis, superque lustrat, & illustrat: Hanc igitur ingeniorum pharum , disciplinarum regulam Scientiarum januam ingredimur, amplectimur, intuemur. Aggredimur, inquam, Rationalem Philosophiam, eorum munimine fisi , quorum ope Dialecticas per solvimus Institutiones.

LIBER I.
DE PROOEMIALIBVS LOGICÆ.
QUÆSTIO I.
DE NATURA,
ET PROPRIETATIBVS LOGICÆ.
ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Logica?



LOGICA Rationalis Scientia latinè dicta, à dictione græca *Logos*, cui latinè *Ratio*, vel *Sermo* correspondet, originem trahit. Ejus definitio est: *Facultas, agens de instrumentis sciendi.*

Logica primò dividitur in Naturalem, & Artificialiem. Prima est: *Naturale rationis lumen, inclinans ad conficienda Logicæ artefacta.* Sunt autem Logicæ artefacta Definitio, Divisio, Propositio, & Argumentatio. Secunda est: *Facultas, intellectum instruens ad conficienda Logicæ artefacta juxta determinatas regulas.*

2 Logica Artificialis dividitur in actualem, & habitualem. *Actuallis* est collectio omnium actuum logicalium, artefactorum scilicet, & regularum Logicæ. *Habituallis* Logica est Facilitas ex actuum repetitione gene-

generata. Contingit enim in Logicā, & quāvis alia, sive Arte, sive Scientiā, certas inveniri regulas, quibus intellectus satis imbutus, earumque factus emular, evidentes conficiat demonstrationes, rectaque construat artefacta; ex iterata autem earum constructione generatur quādam in intellectū facilitas, quā similia de ceterō majori cum facilitate componit opera: Ea igitur actualia opera per Logicam constructa *Actualis Logica* appellantur; hæc verò facilitas genera-
ta dicitur *Logica habitualis*.

3 Alia est celebris, & per antiqua Logicæ divisio
(quæ, & aliis Artibus communis est) in Docentem, &
Vtente. *Docens* est, quæ tradit regulas, & præcepta
ad opera Logicæ construenda. *Vtens* est, quæ prædi-
ctis regulis utitur, eas ad praxim reducendo. Facili-
tas itaque intellectus, ipsum expediens ad penetran-
das Logicæ regulas, ejusque documenta, dicitur *Lo-
gica docens*: Ea verò facilitas, quam sibi comparat in-
tellectus ex crebrâ regularum applicatione ad usum,
Logica utens appellatur, quippè quæ intellectum faci-
litat, non ad scientiam regularum, sed ad earum
usum, & applicationem. Circa hanc Logicæ divisionem
aliqua occurrit difficultas breviter postea dillu-
cidanda.

4 Præter dictas divisiones, alia restat, quæ non
est generis in suas species, sed totius in suas partes.
Dividitur enim Logica in Analyticam, seu Demon-
strativam, Topicam, seu Probabilem, & Sophisti-
cam, seu Fallacem. *Demonstrativa* est, quæ tradit
regulas ad demonstrandum, seu ad faciendos syllo-
gismos demonstrativos. *Topicā* est, quæ tradit regulas
ad construendos syllogismos probabiles, opinionem
generantes. *Sophistica* est, quæ normam tradit ad com-
ponendos syllogismos fallaces; ejusque usus generat
errorem. (1)

(1)

V. Dialec.
lib. 3. q.Vnic. art.
7. à num.

I.

Occurrentis Difficultas.

5 INQVIRIMVS: Vtrum habitus Logicæ docentis, & utens realiter distinguantur? Pro cuius decisione observandum est: Usus ex D. Thoma, (2) nihil aliud esse, quam rei applicationem ad operationem aliquam; est enim cantus, cui applicantur regulæ Musicæ, usus Musicæ: pariter constructio artefacti Logici, est usus ipsius Logicæ. Usus Logicæ, & cuiusvis alterius Artis est duplex, alter activus, passivus alter. Usus activus est activa regularum applicatio ad opus; ut cum Logica ipsa proprias applicat regulas ad conficiendam demonstrationem. Usus passivus est passiva regularum usitatio, seu ipsa artefacti confessio cum attentione ad regulas Logicæ; ut quando Physica, attentis Logicæ regulis, proprietates demonstrat de suo objecto. Procedit tamen quæstio de Logica, ut activè suis regulis utente.

6 DICIMVS: Habitus Logicæ docentis, & utens non esse realiter distinctos. Hæc conclusio tribuitur D. Thomæ, (3) estque inter Thomistas ferè communis. **Prob. ratione communi:** Vbi non sunt distinctæ difficultates vincendæ, aut superandæ, non sunt ponendi distincti habitus; sed in usu Logicæ non datur distincta difficultas ab ea, quæ datur in ejus doctrinâ: Ergò. Maj. est certa; habitus enim, utpote facilitantes, ad vincendas difficultates ponuntur. **Prob. min.:** Usus Logicæ est regularum applicatio; & doctrina est earundem explicatio, & penetratio; sed regularum applicatio non est distincta difficultas ab eâ, quam experimur in earum explicatione, & penetratione: Ergò.

7 Prob. min.: Quoties regularum applicatio ad eam potentiam spectat, ad quam pertinet earum ge-

ne tratio , & scientia ; applicatio , & usus nullam addunt difficultatem supra penetrationem , & doctrinam ; sed ad eandem potentiam intellectivam spectat regularum Logicæ applicatio , ac earum doctrina , & penetratio , ut nemo negat : Ergo. Maj. patet exemplis : Ideo , qui perfectè callent regulas domificandi , pingendi , & scribendi , in usu experiuntur difficultatem , quia earum usus , & doctrina pertinent ad distinctam potentiam ; ille ad manus , ista verò ad intellectum : E contrà verò : quia scire Prudentiæ regulas , & secundùm eas dirigere , ad eandem potentiam intellectivam pertinet , intellectus perfecta prudentiæ ornatus , absque novâ difficultate dirigit alias potentias ; cum sit proprium virtutis perfectæ reddere potentiam facilem in operando : Ergò pariter.

8 *Respondent Contrarii*, (4) in usu Logicæ esse novam difficultatem , non quidem positivam , sed negativam : Difficultatem positivam videntur appellare eam , quam primò potentia vincit per alias demonstrationes ; negativam verò eam esse , quam potentia expellit per majorem facilitatem ex iteratis actibus generatam . Sed *Contrà* : Ad vincendam difficultatem negativam , sufficit habitus positivè facilitans intellectum : Ergò non requiritur habitus utens , ad eam difficultatem superandam . Prob. ant. : Qui per alias demonstrationes erga definitionem acquisivit habitum scientificum definiendi , habet difficultatem negativam ad definiendum , si valde non sit versatus in construendis definitionibus , quippè , qui potest facilior redi in definiendo ; sed iste non eget novo habitu definiendi , ad eam superandam difficultatem : Ergo .

9 *Contrà* 2. : Ad eundem habitum pertinet faciliter potentiam circa actum primarium , & secundarium;

745

P. Loffade
Tract. 1.
Log. disp.
1. cap. 3.
num. 17.

rium ; sed doctrina , & usus Logicæ comparantur , ut actus primarius , & secundarius : Ergò non requirunt diversum habitum. Maj. patet in amore Dei , & proximi , qui ab eodem charitatis habitu procedunt. Prob. min. : Ideo amor Dei , & proximi , ut actus primarius , & secundarius comparantur , quia idem habent formale objectum , & motivum ; sed etiam doctrina , & usus Logicæ habent idem formale objectum , ac formale motivum , ut suis unaquæque locis patebunt: Ergò.

10—*Contrà 3.* : Habitus Logicæ docentis , nedum facilitat potentiam intellectivam ad regularum peritiam , sed ad earum etiam usum , & applicationem: Ergò sufficit ad tollendam quamvis difficultatem , etiam negativam. *Nec* satisfaciunt , dicentes , (5) habitum Logicæ docentis facilitare ad usum tantum mediatè , & dirigendo ; non verò immediatè , & exequendo. *Contrà* enim est : Habitus non aliter exequitur actum , quam , ut quo , & dirigendo potentiam , ut patet in habitu Temperantiae : Ergò si habitus Logicæ docentis facilitat ad usum Logicæ , dirigendo ; facilitat , exequendo. *Deinde* : Licet intellectus medià apprehensione transeat ad discurrendum ; est nihilominus potentia immediatè discursiva , et si non immediatione actus , benè verò immediatione potentia : Ergò licet habitus Logicæ docentis transeat ad usum , & executionem medio actu doctrinali , est immediatè executivus , immediatione habitus , et si non actus .

11—*Præterea* : Licet habitus , facilitantes solùm materialiter , obices videlicet destruendo , & removendo impeditamenta potentia , solùm dirigant , & minimè exequantur actus , ut patet in habitu charitatis , dirigente ad subeundum martyrium , quod est actus fortitudinis ; habitus verò , formaliter facilitans po-

(5)
Idem ubi
sup. num.
18.

tentiam ad actus ejusdem rationis formalis facilitatis, & dirigit, & exequitur actum, ut patet in habitu fortitudinis, facilitante per aggresionem in Tyrannum ad subeundum martyrium; atqui Logica docens per actum doctrinalem facilitat ad usum, qui est ejusdem rationis formalis, ac doctrina ipsa: Ergo.

12 Ex his præcluditur aliorum solutio, afferentium, usum Logicæ addere novam difficultatem supra ejus doctrinam ratione materiæ, cui est applicanda doctrina illa; ut, si quis sciens definiendi regulas nesciat formicam definire. *Impugnatur enim ex dictis:* Ad vincendas difficultates materiales, non requiritur specialis habitus: Ergo nulla est solutio. Prob. ant.: Eodem habitu utente construit intellectus definitiōnem hominis, ac definitionem formicæ, juxta Adversarios; sed qui facilis est in definiendo hominem, alia que animalia, potest habere difficultatem materialem in definiendâ formicâ: Ergo.

13 Jam colligimus 1.: Logicam esse propriè utentem, nedum in parte topica, & sophistica, sed etiam in parte demonstrativa. Ratio primæ partis est; quia Logica in parte topica, & sophistica utitur mediis communissimis, & facillimis, quæ facile ad usum, & in propriâ, & in alienâ materiâ applicari possunt. Ratio secundæ partis est; quia usus est applicatio regulârum ad opus, ut supra vidimus ex D. Thomâ; sed non minus applicantur ad opus regulæ in parte demonstrativa, quam in parte topica, & sophistica: Ergo ubivis est propriè utens.

14 Colligimus 2.: Posse eundem actum Logicæ esse simul docente, & utentem respectu diversorum, ut patet in isto: *Omnis oratio, explicans rem per essentiam, est clarior illa; sed definitio explicat definiti-*

184 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logice.
finitum per essentiam: Ergò est clarior definitio. Hiccine
quidem actus est docens definiendi, cùm præceptum
tradat definitionis; & est utens syllogizandi, cùm de-
monstrandi regulas ad praxim reducat. Imò verò valer
idem actus esse doctrina, & usus respectu ejusdem,
exercitè, & quasi reflexè, ut patet in hoc actu: Defi-
nitio eß oratio explicans rem per essentiam, qui doctri-
nam tradit definitionis, eamque observat in praxi,
definiendo definitionem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

15 RG. I.: Ad vincendas distinctas difficultates
diversi habitus requiruntur; sed in usu, &
executione regularum Logicæ experitur intellectus di-
versam difficultatem ab èa, quam fuit expertus in ea-
rum explicatione, & penetratione: Ergò in Logicâ
requiruntur habitus docendi, & utendi realiter di-
stincti. Prob. min.: Plures sunt, qui perfectè callent
regulas syllogizandi, qui tamen magnâ cum difficul-
tate construunt syllogismos: Ergò. Resp., dist. mai.:
Ad vincendas distinctas difficultates formales, conc.
mai.; materiales, neg. maj.; & sic distinctà min. neg.
conseq. Qui enim, rectè intelligentes syllogizandi re-
gulas, cum difficultate syllogizant, experiuntur sa-
lùm difficultatem materialem, non vincendam per
novum habitum, sed per applicationem habitùs do-
centis ad materiam sibi difficilem.

16 Duplici enim ex causâ potest quis esse diffici-
lis ad syllogizandum (idem intellige de cuiusvis alte-
rius rei exercitio) vel quia ei deficit materia ad syllo-
gismos conficiendos, terminorum scilicet copia, re-
rum demonstrandarum essentiae, aut proprietatum
notitia; vel quia ex se non est promptus, & habilis,
seu satis instructus: Hæc secunda difficultas dicitur
forz

formalis, requirens habitum, ut evincatur; prima vero est purè materialis, minimè per habitum vincenda. Accipe doctrinæ exemplum in Domificatore peritissimo, & experto, qui difficultatem experitur in construendâ domo, cum sibi lapides, & ligna tardè, & imparata conferuntur: Idem parificatur in velocissimo Scriptore, qui tardè scribit, si materia scribendâ sibi non offeratur abundè; quæ tamen difficultates sunt purè materiales.

17 Dices: Habitus Logicæ docentis non facilitat ad utendum: Ergò, qui scit regulas Logicæ, habet difficultatem formalem ad utendum ipsis. Prob. ant.: Habitus solùm facilitat potentiam ad actus similes eis, per quos fuit genitus; sed habitus docens fuit genitus per actus docentes, & non utentes: Ergò. Conf.: Potest augeri habitus, seu facilitas ad utendum, quin augeatur habitus, seu facilitas docendi: Ergò sunt diversi habitus, diversas vincentes difficultates formales. Prob. ant.: Ex repetitione actuum augetur habitus; sed possunt repeti plures actus Logicæ utentis, quin repeatantur actus Logicæ docentis: Ergò.

18 Ad inst. resp., neg. ant.; ad prob. dist. maj.: primariò, conc. maj. secundariò, neg. maj.; & concessà min., neg. conseq. Habitus acquisitus per actus docendi primariò facilitat ad docendum, seu ad doctrinæ intelligentiam; sed quia, supposita doctrinæ intelligentiâ, nulla superanda restat difficultas ad utendum, ideo habitus ipse secundariò facilitat ad usum. Ad conf. resp., neg. ant.; ad prob., neg. min.: quia actus Logicæ utentis exercetur cum reflexione ad regulas Logicæ; hæc autem reflexio, cum intellectum exercitè intruat ad usum, est actus Logicæ docentis.

19 Dices adhuc: Licet actus Logicæ utentis præ-

supponat actum Logicæ docentis, non tamen è contrà: Ergò per actus Logicæ docentis generatur habitus docens, minimè facilitans ad utendum. Prob. conseq. Actus Logicæ docentis non sunt utentes : Ergò Resp.

(6)

(6) dist. ult. ant. : Non sunt utentes formaliter, conc. ant. ; virtualiter, neg. antec. & conseq. Tales enim actus habent virtutem ad producendum habitum per se primò docentem, & secundò utentem ; atque adeò sunt virtualiter utentes.

P. N. Re-
migius in
reflex. pa.
I. reflex.

I. punct. 3

V. Colleg.

Rip. hic. n.

32.

10 Instabis. : Post actus Logicæ docentis, restat nova difficultas formalis in executione : Ergò illi actus non producunt habitum utentem, atque adeò non sunt virtualiter utentes. Prob. ant. : Sicut intellectus dirigitur per habitum docentem ad artificiosè utendum, ita voluntas per judicium, regulans temperatam comestionem, dirigitur ad eligendam temperatam comestionem; sed, supposito judicio regulante, datur in voluntate formalis difficultas ad illam electionem : Ergò pariter. Resp. neg. conseq. Disparitas est : quia judicium regulans, & electio pertinent ad diversas potentias, illud ad intellectum, ista ad voluntatem ; ideo, præter Prudentiam, cuius actus est judicium, requiritur alia virtus in voluntate ad electionem: At verò doctrina, & usus Logicæ ad eandem pertinent potentiam, ut actus primarius, & secundarius ejusdem potentiarum. (7)

(7)

V. sup. n. 7

¶ 9.

(8)

. Thom.

2. 2. q. 51

art. 1 &

2.

21 Replic. : Imperium practicum, imperans media ad consequendum aliquem finem, & judicium, judicans de mediis, ad eandem potentiam intellectivam pertinent; sed, supposito judicio de agibilibus producto medio habitu Synesis, restat nova difficultas superanda per habitum Prudentiarum medio actu imperii: (8) Ergò pariter. Respon. neg. conseq. Disparitas est: quia judicare de mediis aptis ad consequendum finem pertinet.

pertinet ad intellectum solum; imperare verò pertinet ad ipsum intellectum, ut applicatum, & motum à voluntate per electionem mediorum, aliumvè actum præcedentem voluntatis, quæ, cum libera sit, multoties resistit: At verò doctrina, & usus Logicæ ad intellectum pertinent independenter ab alia potentia resistente.

22 *Repliç.* adhuc: Ideo, supposito judicio de mediis, restat nova formalis difficultas ad imperium, quia voluntas, à quâ intellectus in imperando pendet, resistere valet, utpote libera; sed, supposito habitu Logicæ docentis, etiam voluntas, quippè libera, resistere potest in applicando intellectum ad utendum regulis Logicæ: Ergò datur nova formalis difficultas ad tam usum. *Resp.*, dist. conseq.: Restat nova difficultas, vincenda per Logicam, neg. conseq.; vincenda per virtutem Studioſitatis, conc. conseq. Etsi enim Logicæ periti, segnes, & negligentes quandoque sint ad utendum Logicæ regulis; hæc negligentia per solam virtutem Studioſitatis, absque novo Logicæ habitu, est evincenda.

23 *ARGVES* 2.: Habitus Logicæ utentis est opinativus, saltem in parte topica, & sophistica in parte sophistica; sed ~~habit~~ habitus docens in quacumque parte est scientificus, ut infrà (9) videbimus: Ergò realiter distinguuntur. Conseq. tenet; quia habitus scientificus realiter est alius à topico, & sophistico. *Prob.* min.: Habitus Logicæ utentis in parte topica inclinat ad actus topicos, & in sophistica ad actus sophisticos: Ergò & ipse est topicus in parte topica, & sophisticus in sophistica. *Resp.*, conceſ. maj., disting. min.: Est scientificus respectu actus primarii, conc. min.; respectu secundarii; neg. min.; & conseq.

24 Idem habitus docens, qui, ut scientificus, &

(9)

In hæc
queſt. apt.
3.n. 2.

188 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logicæ:
docens, primariò se explicat in actus scientificos, &
doctrinæ, ut utens, & secundariò prorumpit in actus
opinativos secundùm partem opinativam, & in sophi-
sticos secundùm sophisticā; quin sequatur inde, habitū
illum esse scientiam, & opinionem, quippe qui simul
producit actus scientificos, & opinativos. Et ratio est:
quia habitus suam capit denominationem ab actu pri-
mario, non à secundario; ad actus enim secundarios
specialis non requiritur habitus, nec denominatio:
Actus autem primariūs est scientificus; quapropter
scientificus est & habitus.

25 Dices: Actus opinativus, nec, ut actus secun-
darius, potest ab habitu scientifico provenire: Ergo:
Prob. ant. 1.: Ab habitu scientifico solùm possunt ori-
ri actus scientifici, vel ad scientiam disponentes; sed
actus opinativus, nec est scientificus, nec ad scien-
tiam disponit; nititur enim opinionem generare: Er-
gò. Prob. 2. idem ant.: Ab habitu opinativo, nec se-
cundariò valet oriri actus scientificus: Ergo pariter è
contrà. Conf.: Habitus distinguuntur per actus for-
maliter specificè distinctos; sed actus Logicæ docen-
tis, & utens realiter specificè distinguuntur: Er-
gò.

26 Ad instantiam resp., neg. ant.; ad primam pro-
bationem, dist. min.: Neque ad scientiam disponit
actus opinativus, elicitus ex fine topico, seu probabi-
li, conc. min.; elicitus ex fine scientifico, neque mino-
rem, & consequentiam. Si actus topicus (idem respe-
ctivè dicimus de sophisticō) ab aliquo eliciatur ex fi-
ne tantum probabiliter argumentandi, seu ingenium
exercendi, aliove fine, neque procedit ab habitu Lo-
gicæ, neque illum generat, sed ab aliquo habitu to-
pico ex similiūm actuum repetitione generato. Cete-
rū: Si ejusmodi actus fiat ex fine demonstrandæ, vel
magis

magis declarandæ veritatis, aut fugiendorum sophismatum; sic, inquam, licet non sit scientificus, ad scientiam viam sternit, ad eamque disponit, valetque ab habitu scientifico secundariò procedere.

27 *Ad secundam* ant. prob., neg. conseq.: *Quia* actus scientificus, perfectior quippè, nequit esse dispositio ad opinionem, aliàs perfectius ordinaretur ad imperfectius; actus autem opinativus ad scientiam disponit, quando sit ex fine demonstrandæ scientificè veritatis; ideoque valet esse ejus actus secundarius. *Ad Conf.*, dist. maj.: Per actus formaliter specificè distinctos sub ratione, qua ab habitu attinguntur, & non subordinatos, concedo maj.; distinctos inter se, & subordinatos, nego maj. Licet actus sint diversi in ratione docentis, & utentis, non tamen in ratione artefacti logici, sub quâ ratione ab habitu Logicæ attinguntur; suntque subordinati formaliter: ideo non requirunt diversos habitus. Exemplum doctrinæ est in tribus mentis operationibus inter se distinctis, & ab eadem potentia procedentibus. (10)

28 *Repliç.* contra solut. instantiæ: Actus topicus, vel sophisticus ex nullo fine valet procedere à virtute intellectuali; sed Logica docens est virtus intellectualis: Ergò. Ant. patet ex D. Thomâ, (11) dicente: *Vnde soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, numquam falsum*; sed actus topicus, & sophisticus non sunt semper veri, imò iste semper est falsus: Ergò. *Præterea*: idem Doct. Ang. alibi (12) de virtute in communi ait: *Oportet ergo, quod ita sit principium actus boni, quod nullo modo malum*; sed actus bonus intellectus est determinatè verus, malus autem est falsus: Ergò, cum illi actus non sint veri, saltem determinatè, nequeunt à virtute procedere.

(10)
V. Dialect.
q. Proœm.
ar. 3. à n.
10.

(11)
D. Tô. ar. 1. 2. q. 57.
2. ad 2.

(12)
D. Thom.
Quest. Vn.
de Virt. à
2.

29. *Resp. ad replic.*, neg. ant.; ad primum textum in probationem adductum resp., explicando illum: Quibus semper dicitur verum ex fine prætentio, & ex ejus actu primario, conced.; ex actu secundario secundum se ipsum, nego. Quemadmodum Theologia, quæ est scientia objectivæ supernaturalis, agit de virtutib; & peccatis, non secundum se, ut illius objecto supernaturali opponuntur, sed tantum, quatenus eorum notitia juvat ad demonstrandam objecti Theologici perfectionem; ita virtus intellectualis, quæ est Logica, attingit actus ex se opinativos, & fallaces, quia horum constructio juvat ad veritatem nudam attingendam. *Ad 2. tex.* pariter dicimus, virtutem non posse esse principium actus falsi, nisi subordinetur ad verum, quomodo non illi contrariatur. (13)

(13) 30 *Repli. iterum*: Sicut se habet virtus Moralis
V. Colleg. ad bonum, ita virtus intellectualis ad verum; sed
Ry. bic. n. à virtute Morali, nec secundariò, neque ex fine boni,
 13. & 14 potest procedere actus malus: Ergò pariter. *Conf.*: Vir-
 tus intellectualis nequit extra proprium objectum
 abire; sed ejus objectum est verum: Ergò nec secun-
 dariò valet falsum attingere. *Ad repli. resp.*, neg. con-
 seq. Disparitas est; quia actus malus nequit subordi-
 nari bono, aut ad illum conducere, semperque ei con-
 trariatur: Actus autem opinativus, & fallax possunt
 ordinari ad veritatem, & ex fine illius produci à vir-
 tute intellectuali, ut actus ejus secundarius.

31. Et ratio solutionis est: quia habitus potest con-
 fiscere actum probabilem, & falsum, non per modum
 inclinantis intellectum ad talem assensum, sed per
 modum applicantis regulas ex fine vitandæ falsitatis
 cognitæ in actu sophistico, & acquirendæ veritatis, in
 actu topico splendescente; quæ omnia ad veritatem
 maximè faciunt: Enim vero nequit voluntas actum

malum efficere, quin illum efficiat per modum consentientis in ipsum, quia consensus requiritur ad malitiam actus; consensus autem in actu malum nullo modo valet conducere ad bonitatem, quam respicit Moralis virtus. *Ad Conf.*, dist. ant. : directe, & primariò, conc. ; indirecte, & secundariò ex fine objecti primarii, neg. Patet exemplo Theologiae, num. 29. adducto. (14)

32 ARGVES 3.: Logica in parte demonstrativa est propriè docens; sed in èa parte non est propriè utens, sed solum in parte topicà, & sophistica: Ergò habitus Logicæ docens distinguitur realiter ab habitu propriè utente. Min. patet ex D. Thom. (15) afferente: *In parte Logicæ, quæ dicitur demonstrativa, sola doctrina pertinet ad Logicam; usus verò ad Philosophiam, & ad alias scientias particulares.* Resp. neg. min.; ad prob. ex D. Thom. resp., distinguendo illam: Sola doctrina pertinet ad Logicam, ut se extendentem ad materiam aliarum scientiarum, conc. ; quia sic Logica docet artificium demonstrationis, alia vero scientia, ad quam dirigit, exercet artificium: in materia propria, neg. ; in èa enim ipsa dirigit, & exercet artificium.

(14)
V. Col. Rip
lb. 4. dub
7.n. 17.

(15)
D. Thom.
4 Met. lec
4.

ARTICVLVS II.

An, & quænam Virtus mentis sit Logica?

I **Q**uemadmodum dantur in voluntate Virtutes, quæ morales dicuntur, ad bonum inclinantes, & vitia illis opposita, quæ voluntatem ad malum inducunt; dantur etiam in intellectu quidam habitus inclinantes in verum, qui Virtutes intellectuales appellantur; quidam ad falsum, qui mentis vitia, seu errores dicuntur. Est autem

Virt-

(1)

Ariſt. 6.
ethic. c. 4.

Virtus mentis, ſeu intellectualis: (1) *Habitus, inclinans intellectum ad actus necessariō veros*. Dicitur *habitus*, ut conveniat cum morali Virtute; ponuntur reliquæ particulae loco differentiæ, quæ diſſert à Virtute morali, quæ voluntatem inclinat in bonum. Quinque ſunt mentis Virtutes, *Sapientia, Prudentia, Intelligentia, Scientia, & Ars*, quarum natura ex dicendis patebit.

2 *DICIMVS 1:* Logicam docentem ſecundūm omnes ſuas partes, eſſe Virtutē mentis. *Prob. Concluſio:* Virtus mentis eſt habitus, inclinans ad actus necessariō veros; ſed Logica docens ita ſe habet ſecundūm omnes ſuas partes: Ergo. *Prob. min.;* & pri-mò de parte demonstrativā: Logica, ut demonstrati-va, inclinat in hos, & ſimiles actus: *Definitio debet eſſe clarior ſuo definito:* *Syllogismus debet conſtare tribus terminis;* ſed hi ſunt necessariō veri: Ergo. *Prob. min.* eadem de parte topicā, & ſophiſtica: Hi ſunt actus Logicae ſecundūm partem topicam: *Syllogismus probabilis aliquā debet conſtare præmissā probabili:* *Syllogismus probabilis generat opinionem,* alijque conſimiles; hi autem ſunt ejus actus ſecundūm partem ſophiſticam: *Syllo-gismus fallax debet conſtare aliquā fallaciā:* *Syllogismus fallax generat errorem;* atqui ſunt necessariō veri. Ergo.

3 *DICIMVS 2:* Logicam non eſſe propriè Intelligentiam, Sapientiam, neque Prudentiam. *Prob. pri-ma pars:* *Intelligentia, quæ aliàs dicitur Intellectus, eſt virtus, agens de primis principiis,* ut prima principia ſunt; ſed Logica non attingit prima principia, ut prima principia ſunt, ſed quatenus ex eis ſuas infert conclusiones, quod ſcientiarum commune eſt: Ergo. *Prob. secunda pars:* *Sapientia eſt virtus agens de rebus altissimis per altissimas causas;* ſed Logica non

est hujusmodi; cum agat de instrumentis sciendi per secundas intentiones: Ergò. Tertia pars patet: *Prudentia* est virtus, agens de bonis moribus; sed Logica de bonis moribus non curat: Ergò. Vtrum sit Ars, vel Scientia, sequentibus articulis exponetur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

ARGVES 1. contra primam conclusionem:
(2)
Ex P. N.
Remigio à
S. Erasmo
in Thesib.
logic. Thes
 Virtus intellectualis includit conceptum virtutis in communi; sed Logica non includit conceptum virtutis in communi: Ergò non est virtus intellectualis. Prob. min.: Conceptus virtutis in communi est *dispositio perfecti ad optimum*; sed Logica non est hujusmodi: Ergò. Prob. min: Logica in parte demonstrativa est dispositio intellectus ad formandas secundas intentiones in materia demonstrabili; in parte topicà, ad eformandas in materia probabili; & in sophisticà, in materia fallaci; sed tales intentiones non sunt optimum intellectus, cum sint entia ficta, cum magnâ imperfectione intellectus: Ergò.

Res., neg. min.; ad prob. neg. min.; ad cujus prob., dist. min.: non sunt optimum intellectus, neque ad illud disponunt, neg. min.; & disponunt ad optimum, conc. min.; & neg. conseq. Itaque optimum intellectus est verum clarissimè attactum, quia perfectio maxima cuiuscumque potentiae est præstantissima attingentia objecti ipsius: Licet autem secundæ intentiones logicales non sint optimum intellectus, ad illud disponunt, ut formæ artificiosæ veritatis manifestativæ; consequenter Logica est habitus, disponsans intellectum ad optimum; sive est virtus mentis. Neque dicas: Virtutem esse ultimam dispositiōnem habentis illam, ut docet Arist. Est enim in sua

6 Dices: Logica docens secundum partem topicam non disponit ad verum: Ergo non disponit ad optimum intellectus. Prob. ant.: Logica secundum partem topicam disponit ad probabile; sed probabiliti non minus subesse potest falsum, quam verum: Ergo. Resp. neg. ant.; ad prob. disting. maj.: Disponit ad probabile, demonstrativè attingendum, conc. mai.; probabiliter attingendum, neg. mai.; & sic distincta min., neg. conseq. Licet enim Logica, ut viens, in parte topicâ, & sophistica attingat probabilitatem, & fallaciam, modo probabili, & fallaci procedendo; ut docens verò attingit in parte topicâ probabile, scientificè demonstrando, syllogismum topicum debere constare aliquà præmissâ probabili, & generare opinionem; & in parte sophistica, demonstrando, syllogismum fallacem debere aliquà constare fallaciâ; quod est modo demonstrativo, & scientifico procedere.

7 Instabis: Ut Logica sit Virtus mentis nullo modo debet disponere, & dirigere ad probabilitatem: Ergo nulla est solutio. Prob. ant.: Virtus mentis est habitus, quo intellectus semper dicit verum, ut est inconcussum apud Arist. (3) sed habitus, dirigens ad probabilitatem, quandoque dirigere potest ad falsum, cui subjecta est probabilitas: Ergo. Resp.; neg. ant.; ad prob., concessâ mai., dist. min.: Potest dirigere ad falsum contentum in actu regulato, seu in usu regulationis, conc. min.; contentum in actu regulativo, & doctrinali, neg. minorem, & conseq. Licet actus regulatus Logicæ probabilis, seu topicæ, qui est usus in parte topicâ, possit esse falsus; actus autem regulativus, docens modum disponendi artificium probabile, est necessariò verus.

(3)
Aristot. 6.
Ethic. 6. 4.

8 Exemplo sit clara doctrina ista: Hi sunt actus
Lo.

Logicæ probabilis: Quod est nixum fundamento suffici-
cienti, est probabile; sed Logicam esse simplicem qualita-
tem, est nixum sufficienti fundamento: Ergò Logicam
esse simplicem qualitatem, est probabile: Habitus, attingens
omnia sua objecta sub unica ratione formali specifica, est
simplex qualitas; sed Logica ita se habet: Ergò est sim-
plex qualitas; primus autem est regulativus, & secun-
dus regulatus; iste capax est falsitatis, non vero pri-
mus, ut consideranti patebit. Si dicas: quod actus
regulatus est finis actus regulativi; sed primus valet
esse falsus: Ergò. *Disting.* maj.: Actus regulatus ma-
terialiter sumptus, neg. maj.; formaliter acceptus
penè conformitatem ad regulas topicas, concedo
majorem. Ille enim actus verè conformatur prædictis
regulis.

9 ARGVES 2. contra 2. conclusionem: Logica
agit de primis principiis, qualia sunt: *Quæ sunt eadem
uni tertio, sunt idem inter se;* Dici de omni: Dici de
nullo; item agit de rebus altissimis, scilicet de Deo,
docens, non rectè concludere hunc syllogismum: *Pater
est Deus; sed Filius est Deus:* Ergò *Filius est Pater:*
Ergò Logicæ est Intelligentia, & Sapientia. *Resp.:* Lo-
gicam agere de primis principiis, non ut prima prin-
cipia sunt præcisè, quod est proprium Intelligentiæ; sed
ut ex illis suas deducens conclusiones. Pariter agit de
rebus altissimis, sed per secundas intentiones, non
per altissimas causas, ut est proprium Sapientiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Logica sit Scientia?

I **S**ciētia trifariā usurpari solet. *Prīmō pro qua-*
vis cognitione verā; quidquid enim non
Eb 2 igno;

196 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logice.
ignoratur, sciri dicitur. Secundò pro notitia evidenti, que
propter se ipsam quæritur, nec ad aliud per se ordina-
tur: quo sensu dicuntur tantummodo Scientiae illæ, quæ
principales sunt. Tertiò pro evidenti rei notitiâ; quo
sensu minùs rigoroso definitur Scientia: *Cognitio rei*
per causam, quoniam illius est *causa*, & quod aliter se
habere non potest. In ultimâ acceptione, quâ ad præsens
attinet, duplex est, altera Actualis, & altera Habitua-
lis. Actualis est: *Cognitio certa*, & evidens per demon-
strationem acquisita. Habitualis est: *Habitus certus*, &
evidens per demonstrationem acquisitus. Quærimus de
Logicâ Habituali, idem resolutum volentes de Actua-
li.

Prima Conclusio.

2 DICIMVS 1.: Logicam docentem secundùm
omnes suas partes esse propriè Scientiam. Conclusio
est ferè communis, & expressa D. Thomæ (1) afferen-
tis: *Logica secundum quod est docens, habet considera-*
D. Thom. *tionem de secundis intentionibus, instituens modum, quo*
4. Met. lec *per eas doceri possit, ad conclusiones in singulis scientiis*
4. *probabiliter ostendendas; hoc autem demonstrative fa-*
Opusc. 70. *cit:: Similiter dicendum est de sophisticâ; sed Logica*
q. 5. a. 1. *docens secundum, quod habet considerationem de se-*
& q. 6. a. *cundis intentionibus in propria materia demonstrabi-*
l. *li, est Demonstrativa; prout instituit modum proce-*
dendi in singulis Scientiis probabiliter, est Probabi-
lis; idemque sentendum de Sophisticâ: Ergo est Scien-
tia secundum omnes suas partes.

3 PROB. Conclusio ratione: Scientia est habitus
certus, & evidens per demonstrationem acquisitus;
sed Logica docens secundùm omnes suas partes est
habitus certus, & evidens per demonstrationem acqui-
sus: Ergo. Prob. min. de parte demonstrativâ: Logi-
ca docens penes partem demonstrativam acquiritur

per

per has , & similes demonstrationes : Omnis explicatio debet esse clarior re explicatâ ; sed definitio est explicatio definiti : Ergò debet esse clarior definito : Omnis pars debet esse minor toto ; sed quodlibet membrum divisi est pars illius : Ergò membrum dividens est minus diviso : Ergò secundūm hanc partem est habitus certus , & evidens per demonstrationem acquisitus.

4. Prob. jam eadem minor de parte topica , & sophistica : Logica secundūm partem topicam acquiritur per hunc , & similes syllogismos : *Omnis syllogismus rectè dispositus ex præmissis probabilibus* , generat opinionem , sed talis est syllogismus topicus : Ergò syllogismus topicus generat opinionem : Secundūm partem sophisticam per hunc , & alios : *Omnis syllogismus ex præmissis apparenter veris , & apparenti rectitudine dispositus* , generat errorem ; sed talis est syllogismus sophisticus : Ergò bic generat errorem : Atqui syllogismi isti necessariò , & evidenter concludunt ; alter in materia topica , alter in sophistica : Ergò .

5. Conf. : Habitus , probans suas conclusiones ex principiis certis , & evidentijs , est propriè Scientia ; sed Logica docens penes singulas ejus partes ita se habet : Ergò est propriè Scientia. Prob. min. : Logica probat suas conclusiones ex his principiis : *Quæ sunt eadem uni tertio , sunt idem inter se* : Dici de omni : Dici de nullo , quæ deserviunt præsertim parti demonstrativæ ; & ex his : *Syllogismus probabilis debet constare altera saltem præmissa probabili : Syllogismus fallax debet constare aliquæ fallaciæ* ; quæ inserviunt parti topice , & sophisticæ ; sed hæc principia sunt certa , & evidenter : Ergò .

Secunda Conclusio.

6. **DICIMVS** 2. : Logicam sub munere utentis non

198 Liber I.Quest. I.de Natura, & Propriet. Logice.
non esse Scientiam in parte topica , & sophistica , ne-
que in parte demonstrativa. Conclusio , quoad pri-
mam , & secundam partem communis est; & prob.: Lo-
gica solum est Scientia , ut demonstrans proprietates
de suo objecto ; sed Logica utens in parte topica , &
sophistica non demonstrat proprietates de suo ob-
jecto : Ergò. Prob. min. : Logica, ut utens , in parte to-
pica solum construit syllogismos probabiles , & in so-
phistica sophisticos; sed per syllogismos probabiles , &
sophisticos non demonstrantur proprietates objecti Lo-
gicæ , sed solum per demonstrativos: Ergò. Min. pa-
ret , quia per syllogismos probabiles solum probabili-
ter probatur, & per sophisticos tantum apparenter; per
neutros autem demonstratur.

7 Tertia pars , quæ inter Thomistas ferè commu-
nis est, Prob. : Scientia est , quæ proprietates demon-
strat de suo objecto ; sed Logica , ut utens , in parte
demonstrativa non demonstrat proprietates de suo ob-
jecto : Ergò, prout utens, in parte demonstrativa non est
Scientia. Prob. ant. : Logicam demonstrare proprie-
ties de suo objecto , est docere proprietates de suo ob-
jecto ; sed docere proprietates de suo objecto , non
pertinet ad Logicam sub munere utens , sed docen-
tis , nisi velimus usum , & doctrinam Logicæ confun-
dere : Ergò.

8 Respondent Contrarii, (1) Logicam utentem non

(2) docere doctrinam , quæ utitur ; docere tamen doctri-
P. Loffada nam diversam : potest enim demonstrare proprietates
tract. 1. definitionis , & simul uti regulis demonstrandi; ut pa-
disp. 1. ca. tet in hoc syllogismo : *Omnis explicatio est clarior re-*
8. n. 2. 1. *explicata; sed definitio est explicatio definiti: Ergo est*
Palanc. tr. clarior definitio. Et rationem assignant: quia sicut uti re-
1. q. 1. 1. n. gulis scribendi est scribere, ita uti regulis docendi est
12. docere. *Contra: Denominationes docentis, & utentis in*

Logica sunt duæ formalitates per rationem distinctæ, desumptæ à diversis muneribus ejusdem habitus; sed munus utendi regulis demonstrandi denominat habitum utentem: Ergò munus docendi proprietates definitionis debet denominare habitum docentem: Ergò, licet idem habitus, & actus simul doceant, & utantur, non docent, prout utuntur reduplicative; sicque sub munere utentis non demonstrat.

9 *Contra 2:* In illo Syllogismo Logica docet regulas definiendi, & utitur regulis demonstrandi; sed, prout docet regulas definiendi, est formaliter Logica docens; & prout utitur regulis demonstrandi, est Logica utens: Ergò, prout utitur regulis demonstrandi, non est docens, neque demonstrat. *Conf.:* Logica, ut utens, solùm attingit structuram argumentationis, sed hęc quid diversum est à doctrina de definitione: Ergò Logica, ut utens, non attingit definitionis doctrinam. *Neo dicas,* (3) Logicam utentem ex parte objecti respicere doctrinam. *Nam eam respicit, quā docens;* non quā utens: *Sicut usum respicit, ut utens; non, ut docens.*

(3)

Palanc.
ubi sup.n.

14.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

10 *RGVES 1. contra 1. Conclusionem: Phi-*

Aiosophus (4) ait: *Si quis Dialecticam, & Rhetoricam, ut Scientias, & non, ut Facultates, pertrahet, imprudens est, & earum naturam subvertit:* Ergò Logica non est Scientia. *Resp., dist. ant.: Dialecticam, ut utentem, concedo ant.; ut docentem, nego ant., & conseq. Dices: Logica, ut docens, est modus sciendi, ut est commune apud omnes:* Ergò non est scientia. *Prob. Conseq.: Si Logica simul esset modus sciendi, & Scientia, qui quereret Logicam, simul quereret Scientiam, & modum sciendi; sed*

(4)

Aristot. 1:
Rhet.c. 2.

iux-

200 Liber I Quest. 1. de Natura, & Propriet. Logicæ.
juxta Philosophum (5) absurdum est querere Scientiam,
& simul modum sciendi : Ergò.

(5) Arist. t. 2. Met. c. 3. 11 Resp. dist. min. : Scientiam, & modum scien-
di à Scientia distinctum, concedo min. ; indistinctum,
nego min., & conseq. Aristoteles enim solum innuit,
esse absurdum querere simul modum sciendi, qui est
Logica, & alias scientias, ad quas Logica manuducit;
non verò querere scientiam Logicæ, & modum scien-
di, qui est Logica ipsa : Et hæc est mens ipsius Com-
mentatoris, videnda apud D. Thom. (6) Inflab. Vna
D. Thom. op. 70. q. 5 a. 1. ad 3. sp̄ecies non ordinatur ad alias in eodem genere con-
tentas; sed Logica ordinatur ad alias Scientias : Ergò
Logica non est Scientia. Conf. : Logica est Ars : Ergò
non est Scientia; quia Ars, & Scientia habent opposi-
tum procedendi modum.

12 Ad inflab. resp., dist. mai. : Tanquam ad finem
proximum, & intrinsecum, concedo mai. ; tanquam
ad finem remotum, & extrinsecum, nego mai. ; &
distincta min., neg. conseq. Logica ordinatur pro-
xime ad contemplationem sui objecti, tamquam ad
finem intrinsecum; ad alias verò Scientias tamquam
ad finem extrinsecum: sicut omnes virtutes ordinantur
ad Charitatem, tamquam ad finem extrinsecum, &
nihilominus sunt propriè Virtutes. Ad Conf., nego
conseq. : nec obstat subjuncta probatio; quia Scien-
tia, & Ars solum habent oppositum procedendi mo-
dum formaliter; ita, ut sub formalitate, qua proce-
dit, ut Ars, non procedat, ut Scientia: sed non rea-
liter; adeo, ut utriusque formalitas non possit in eo-
dem realiter habitu adunari.

13 ARGVES 2.: Scientia petit objectum simpliciter
scibile; sed objectum Logicæ non est simpliciter scibile:
Ergò Logica non est simpliciter Scientia. Prob. min.:
Quod non est simpliciter ens, non est simpliciter sci-
bile

bile, quia scibilitas sequitur ad ens, tanquam ejus proprietas; sed objectum Logicæ non est simpliciter ens: Ergò. Prob. min.: Objectum Logicæ in communi Thomistarum sententiâ est ens rationis; sed ens rationis non est simpliciter ens, cum sit fictum: Ergò.

14 *Resp.* neg. min.: ad prob. dist. mai.: Quod non est simpliciter ens, neque prædicamentale, neque enuntiabile, concedo mai.; prædicamentale præcise, neg. mai.; & dist. min.: Prædicamentale, conc. min.; enuntiabile, nego min., & conseq. Ens itaque est duplex, (7) aliud prædicamentale, aliud enuntiabile: Primum constituitur tale per ordinem ad existentiam; cum autem ens rationis, in quo stat objectum Logicæ, habeat existentiam secundum *quid*, factam videlicet, ideo non est simpliciter ens prædicamentale: Secundum dicitur illud, de quo efformari possunt veræ enuntiationes ratione connexionis cum suis proprietatibus, cumque ens rationis habeat connexionem cum suis proprietatibus, est simpliciter enuntiabile, atque simpliciter scibile.

15 *Dices:* Ens rationis non habet veram cum suis proprietatibus connexionem: Ergò non est simpliciter ens enuntiabile. Prob. ant.: Connexio entis rationis cum suis proprietatibus non est simpliciter talis, cum sit ficta: Ergò. *Resp.*, dist. ant. probationis: Non est simpliciter talis prædicamentaliter, & in genere entis, conc. ant.; prædicabiliter, & in genere connexionis, neg. ant., & conseq. Quemadmodum extrema connexa, scilicet ens rationis, ejusque proprietates, sunt secundum *quid* entia, propriè tamen sunt connexa; ita connexio ipsa est secundum *quid* talis in genere entis, est tamen propriè talis in genere connexionis.

16 *In statib;* Connexio entis rationis cum suis pro-
prie-

(7)

V.D.Thō.
opusc. 30.
de ente, &
essente, c.
I.

202 Liber I. Quest. I. de Natura, & propriet. Logice.
prietatibus non est propriè talis in genere connexionis:
Ergò. Prob. ant. : Ens rationis nullas habet propri-
tates connexas: Ergò. Prob. ant. : Si haberet proprieta-
tes connexas, essent proprietates rationis; sed nequeunt
esse rationis : Ergò. Prob. min. 1. : Proprietates debent
ab essentia dimanare , & per eam , tamquam per ve-
ram causam , demonstrari; sed unum ens rationis non
emanat ab alio, nec per illud, ut causam, demonstra-
tur : Ergò. Prob. 2. eadem. min. : Proprietates per
candem actionem , quà producitur essentia , produ-
cuntur ; sed proprietates entis rationis non ita se ha-
bent , cum ens rationis practicè cognosci possit sine
proprietatibus; adeoque produci: Ergò.

17 Pro Instantiæ hujus, aliarumque solutione nos-
tandum est 1. : Objectum Logicæ non esse ens rationis,
ut sic , seu in communi , sed secunda rationis inten-
tio artificiosa logici artefacti , de qua varia , illæque
mirabiles proprietates demonstrantur ; ut esse proxi-
mè directivam intellectùs ; esse expulsivam erroris:
Et de secundâ intentione universalitatis demonstra-
tur secunda intentio prædicabilitatis , tamquam ejus
proprietas , &c. Notandum est 2. ; Proprietates entis
rationis ab ente rationis non differre realiter, sed tan-
tum per rationem, seu penes nostrum concipiendi mo-
dum: Sicut de proprietatibus entis realis docent com-
muniter Methaphysici.

18 Nunc ad Inst. resp., neg. illam min. : Ad pri-
mam ejus prob. dist. maj. : Debent dimanare reali-
ter , & per essentiam demonstrari, tamquam per cau-
sam realem , nego maj. ; debent dimanare per ratio-
nem , & per eam demonstrari , tamquam per causam
logicam, & rationem à priori , concedo maj. ; & di-
stinctâ min., nego conseq. Ad 2. prob. , neg. min. , ejus-
que implicitam prob. : Cum enim proprietates entis

rationis cum ipso identificantur; eo cognito, cognoscuntur, implicitè saltem, ipsius proprietates: Sicut, cognito ente reali, cognoscuntur implicitè unitas, veritas, & bonitas, quæ sunt ejus proprietates reales. (8)

(8)

19 *Replicab.*: Ens rationis non est simpliciter cognoscibile, cum cognoscatur ad modum entis realis: Ergò nequeunt de ipso proprietates verè demonstrari. *Conf.*: Non est certum apud omnes, ens rationis esse Logicae objectum, cum id negent Jesuitæ; sed objectum Scientiæ debet esse certò cognitum, ut valent de eo proprietates demonstrari: Ergò. *Conf.* 2. Ut Logica demonstraret proprietates de suo objecto, debet acquiri per demonstrationem, est enim Scientia habitus per demonstrationem acquisitus; sed Logica nequit acquiri per demonstrationem: Ergò. *Prob.* min.: Demonstratio supponit Logicam, ex cuius directione construatur. Ergò.

Vide alia
apud Irr.
bic, à n.
15. & Col
Rip. à n.
15.

20 *Ad replic. resp.*, dist. ant.: Cognoscibilitate absoluta, quæ attenditur penes ordinem ad existentiam, concedo ant.; cognoscibilitate respectiva, quæ sumitur à connexione cum suis proprietatibus, nego antec. & conseq. Solutio jam constat ex dictis. *Ad 1. Conf.*: resp., concessa maj.; dist. min.: Debet esse certò cognitum, quoad rationem explicitam, concedo minor.; quoad implicitam, nego min., & conseq. Ratio explicita objecti logici est rectitudo artificiosa artefacti logici, in qua omnes convenient; licet maneat sublite, in quo illa rectitudo consistat. *Ad 2. Conf. resp.*, dist. ant. probationis: Demonstratio artificiosa, concedo ant.; naturalis, nego ant. Per hanc, & non per illam acquiritur Logica.

(9)

21 ARGVES 3. contra 3. partem secundæ conclusionis: (9) Logica sub munere utensis in parte demon-

M. Palan
bic à n. 5.

strativa utitur regulis demonstrandi ; sed Logica , ut
utens regulis demonstrandi , est Scientia : Ergo. Prob.
min. : Logica eatenus utitur regulis demonstrandi,
quatenus in exercitio demonstrat proprietates de suo
objecto; sed Logica, ut demonstrat proprietates de suo
objecto, est Scientia: Ergo. Min. patet; quia nihil est aliud
scire , nisi demonstrare. Conf. : Sicut cæteræ Scientiæ
suas efficiunt demonstrationes juxta regulas Logicæ,
ita Logica proprias conficit argumentationes , juxta
suas ipsius regulas ; sed cæteræ Scientiæ , ut utentes
regulis Logicæ , sunt propriè Scientiæ : Ergo
pari.

22 Ad arg. resp. , nego min. ; ad prob. dist. maj.:
Quatenus in exercitio demonstrat per usum tantum,
nego maj. ; per usum , & per assensum, ostensionem
que evidentem veritatis demonstratae , concedo maj.; &
dist. min. : Est Scientia vi usus regularum , nego min. ;
vi assensus, & ostensionis evidentiis proprietatum, conc.
min. , & nego conseq. Ad Logicam , ut docentem, ne-
dum attingit tradere regulas , quibus utatur Logica
ipsa , ut utens ; sed præbere etiam assensum veritati,
quæ ex usu resultat, eamque evidenter ostendere; pro-
pterea est Scientia : Utentis autem solum interest
usus regularum , in quo minimè splendet ratio
Scientiæ.

23 Ad Conf. dist. min. : Ut utentes regulis Logi-
cæ reduplicative , neg. min. ; specificative, conc. min.
& nego conseq. Aliæ enim Scientiæ non ideo præcisè
sunt Scientiæ , quia regulis utuntur demonstrandi; sed
quia, illo usu mediante , demonstrant proprietates de
suo objecto ; quare non , ut utentes , sed, ut docentes,
sunt Scientiæ. Pariter Logica , non eò est Scientia,
quod utatur regulis demonstrandi ; sed quia illo usu
mediante , demonstrat de suo objecto proprietates.

Uetus

Vsus itaque est conditio necessaria ad rationem Scientiae; non tamen est formaliter scientificus. Hinc fit, ut Logica non dirigat immediatè ad cæteras Scientias, ut Scientiae sunt; sed immediatè ad illas, ut utentes regulis; & mediata, ut Scientias.

24 Dices: Constructio syllogismi demonstrativi in materia Logicæ est formalis usus Logicæ; sed talis constructio est formaliter Scientia: Ergo ipsem est formalis Logicæ usus est Scientia. Prob. min.: Talis constructio est aliqua cognitio; sed non opinio, nec fides, neque lumen principiorum: Ergò Scientia. Conf.: Vt regulis sciendi est scire; sed Logica, ut utens, utitur regulis sciendi: Ergò, prout talis, scit; atque adeo erit Scientia. Major patet: quia uti regulis scribendi est scribere: pariter ergò.

25 Ad inst. resp., neg. min.; ad probationem, concessis præmissis, dist. conseq.: Est Scientia formaliter, & simpliciter, neg. conseq.; reductivè, & secundùm quid, conced. conseq. Talis enim cognitio, utens regulis, simul assentitur veritati conclusionis: hoc tamen modo est docens; illo autem utens: primo modo est formaliter Scientia; secundo verò reductivè tantum, & identicè. Ad Conf., neg. maj.: Vt enim regulis sciendi est solùm instrumentum sciendi confidere; ad sciendum autem adhuc requiritur præbere firmum assensum, & evidentem veritati per illud instrumentum attactæ. Ad paritatem in contrarium dicimus, ad exercitè scribendum nihil aliud requiri, præter regularum applicationem ad usum: cæterum ad demonstrandum, præter regularum applicationem, requiritur assensus toties repetitus.

ARTICVLVS IV.

Virum Logica sit propriè Ars

I ARS definitur ab Arist. (1) *Habitus cum recta ratione factivus*; ab Ang. autem Doctore:

(1) Aristot. 6 Etbic. cap 4. (2) *Recta ratio operum faciendorum*. Pro harum definitionum intelligentia, observanda est differentia ab Arist. & D. Thom. statuta inter *facere*, & *agere*, seu inter *factionem*, & *actionem*: ait enim Doct. Angel. (3) *Differit autem facere, & agere; quia, ut dicitur 6. Metaph.*, *factio est actus transiens in exteriorem materiam, sicut edificare, secare, & hujusmodi; agere autem est actus permanens in ipso agente, sicut videre, velle, & hujusmodi*. Quando igitur Arist. & D. Thomas statuunt, Artem esse habitum factivum, seu rationem operum faciendorum, intelligendi sunt de *factivo* per *actionem* transeuntem in exteriorem materiam.

2. Celebris est Artis divisio in *Liberalem*, & *Mecanicam*. Liberalis Ars ea dicitur, quæ potius mente, quam corpore, exercetur; exercetur itaque per potentiam liberam, ideoque *liberalis* dicitur. Mecanica est, quæ potius corpore, quam mente, exercetur, ideoque appellatur *Mecanica*, sive servilis. Septem sunt Artes Liberales, videlicet Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmeticæ, Musica, Geometria, & Astrologia. Tidem sunt Mecanicæ, nempe Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chyrurgia, Textoria, & Nautica. His versibus breviter annotantur, primo quidem Liberales, secundo Mecanicæ juxta prolatum ordinem:

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sonus, Angulus, Astra.
Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

DICI.

3 DICIMVS: Logicam esse Artem Liberalem, non tamen esse propriè, & absolute Artes. Prima pars conclusionis, quæ à nemine negatur, patet; tūm ex D. Thomā, (4) afferente: *Ars quedam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis :: & hæc est Ars Logica;* tūm etiam, quia Logica sua construit artefacta, quæ potius mente, quam corpore, exercentur, ut nemo negat; hoc autem proprium est Artis Liberalis. *Advertendum tamen, quod, cum Ars, altera sit actionis, cuius opus ab ejus actione non differt; altera effectio-*nis, cuius opus est ab actione diversum; Logica erit Ars effectio-nis, quia ejus opus ab actione distinguitur, ut videbitus infra in hoc lib. quest. 2. art. 3.

5 Secunda conclusionis pars, in quæ non levius est, etsi de nomine videatur, difficultas probanda est. Audiatur tamen prius N. Ang. Doct. (5) afferens: *In ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis, putà constructio syllogismi, & orationis congruae :: Et ideo quicumque ad hujusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem Artes, scilicet Liberales; ad differentiam illarum Artium, quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quoddammodo serviles.* Et paucis interpositis, ait: *Hæc verò scientiae, quæ ad nullum hujusmodi opus ordinantur, simpliciter Scientiae dicuntur, non autem Artes.*

5 PROB. jam secunda pars conclusionis. Cui non convenit Artis definitio, non est propriè Ars; sed Logica non convenit Artis definitio: Ergo. Prob. min.: Artis definitio ab Aristot. desumpta, & communiter admissa, est: *Habitus cum recta ratione factivus;* sed Logica non est habitus cum recta ratione factivus: Ergo. Prob. min.: *Esse factivum, prout est Aristotelicæ definitionis differentia, sumitur strictè, & propriè;* sed Logica non est factiva strictè, & propriè: Ergo. Maj. est

(4) D. Thom.
1. poster
lect. i.

(5) D. Thom.
1. 2. q. 57.
a. 3. ad 3.

208 Liber I. Quest. I. de Natura; & propriet. Logice.
est certa ; verba enim cuiusvis definitionis debent intellegi in rigorosa sermonis proprietate , cum in formalissimo sensu sint accipienda. Prob. min.: Factivum propriè , & strictè sumptum est actus transiens in exteriorem materiam ; sed Logica non est factiva per actum in exteriorem materiam transeuntem : Ergo.

6—Min.est certa;quia Logica construit opera interna , non verò externa.Maj. prob. 1.: Verba definitionis à nemine propriùs accipiuntur,quā ab ipso definitionisAuthore,ejusque legitimo Interpretate;sed Arist.ejusque Interpres D. Thom. (6) *factivum* explicant per actum transeuntem in exteriorem materiam : Ergo. Prob. 2. eadem maj. : *Factivum* propriè sumptum est speciale operativum contrapositivè ad *activum*,ut non obscurè in verbis D. Thomæ conspicitur; sed *activum* constituitur ab Arist., & D. Thoma per actum immaterialiter in ipso agente : Ergo *factivum* constitui debet per actum , in exteriorem materiam transeuntem.

(6)
D. Thom.
ubi supr.
q. 1.

(7)
Multi Je-
suīte in
man.scrip-

(8)
Irrib.lib.
1.q. 3. a.
3.in resp.
ad inst.
primi ar-
gumenti.

7—Respondent Contrarii: (7) *Factivum* Artis Mechanicæ esse actum transeuntem in exteriorem materiam ; non verò *factivum* Artis liberalis. Alter oppositi Thomistæ respondent : (8) Primo dicunt , *Factivum* esse actum externum ex parte materiae , non verò ex parte formæ. Secundò afferunt , *Factivum* , à D.Thom. explicatum , esse *factivum* Artis Mechanicæ , Artemque solum Mecanicam ab ipso , & Arist. definitam esse. Impugnatur 1. solutio: D.Thom. loquitur de omni *factivo* propriè tali ; sed per vos loquitur solum de *factivo* mecanico : Ergo istud solum est propriè tale. Prob. maj.: D. Thomas agit de *factivo* cuiusvis Artis propriæ : Ergo. Prob. ant.: D.Thom. agit de *factivo* Artis à Prudentia distinctæ , ut legenti

con-

constabit; sed omnis Ars propriè talis à Prudentia differt: Ergò.

8—*Impugnatur 2. solutio*: Implicat, aliquid esse externum ex parte materiæ, & internum ex parte formæ: Ergò implicat illa solutio. Prob. ant.: Forma proportionatur cum materia: Ergò. *Conf.* Implicat, aliquid esse internum ex parte materiæ, & externum ex parte formæ; aliàs posset internis mentis conceptibus introduci externa forma domùs: Ergò pariter è contrà. *Impugnatur tertia*; & quidem ejus prima pars coincidit cum primâ solutione, cuius impugnatione impugnari potest. Contra alteram partem sic: D. Thomas definit Arctem, de qua ibi agit exprofessò; sed agit de Arte propriè tali communiter sumptà: Ergò. Prob. min.: D. Thom. eo in loco (9) resolvit exprofessò, Artem esse virtutem intellectualem distinctam ab aliis; sed hoc est proprium Artis propriè talis in communi: Ergò.

9 *PROB. 2. eadem pars conclusionis*: Logica est Ars liberalis; sed Ars liberalis non est propriè Ars: Ergò. Prob. min.: Quod est Ars similitudinariè non est propriè Ars; sed Ars liberalis solum est similitudinariè Ars, ut patet ex D. Thomà: *Dicuntur per quamdam similitudinem Artes, scilicet liberales*: Ergò. *Respon-*
(9)
D. Thom.
1. 2. q. 57.
art. 3.

dent, (10) Artes liberales esse per quamdam similitudinem Artes comparativè ad Artes mechanicas; sim-
(10)
Irrib. ubi
sup. in ref.
ad 1. arg

pliciter tamen, & absolute esse propriè Artes. *Vel ali-*
(11)
P. Loffada
disp. 1. c.
8.n. 5.

ter (11) dicunt, Artes liberales non esse propriè Ar-
(11)
tes proprietate primæ impositionis, quà nomen Ars
(12)
primò impositum est Artibus mechanicis; esse tamen
(12)
propriè Artes, proprietate usus; quia Sapientum usu
(12)
extensem est nomen Ars ad Artes liberales.

10 *Impug. 1. solutio*: *Ars, propriè loquendo (12)*
habitus operarius est (inquit D. Thom.;) Sed Artes

210 Liber I. Quest. I. de Natura, & propriet. Logice.
liberales non sunt propriè operativæ : Ergò non sunt
propriè Artes absolute. Prob. min. : Opera Artis libe-
ralis sunt opera impropriæ , & similitudinariæ , testo
D. Thom. jam citato : *In ipsis speculabilibus* , &c. sed
Ars , quæ non construit opus proprium , non est pro-
priè operativa: Ergò. Vrgetur : Quod absolute est prop-
riè Ars , simpliciter est dicendum Ars ; sed Artes li-
berales simpliciter Scientiæ dicuntur , non autem Artes,
ut inquit D. Thomas: Ergò. Impug. secunda solutio:
Nomen Ars ex usu sapientum est ad Artes liberales
extensum per quamdam similitudinem , ut inquit so-
lutionis Author ; sed quòd est tale per similitudinem ,
est tale metaphoricè, & non propriè : Ergò.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

(13) **A** RGVES i. D. Thomas ait: (13) *Ars quedam*
D. Thom. *necessaria est* , que sit directiva ipsius
i. post. lect actus rationis :: & hec est Ars Logice. Et alibi assertit:
(14) Rationalis , & Mathematica inter cæteras Scientias
i. Artes dicuntur : Ergò Logica est propriè Ars. Conf.:
D. Thom. Idem Ang. Doctor, ubi suprà, Logicam , nedum Ar-
Opus. 7. tem , sed artium Artem appellat : Ergò est propriè
Ars. Resp. , Ang. Doctorem solum velle Logicam , esse
Artem, non quidem propriè , & rigorosè , sed impro-
priè, scilicet liberalem; cæteræ enim scientiæ purè spe-
culativæ, ne liberales quidem dicuntur Artes. Ad Conf.
dicimus, Logicam dici artium Artem, quia ad cæteras
artes facilitat ; ad quod non requiritur , quòd sit
propriè Ars.

12 Dices : Implicat , quòd Beatissima Virgo Ma-
ria, cum sit Virgo Virginum, non sit propriè Virgo: Er-
gò, si Logica est Ars artium, erit propriè Ars. Conf.: Lo-
gica ab omnibus, præsertim ab Ang. Doctore, absolu-
tè

tè appellatur Ars: Ergò sentit, esse Artem propriè, & absolutè. *Ad inst. resp.*, concessò ant., neg. conseq.; Sacratissima enim Virgo Maria suam conservavit virginitatem illæsam; quod requiritur, ut propriè sit Virgo: Præterea suo mirabili virginitatis exemplo plurimos ad virginitatem induxit, omnesque longè superat puritate; ideo Virgo Virginum proclamat: Logica autem non est propriè factiva, prout requiriatur ad rationem propriam Artis. *Ad Conf.*, neg. conseq.; quia D. Thom. consentit communī loquendi modo; quia *loquendum est cum pluribus, & sentiendum est cum paucis*; at non sentit, Logicam esse propriè Artes.

13. ARGVES 2.: Ars est recta ratio operum faciendorum; sed Logica est hujusmodi: Ergò est Ars simpliciter. Prob. min.: Logica tradit certas regulas, ad artefacta logicalia construenda: Ergò. *Resp.*, concessa maj.; dist. min.: Logica est recta ratio operum propriè talium faciendorum, neg. min.; impropriè talium, conc. min., & neg. conseq. Opera enim interna, qualia sunt logicalia, non sunt propriè opera, sed aliquid per modum operis, ut nos docuit D. Thom.: *Quicumque autem ad hujusmodi opera habitus speculatur, qualis est logicalis, ordinantur, simpliciter Scientie dicuntur; non autem Artes;* atque adeo Logica non est simpliciter Ars. Opera autem externa sunt propriè opera, quæ tamen Logica non construit.

14. Contra 1.: Licet in definitione D. Thomæ includatur ratio operis construendi, Aristoteles definit Artem per esse habitum cum recta ratione factivū; sed Logica, et si non construat opera externa, est propriè factiva, cum factiva sit artefactorum: Ergò. *Nec dicas, Logicam non esse propriè factivam, sed acti-
vam; quia non operatur per actionem transseuntem in*

212 Liber I. Quæst. I. de Natura, & Propriet. Logicæ:
exteriorem materiam, sed per actionem immanen-
(15) tem. (15) Non enim obstat; nam discrimen illud inter
Vide, quæ agere, & facere videtur omnino voluntarium; neque
diximus apud Grammaticos, quorum est de verborum signifi-
sup. num. catione agere, fundamentum habet: Ergo illa solu-
tio nititur levissimo fundamento.

15 Contra 2.: Licet actus Prudentiae sit actio, hæc
non est restringenda ad actionem imperio voluntatis
subjectam: Ergo nec Ars in communi debet ad opus
externum adstringi. Conf.: Licet opus internum sit
tale secundum quid comparativè ad externum, est pro-
priè tale in suo genere: Ergo. Prob. ant.: Etsi
accidens sit ens secundum quid comparativè ad substâ-
tiā, est propriè tale in esse scibilis: Ergo pariter. Contra
3. Licet objectum Logicæ sit secundum quid ens, Logica
est propriè scientia: Ergo licet opus Logicæ sit secun-
dum quid opus, Logica est proprie Ars.

16 Ad primam inst. resp., negando min., & ap-
probando solutionem ibi datam, cui non officit im-
pugnatio; illa enim distinctio interfacere, & agere
fundata est valde in Arist. & D. Thomâ, ut supra di-
ximus num. 1. Neque Grammaticorum authoritas in
his, quæ ad logicas usurpationes attinent, est atten-
denda: Enim vero nec Grammaticos ipsos latuit ea si-
gnificationum diversitas; siquidem Laurentius Valla;

(16) (16) quas tribuit verbo facio significationes, ipse sunt
Laurent. actiones externæ, easque negat verbo ago: Calepinus
Valla Ele- (17) itidem ait; Agere est operari :: propriè tamen ad
gant. lib. animum refertur. En, ubi agere internam esse animi
3. cap. 75. actionem, si propriè sumatur, adducit.

(17) 17 Ad 2. Inst. resp., neg. ant., ejusque suppositū;
Ambros. imperiū enim nō est actus voluntatis, ut Argues supponit;
Calep. ver. sed intellectus: Actus autem Prudentiae, motioni vo-
luntatis subjicitur, etsi non imperio, Ad Conf. nego

conseq. ; quia, cum genus operationis internæ sit secundūm *quid* tale in ratione operativi, licet opus internum sit propriè tale in suo genere , absolutè est secundūm *quid* opus: Sicut ens rationis in suo genere est propriè tale , absolutè tamen est secundūm *quid* ens. Nec valet paritas de Accidente ; quia id habet connexionem cum suis proprietatibus , ut sit propriè scibile; opus verò internum non habet id, quod requiritur, ut sit propriè opus.

18 *Ad 3. inß.*, neg. conseq. : Disparitas est: quia ratio scientiæ non sumitur ab objecto in ratione entis , sed in ratione scibilis : cumque objectum Logicæ sit propriè scibile, licet sit secundūm *quid* ens; ideo Logica est propriè Scientia : Ars verò sumitur ab opere propriè tali, quale est externum : cum autem Logicæ opus non sit externum ; ideo Logica non est propriè Ars. *Dices*: Logica construit artefacta vocalia, sed hæc sunt opera externa : Ergò datur opus Logicæ externum. *Resp. dist. maj.* : Introducendo formam artificiosam in vocibus, prout sunt extra intellectum , negro maj.; prout sunt intra intellectum objectivè, conceдо maj. Primo modo sunt artefacta externa ; secundo verò interna. *Nota* , quod Ars liberalis est perfectior mecanicæ, sed non est proprior Ars ; quia ratio Artis est de linea imperfecta respectu Artis liberalis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Logica sit practica, an speculativa?

I **N**omen *Praxis*, à qua denominatio practici sumitur, idem sonat , ac *opus* ; quemadmodum *speculatio* , à quâ denominatio *speculativi* derivatur, valet idem, ac *contemplatio*. Cum autem duplex sit opus , alterum latè , & impropriè sumptum, alterè

(1) alterum strictè, & rigorosè acceptum, (1) pariter duplex distinguenda est praxis, impropria scilicet, & propria. Praxis impropriè, & latè sumpta est quodlibet opus internum, in cuius executione regulæ artis ad præxim reducuntur. Praxis propriè & strictè accepta est opus externum; idest elicitum, vel saltem directum ab aliqua potentia extra intellectum: Quare sic definitur praxis rigorosè sumpta: *Opus alterius potentiae ab intellectu*; cuius definitionis bonitas constabit infra.

2 Ex dictis vitanda est æquivocatio inter *praxim*, & *practicum* (idem discurrendum est de *speculatione*, & *speculativo*) Nam *Praxis* dicitur quodlibet opus exteriorius; *Practicum* verò id est, quod ad tale opus ordinatur, sive sit actus, sive habitus, sive potentia. Differunt autem habitus *practicus*, & *speculativus* ex tripli capite: ex fine, ex objecto, & ex modo procedendi. *Ex fine*: quia finis habitus *practici* est operis constructio; finis verò habitus *speculativi* est veritatis contemplatio, afferente Philosopho: (2) *Speculativa etenim finis, veritas; practice autem, opus.* Differunt ex objecto: nam objectum *practici* est aliquid operabile; &, si quid speculatorum, illud ordinat ad operationem; objectum verò *speculativi* est speculabile, & ad speculationem ordinat, quod operatur. *Ex modo denique procedendi*: quia modus primi est operatus; secundi autem contemplativus.

Prima Conclusio.

3 *DICIMVS* i.: Nullum actum intellectus, ad intrà operantis esse propriè, & simpliciter præxim; consequenter præxim optimè definiri: *Opus alterius potentiae ab intellectu.* Ita Thomistæ omnes cum Scotistis. Diximus autem: Operantis ad intrà; quia, utrum actus

(2)
Aristoteles
2. Meth. c.
1. tex. 3.

intellec^tus, ad extra operantis per actionem virtualiter transeuntem, ut contingit in Deo, & Angelis, vel per actum, alteri potentiae imperantem, vel ab illa motum, aut applicatum, sit praxis; non opus est nobis impræsentiarum disputare: Solùm itaque conclusio nostra intelligitur de actibus intellectus, quatenus à Logica dirigibles.

4 PROB. Conclusio ex D. Thomà (3) dicente: *Duplex est opus, aliud interius, aliud exterius. Practicum ergo, vel operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori.* Ex quibus sic argui-
mus: Praxis est opus exterius; sed actus intellectus, operantis ad intra, non est opus exterius, ut pér se pa-
tet: Ergò. Prob. maj. : Praxis est opus, à quo sumi-
tur denominatio practici, ut nemo negat; sed juxta
D. Thomam Practicum sumitur ab opere exteriori:
Ergò. Respondent Contrarii 1. (4) D. Thom. loqui de
practico mecanico; non verò de liberali, quale est
practicum logicum. Secundò asserunt: (5) S. Doct. no-
mine operis exterioris intelligere opus quodlibet, po-
tens fieri ex electione Voluntatis; & hujus generis est
opus Logicæ.

5 *Contra primam Solut.* sic insurgimus: Et in pri-
mis fatemur, solutionem illam menti Ang. Doct. esse
conformem, quia S. Doct. loquitur de opere exterio-
ri contrapositivè ad interius, cum asserat: *Duplex est
opus, aliud interius, & aliud exterius;* opus autem
exterius contrapositivè ad interius, est opus mecani-
cum, à quo sumi debet ratio practici mecanici: Sed
an detur aliud practicum propriè tale, præter meca-
nicum? Hoc opus, hic labor. Nunc sic: Practicum
propriè tale debet esse externum, & mecanicum; sed
practicum intellectus, ad intra operantis, non ita se
habet, ut annuit solutio: Ergò. Prob. maj. : Praci-
cum

(3)

D. Thom.
1.2. quest.
57.art. I.
ad I.

(4)

P. Loffada,
disput. I.
cap. 10. n.
10. Serve-
ra, disp. I.
cap. 5. num
47.

(5)

P. Loffada,
ubi sup.

216 Liber I. Quæst. I. de Natura, & Propriet. Logice.
cum propriè debet sumi à praxi simpliciter tali ; sed
praxis simpliciter talis est opus externum: Ergò. Prob.
min. : Praxis propriè talis debet esse opus propriè
tale ; sed solùm opus externum est propriè opus : Er-
gò. Prob. min. : Opus internum est opus secundùm
quid , teste D. Thomà : *In ipsis speculabilibus est aliquid*
per modum cuiusdam operis , putà construc̄tio syllogismi:

(6) (6) Ergò.

Vide sup.
artic. 4. à
num. 4.

6 Contra 2. : Practicum intellectus debet sumi ab
opere , extrà intellectum existente ; sed hoc opus est
externum : Ergò, dum datur in intellectu practicum
propriè tale , sumitur ab opere exteriori. Prob. maj.:
Intellectus solùm potest esse practicus per extensionem;
sed extensio intellectus attingit opus, extrà intellectum
existens : Ergò. Maj. patet ex D. Thom. (7) dicente:

(7)
D. Thom.
q. 14. de
verit. art.
4.

Sola extensio ad opus facit , aliquem intellectum esse
practicum. Prob. minor. : Extensio intellectus est ejus
tendentia extra ipsum ; quia se extendere est extra se
tendere: Ergò.

7 Contra 3. : Practicum propriè tale nequit sumi
ab opere interiori : Ergò omne practicum simpliciter
tale sumitur ab opere exteriori. Prob. ant. : Ratio
practici nequit sumi ab eo, ad quod ordinatur habitus
speculativus, ut talis; sed habitus speculativus, ut talis,
ordinatur ad opus interius : Ergò. Maj. patet ; quia
practicum, & speculativum ex fine differunt. Prob. min.
ex D. Thom. (8) dicente : *Habitus speculativus :: ha-*
bet ordinem ad interius opus intellectus , quod est specu-
lari verum. Ergò. Conf. : A veri speculatione nequit
sumi ratio practici propriè talis , cum illa sit finis ha-
bitus speculativi ; sed juxta D. Thom. *Opus interius est*
speculari verum: Ergò.

(8)
D. Thom.
2. 2. quæst
57. art. 1.
ad 1.

8 Impugnatur jam secunda solutio posita num. 4:
Si nomine operis exterioris intelligeret D. Thomas
quod-

quodlibet opus potens fieri ex electione voluntatis, electio voluntatis esset ratio formalis ad hoc, ut tale opus denominaretur exterius, sicque denominans practicum propriè tale; sed hoc est falsum: Ergò. Major patet; quia, nisi esset tale opus potens fieri ex electione voluntatis, non denominaretur exterius juxta solutionem. Prob. min.: Quælibet intellectus speculatio fieri potest ex electione voluntatis; sed hoc non obstanti non est denominanda exterior, neque practica: Ergò. Maj. patet: quia speculatio ipsa potest ordinari, ut medium ad finem; quodlibet autem medium est eligibile à voluntate.

9—PROB. 2. Conclusio: Praxis propriè talis est opus contradistinctum à speculatione; sed quilibet actu intellectus, ad intrà operantis est simpliciter speculatio: Ergò non est simpliciter praxis. Maj. est certa, nisi velis confundere cum praxi speculationem. Prob. min.: Si aliquis actus intellectus, ad intrà operantis, esset simpliciter praxis, & non tantùm speculatio, maximè ille, qui fit ab intellectu, ut regulis aliquibus directo; sed hic actus, dummodo ad intrà solum operetur, est tantùm simpliciter speculatio: Ergò. Prob. min.: Intellectus regulis Astronomiae instructus produceit actum, juxta prædictas regulas; sed talis actus est simpliciter speculatio pura: Ergò.

10—Respondebunt: Astronomiam solum astra contemplari; Logicam verò contemplari objecta, simulque actus intellectus artificio logico disponere, in quo maximè splendet ratio practici. Contra: Licet actus Logicæ artificiosè disponantur, sunt artificium simpliciter speculativum: Ergò. Prob. ant. 1. Ex D. Thom. (9) docente: Ratio speculativa quædam facit, putà syllogismum, propositionem, & alia bujusmodi: Sed syllogismus, & propositione sunt, juxta Contrarios, actus in-

(9) D. Thom.
2. 2. q. 4.
a. 2.

218 Liber I. Quest. II. de Natura, & priet. Logicæ.
tellestus artificiosè dispositi: Ergò. Prob. 2. idem ant.
Artificium actuum intellectus stat, juxta Adversarios, in
eo, quod unus repræsentet objectum, ut commune,
alius, ut particulare; sed communitas, & particula-
ritas in repræsentando non est extra genus formalissi-
mæ speculationis, ut per se patet: Ergò.

11.—Vrgetur: Actus intellectus, repræsentantes na-
turaliter animal, & rationale, sunt simpliciter specu-
lationes: Ergò etiam iidem actus, repræsentantes ea
artificiosè. Prob. conseq.: Repræsentatio artificiosa
nihil addit supra naturalem, nisi formalem apparen-
tiā animalis, ut communis, & rationalis, ut particu-
laris; sed hæc apparentia est simpliciter speculatio: Er-
gò. Prob. min.: Apparentia illa nihil est aliud, quam
passiva animalis, & rationalis repræsentatio per mo-
dum communis, & particularis; sed hæc passiva re-
præsentatio est simpliciter speculatio passiva: Ergò
pariter. Conf.: Quia visio naturaliter attingens obje-
cta, est purè speculativa; pariter visio attingens obje-
cta, ut parva, vel, ut magna, medio conspiciliorum
artificio, est purè speculativa: Ergò, si cognitio, na-
turaliter attingens objecta, est speculativa, etiam at-
tingens illa, ut universalia, vel particularia erit spe-
culativa.

Secunda Conclusio.

12. D C I M V S 2. : Logicam non esse simpliciter
practicam, & simpliciter speculativam. Prob. Conclu-
sio: Scientia naturalis dividitur in practicam, & spe-
culativam; sed hoc ipso nequit aliqua scientia natu-
ralis, qualis est Logica, simul esse simpliciter practi-
(10) ca, & speculativa: Ergò. Maj. patet: Tum ex D. Tho-
D. Thom. mæ, dicente: Practicum ergò, quod dividitur contra
I. p. q. 1. speculativum. Et alibi: (10) Licet in scientiis philoso-
phicis, alia sit speculativa, & alia practica, &c. Tum
ars. 4. etiam,

etiam, quia omnis scientia naturalis, vel demonstrat proprietates de suo objecto modo operativo, & sic est practica; vel tantum resolutivo, & sic est speculativa: repugnat autem, quod simul modo compositivo, & modo tantum resolutivo demonstret.

13 Tum denique; quia in speculativis scientiis nihil aliud queritur, quam cognitio generis subjecti, ut nobis ex D. Thom. (11) objiciunt Adversarii; (12) in practicis autem, constructio ipsius subjecti; sed repugnat, quod tantum queratur cognitio generis subjecti, & simul queratur ipsius subjecti constructio: Ergo nequit in eadem scientia esse ratio simpliciter practici, & speculativi, consequenter fit supradicta divisio. Prob. i. min. In bona divisione membra debent mutuo se se excludere, & opponi, (13) ut patet in rationali, & irrationali respectu animalis: Ergo si Scientia naturalis dividitur in practicam, & speculativam, nequit eadem scientia naturalis, qualis est Logica, esse simul simpliciter practica, & speculativa.

14 Conf.: Quia ars in communī dividitur in liberalē, & mecanicā, nequit eadem ars simul esse liberalis, & mecanica: Ergo à pari. Respondent primò Adversarii, practicum, & speculativum non posse in eodem habitu adunari respectu ejusdem objecti; posse tamen respectu diversorum. Secundò respondent: (14) Practicum, & speculativum non utcumque esse inter se opposita, sed solum pure practicum, & pure speculativum: Sic autem, nec in Logica, nec in alia scientia adunari valent, licet primo modo adunentur; sicut sensitivum, & intellectivum, quæ sunt Animæ differentiae, adunantur in homine.

15 Impugnatur prima solutio: Logica respectu nullius objecti est simpliciter practica: Ergo. Prob. ant. x.: Omnes actus Logicæ sunt simpliciter speculatio-

(11)

D. Thom.
1. post lec.
41.

(12)

P. Loffada
disput. 1.
cap. 10. n.
19.

(13)

V. Dialect
lib. 2. q. 1.
ar. 4. n. 6.

(14)

Serv. disp
1. cap. 5. n
48.

nes : Ergò. Prob. ant.: Omnes actus Logicæ sunt actus intellectus , ad intrà operantis ; sed tales actus sunt simpliciter speculationes , ut constat ex suprà dictis num. 4. & 9. : Ergò. Prob. 2. idem ant. : Nullus actus Logicæ est simpliciter praxis: Ergò. Prob. ant.: Omnis actus Logicæ est juxta Contrarios modus sciendi ; sed modus sciendi nequit ullo modo esse simpliciter praxis : Ergò. Min. patet; quia modus sciendi apud Contrarios est cognitio ignoti manifestativa. *Nec dicas*; quod est manifestativa artificiosa. *Nam* artificium cognitionis non est practicum , ut diximus numer. 10. & 11.

16 — *Impugnatur secunda solutio:* Implicat, non solum esse purè practicum , & purè speculativum , sed etiam simpliciter practicum , & simpliciter speculativum: Ergò. Prob. ant. : Denominatio simpliciter practici , & speculativi desumitur à fine principali ; sed finis principalis Logicæ nequit esse simul constructio operis propriè talis , & veritatis contemplatio : Ergò: *Vrg.* exemplo Contrariorum : Quia simpliciter sensitivum , & simpliciter intellectivum non opponuntur, adunantur in eadem anima indivisibili respectu ejusdem objecti , quia multoties sentit id ipsum , quod intelligit ; sed per vos simpliciter practicum , & simpliciter speculativum adunari non possunt in eodem habitu indivisibili , saltem respectu ejusdem objecti: Ergò essentialiter opponuntur , neque valent ullo modo in eadem scientia componi.

Tertia Conclusio.

- (15) 17 *DICIMVS* 3. : Logicam esse simpliciter speculativam , & secundum quid , seu similitudinariè practicam. Prima pars Conclusionis traditur à D. Thom. 2. 2. q. 51. a. 2. ad 3. pà: (15) *Ad tertium dicendum , quod etiam in speculativis*

Art. V. Vtr. Logica sit pract. an Speculativa? 221
tivis alia rationalis scientia est Dialectica. Prob. ratio-
ne: Illa est scientia simpliciter speculativa, cuius finis
intrinsicus est veritatis contemplatio; sed intrinsicus
Logicæ finis est veritatis contemplatio: Ergò. Prob.
min.; Finis intrinsicus Logicæ est demonstrare pro-
prietates de suo objecto; sed hæc demonstratio est for-
malis veritatis contemplatio: Ergò. Maj. est certa;
quia quælibet scientia id unicè pro fine intendit.

18 *Respondent* 1. *Contrarii*, finem Logicæ esse
sui objecti contemplationem, sed artificiosam, medio
scilicet artificio compositionis; in quo stat ratio pra-
etici. Sed hæc solutio facilè impugnatur ex dictis *nam*.

19. & 20. *Respondent*. 2. (16) Logicam respicere pro
fine, non quidem veritatem proprii objecti, sed alieni;
eamque non, ut purè speculabilem, sed, ut ope-
rabilem: veritatem autem proprii objecti, etsi attin-
gat, ordinare ad ejusdem objecti constructionem, quæ
proinde debet esse ultimus finis Logicæ.

19 *Instatur* contrà solutionem: Demonstratio
proprietatum de suo objecto est contemplatio verita-
tis proprii objecti; sed Logica, ut potè propriè scien-
tia; proprietates de suo objecto demonstrat: Ergò con-
templatur veritatem sui objecti. *Nunc sic*: Sed hæc
contemplatio non ordinatur ad proprii objecti con-
structionem; sed è contrà: Ergò illa contemplatio est
ultimus finis intrinsicus Logicæ purè speculabilis. Mi-
nor. subsumpta prob.: Priùs est in executione, objec-
tum Logicæ construi, quam ejus proprietates demon-
strari: Ergò. Prob. ant.: Logica construit objectum;
ut ejus proprietates demonstret; non autem demon-
strat proprietates, ut objectum construat: Ergò.

20 Prob. ant.: Priùs est dari essentiam objectū,
quam de eo proprietates demonstrari; quia: *Nullius*
entis nullæ sunt proprietates, cum proprietates dima-
gent

222 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logice.
nent ab essentia : Ergò. Explicatur : Logica construit definitionem , demonstrationem , aliaque artefacta; non præcisè , ut sint facta ; sed, ut , media definitione, contempletur essentiam definiti ; media demonstracione , demonstret proprietates , & sui , & aliarum scientiarum objecti ; & sic de aliis artefactis : Omnes igitur operandi regulas , omniaque artefacta ordinat ad speculationem , ut ad proprium finem.

21 — Instatur 2.eadem solutio : Licet Logica attingat speculationem veritatis modo operativo interiori; id non obstat , quominus sit simpliciter speculativa: Ergò. Prob. ant.: Licet Ethica, & Medicina attingant sua objecta externa , videlicet operationes humanas, & corporis sanitatem , modo speculativo , attendendo scilicet suorum objectorum proprietates ; nihil obest, quominus sint simpliciter practicæ : Ergò. Prob. conseq. : Sicut Ethica , & Medicina eam speculationem ordinant ad operationem objecti ; ita Logica eam operationem ordinat ad veritatis contemplationem, ut satis constat: Ergò. Addo: non esse contra rationem speculativæ scientiæ , opera interna construere, ut patet ex D. Thomâ , afferente : *Ratio speculativa quedam facit , putâ syllogismum, propositionem, &c.* (17)

(17)
D.Th. ubi
sup.n. 10.
Vide etiā
uum.7.

(18)
D.Th. ubi
supr.n. 5.

22 Secunda pars Conclusionis ; quod scilicet Logica sit secundum quid , seu similitudinariè practica, ex dictis facile suadetur : Logica construit opera secundum quid talia , proceditque modo compositivo intra lineam contemplationis : Ergò. Antecedens patet ex Angelico Doctore dicente: (18) *In ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis, putâ constructio syllogismi , &c.* Ex dictis facile infertur, Logicam, nedum , ut propriis limitibus contentam , sed , ut dirigentem etiam ad alias Scientias , esse propriè , & simpliciter speculativam ; quia semper habet pro fine veri.

Art. V. Vtr. Logica sit pract. an Speculativa? 223
veritatis speculationem, neque in aliis scientiis quid-
quam dirigit, nisi artificium demonstrationis inter-
num, & de genere speculativo.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

23 **A**RGVES i. contra primam Conclusionem:
Omnis actus regulis directus est simpli-
citer praxis; sed actus intellectus, operantis ad intrā,
regulis Logicæ diriguntur: Ergò. Prob. maj.: Actus,
per quem regulæ ponuntur in praxi, est simpliciter
praxis; sed per actum regulis directum regulæ po-
nuntur in praxi: Ergò. *Resp.*, dist. maj.: Omnis actus
regulis speculandi directus, nego maj.; regulis ope-
randi directus, conc. maj.; & distincta min., nego
conseq. Actus enim intellectus, si regulis operandi di-
rigantur, concurrunt ad externam operationem, quia
solum opus externum est propriè tale; & hoc modo
sunt simpliciter praxes: Quando autem regulis spe-
culandi, quales sunt regulæ Logicæ, & Astronomiæ,
diriguntur; sunt simpliciter speculationes. Et instatut
argumentum in actibus regulis Astronomiæ direc-
tis.

24 *Dices*: Actus intellectus operantur syllogi-
smum, propositionem, &c. sed id faciunt juxta regulas
Logicæ: Ergò sunt regulis operandi directi. *Respond.*
dist. maj.: Operantur ad intrā, prout operatio coin-
cidit cum speculatione ipsa artificiosa, conced. maj.,
operantur ad extra, prout speculationi operatio op-
ponitur, neg. maj. Ratio itaque speculativa quædam
facit, ut nos docuit Ang. Doctor, putà syllogismum,
propositionem, & alia hujusmodi: Vnde ad rationem
praxis non sufficit quævis operatio; sed ea dumtaxat,
quæ speculationi opponitur, scilicet externa, quam
mini-

224. Liber I. Quæst. I. de Natura, & Proprietate Logice.
minimè producit intellectus, dum ad intra operatur.

25. *Instabis*: Per operationem intellectus ad intrà non minùs ponuntur in praxi regulæ ad intrà operandi, quām per operationem externam regulæ ad extrà operandi; sed operatio externa est simpliciter praxis: Ergò. *Resp.*, neg. conseq. Disparitas est: quia *Praxis* propriè accepta debet esse contradistincta, & opposita speculationi; nisi velis pro velle tibi praxim effingere: Cum autem speculari, & operari ad intrà idem omnino sit, quia interius opus intellectus est speculari verum, teste D. Thomæ; (19) practicare, & ad extra operari idem pariter debet esse: Propterea reductio regularum ad extrà operandum est propriè praxis; reductio verò regularum ad intra operandum est simpliciter speculatio. Vide quæ diximus nu.
(19) D. Tb. ubi supr. n. 7.

9. 10. & 11.

26. *Repliç.*: Actus studii, & contemplationis, dum regulantur à Prudentia, sunt simpliciter praxes, cum Prudentia sit omnino praktica; sed tales actus sunt interni, & cum speculatione coincidunt: Ergò de ratione praeceos non est, quod sit externa, & speculatio ni opposita. *Resp.*, dist. maj.: sunt simpliciter praxes per se, & ratione sui, neg. maj.; ut à Prudentia imperati, conc. maj.: Sed hoc modo important formaliter applicationem voluntatis, quæ est extra intellectum, vi cuius illi actus denominantur exteriore, & practici.

27. Constat ex dictis in probatione Conclusionis, intellectum sola extensione practicum fieri; vel activè dirigendo ad opera alterius potentiarum; vel, dum passivè movetur, & applicatur à voluntate juxta prescriptum Prudentiae ad actus studii, & contemplationis, & fortasè ad actus logicos; Tunc autem hi actus se-

cun;

cundum se sunt solius intellectus; ut autem moti à voluntate sunt actus alterius potentiae ab intellectu, saltem motivè, & applicativè; sicque sunt praxes, licet primo modo sint simpliciter speculationes. Nec dicas; actus scientiae practicae esse internos; & nihilominus esse praxes. Dicimus enim, eos esse praticos, quia ad opus externum ordinantur; non tamen esse praxes, quia non sunt opus externum.

28 *Insistes* 1.: (20) Supradicti actus studii, & contemplationis à Prudentia imperati, nedum sunt praxes, ut à voluntate moti, sed etiam, ut à Prudentia imperati; sed hoc modo sunt actus solius intellectus, cum Prudentia sit intellectualis virtus: Ergò. Secundò: Scientia, quà Deus dirigitur ad nobiscum producendos actus nostri intellectus, aliosque effectus creatos, est practica, & approbationis, ut docent Theologici cum D. Thomà. Ergò opera, scilicet actus nostri intellectus, ad quæ dirigitur, sunt praxes; alias non denominaretur practica illa Scientia Divina.

29 *Ad 1. resp.*, neg. min., vel dist. illam: Elicitivè, conc. min.; applicativè, neg. min., & conseq. Prudentia enim non imperat immediatè intellectui, sed voluntati, & medià istius motione imperat intellectui; sicque illi actus adhuc, ut imperati, procedunt applicativè à voluntate; qua ratione sunt practici. *Ad 2.*, *insto arg.*: Posito eodem antecedenti, infero: Ergò etiam actus, quibus simpliciter speculamur astra, ad quos Deus illà Scientià concurrit, erunt praxes? Dicimus: Ergò, actus intellectus nostri, qui respectu nostrum sunt interni, respectu Dei esse externos, quia non sunt actus intellectus divini, sed ejus effectus; sicque nihil mirum, quod sint praxes respectu Divinæ Scientiæ; licet nostri intellectus sint speculatio-
pes.

(20)
P. Loffada
disput. 1.
cap. 9. nu.
17. & 18.

30 ARGVES 2. contra secundam conclusionem:
 Practicum , & speculativum adunantur in Logica: Ergò. Prob. ant. : Practicum , & speculativum adunantur in Theologia respectu diversorum objectorum: Ergò pariter. Resp. , neg. conseq. Disparitas est pri-
 mò : Quia Theologia ob suam eminentiam simul specu-
 latur proprii objecti veritatem , dirigitque opera
 externa , nempe opera moraliter honesta : Logica ve-
 rò , vel tantummodo contemplatur objectum ; vel , si
 quando operatur , opera conficit interna , quæ sunt de
 genore speculativo. Secundò : quia Theologia est
 scientia supernaturalis , saltem radicaliter , & objec-
 tivè , respiciens pro objecto Deum , in quo eminen-
 tiissimè continetur ratio practici , & speculativi ; in-
 tuetur enim ipsum , nedum , ut finem speculationis
 humanæ , sed etiam operationis honestæ : Logica ve-
 rò est scientia naturalis , cuius finis est veritatis con-
 templatio.

31 Dices: Licet Logica sit scientia naturalis, pos-
 sunt in ea conjungi practicum , & speculativum : Er-
 gò. Prob. ant. : Licet intellectus sit potentia natura-
 lis , est simul practicus , & speculatus secundum di-
 versos actus : Ergò pariter. Resp. , neg. conseq. Dispa-
 ritas est : quia intellectus , et si sit potentia naturalis
 est tamen superior quocumque habitu intellectuali;
 quia objectum respicit superius , scilicet rationem
 communem veri , continentem tam verum practi-
 cum , quam speculativum : Logica autem est sci-
 entia infima , cuius objectum est Modus sciendi , in quo
 sola ratio speculativi resplendet. Et instatur facile; nam
 intellectus secundum diversos actus attingit artificium
 mechanicum , & liberale ; nulla tamen Ars id præsta-
 re valet.

32 Dices adhuc : Hoc ipso , quod practicum , &
 spe-

speculativum adunentur in Theologia, & in intellectu, non sunt differentiae essentialiter oppositae: Ergo ex nullo capite repugnat, ea in Logica copulari. Ant. patet; ideo enim rationale, & irrationale in nullo animali conjungi possunt, quia sunt differentiae essentialiter oppositae: Resp., dist. ant.: Respectu potentiae, & habitus superioris, quales sunt intellectus, & Theologia, conc. ant.; respectu habitus inferioris, nego ant., & conseq. Quæ enim in superioribus sunt unita, sunt in inferioribus dispersa, ut fert commune Axioma; audibile siquidem, & visibile adunantur in objecto sensus communis, non vero in objecto sensus externi particularis: Pariter de practico, & speculativo est discurrendum.

33 Instab.: Licet intellectivum, sensitivum, & vegetativum sint differentiae Animæ in communi, adunantur in anima rationali: Ergo pariter, licet practicum, & speculativum sint differentiae scientiarum in communi, possunt in Logica componi. Resp., neg. conseq. Disparitas est: Quia objecta, & fines intellectivi, sensitivi, & vegetativi non opponuntur; sed componuntur, cum idem objectum, v. gr. planta, sit intelligibilis, sensibilis, & vegetabilis: At vero objectum, & finis scientiarum practicarum opponuntur fini, & objecto scientiarum speculativarum: nam objectum illius est opus externum, ut operabile; istius autem est veritas speculabilis: finis itidem primæ est constructio operis externi; secundæ vero mera veritatis contemplatio.

34 ARGVES 3. contra 3. Conclusionem: Angel. Doctor (21) afferit: Scientiae speculativae, ut patet in principio Metaphysicæ, sunt de illis, quorum cognitio queritur propter se ipsa. Res autem de quibus est Logica non querantur ad cognoscendum propter se ipsas, sed, ut

(21)
D. Thom.
Op. 70. q.
5. art. 1.
ad 2.

228 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logicae.
adminiculum quoddam ad alias scientias : Ergo. Conf.
In speculativis scientiis nihil aliud queritur , quam co-
gnitio generis subjecti; in practicis autem intenditur, qua-
si finis , constructio ipsius subjecti , ut loquitur ipse D.
(22) Thomas; (22) atqui in Logica intenditur, quasi finis,
D. Thom. constructio ipsius subjecti , & non sola cognitio ipsius:
1. Post. Ergo.

lett. 41.

35 Ad argum. resp. , concessio antecedenti , dist.
conseq. : Ergo Logica non est scientia speculativa
principalis , & propter se inventa , concedo conseq. ;
ministerialis , & propter alias inventa , neg. conseq.
Solutio est D. Thomae ibidem , prosequentis : Et ideo
Logica non continetur sub Philosophia speculativa , quasi
principalis pars , sed quasi quoddam reductum ad eam.
Ad Conf. dist. maj. : In speculativis scientiis principa-
libus , conc. maj. ; in ministerialibus , neg. maj. , &
dist. min. : Construetio ipsius subjecti , propter se
ipsum praeceps , neg. min.; propter veritatis manifes-
tationem , conc. min. ; & neg. conseq. Non est contra ra-
tionem scientiae speculativae aliqua componere , com-
positionem ordinando ad speculationem ; ut evenit in
Logica.

36 Dices : Scientia speculativa sistit in mera sui
objecti contemplatione , ut docet Philosophus 1. Ma-
taph. ; sed Logica non sistit in sola sui objecti contem-
platione: Ergo. Prob. min. 1. : Logica dirigit intelle-
ctum ad constructionem sui objecti; sed haec construc-
tio non est mera contemplatio : Ergo. Prob. 2. eadem
min. : Logica tradit regulas definiendi , demonstran-
di. & dividendi , ut intellectus in aliis scientiis recte
definiat , dividat , &c. : Ergo. Resp. ad instant. , dist.
maj. : Scientia speculativa principalis , conc. maj. ; mi-
nisterialis , neg. maj. Vel: permisâ majori , neg. min.
Ad 1. prob. , concessâ mai. , neg. min. ; quia constru-

etio

atio modi sciendi est de genere speculativo; neque in ea sicut Logica, sed constructionem illam ordinat ad modi sciendi proprietates demonstrandas; in quo veritatis contemplatio resplendet.

37. Ad 2. min. prob. dist. ant.: In aliis scientiis tantum, neg. ant.; & in propriâ etiam materia, conc. ant. Vtrobique tamen intra genus contemplationis sicut; cum non alio fine definiat, dividat, & demonstraret, nisi, ut pateat veritas essentiae, partium, & proprietatum ejus, quod definitur, dividitur, & demonstratur. Nec dicas: Scientiam speculativam non posse modo compositivo, sed resolutivo, procedere; sed Logica modo compositivo procedit: Ergo. Resp. enim, dist. maj.: Modo compositivo ad extrâ, conc. maj.; ad intrâ, neg. maj.; & sic dist. min., neg. conseq. Ratio speculativa quedam facit; putâ syllogismum, & propositionem, ut docet Doct. Angel.: Imò: in ipsis speculativis est aliquid per modum cuiusdam operis, interni tamen; putâ constructio syllogismi.

38. ARGVES 4. contra eandem: Scientia, cuius actus dirigunt intellectum ad efficiendum opus, non est simpliciter speculativa, sed practica, sed actus Logice; v.gr. *Definitio debet esse clarior suo definito: Syllogismus debet constare tribus terminis*, dirigunt intellectum ad efficiendum opus, definitionem scilicet, & syllogismum: Ergo. Resp., dist. maj.: Ad efficiendum opus externum, quod propterea sit propriè praxis, conced. maj.; ad efficiendum opus internum, ac de genere speculativo, neg. maj. Hujus autem generis est opus, ad quod dirigit Logica. Vel aliter: Dist. maj.: Si effectio talis operis sit finis illius scientiae, conc. maj.; si effectiōnem operis ordinet ad speculationem, neg. maj. Licet enim Logica construat artefacta, non tamen præcisè, ut sint facta; sed, ut contempletur, ac

39 Dices: Logica ordinat sua opera ad praxim:
Ergò. Prob. ant.: Logica ordinat sua opera ad diri-
gendum intellectum in scientiis practicis, quales sunt
Ethica, & Medicina; sed opera harum scientiarum sunt
praxes: Ergò. *Resp.* 1. (23) dist. mai. prob.: Ad diri-

(23)
Palanc.
hic, num.
24. Colleg
Rip. lib. 4.
dub. 9. cō-
feren. 2.
num. 22.
(24)
P. Loffada
disput. 1.
cap. 9. nu-
mer. 15.

gendum intellectum in scientiis practicis, quatenus
practicæ sunt, neg. mai.; ut scientiæ sunt, veritatis
demonstratiæ, conc. mai., min., & neg. conseq. Lo-
gica enim solum dirigit intellectum, ne erret in aliis
scientiis circa veritatis indagationem; in quo sola im-
venitur speculatio. *Si dicas*: (24) Sicut Logica dirigit
ad scientias practicas, non, ut practicæ sunt, sed, ut
scientiæ; ita dirigit ad speculativas, non, ut specula-
tivæ, sed ut scientiæ sunt; sed propter hoc est specu-
lativa: Ergò propter illud debet esse practica.

40 *Res. ad hanc inst.*; neg. conseq.: Quia de ra-
tione scientiæ, ut talis, est demonstrare veritatem; est
enim scientia: *Habitus per demonstrationem acquisitus*:
propterea Logica, ordinata ad alias scientias, ut
scientiæ sunt, ordinatur ad veritatis contemplatio-
nem; sicque est speculativa: De ratione autem scien-
tiæ, ut talis non est opus efficere. *Resp. jam 2. ad pri-
mam instantiam argumenti*, dist. mai. prob.: Ad
dirigendum intellectum in scientiis practicis, tamquam
ad finem intrinsecum, neg. maj.; tamquam ad finem
extrinsecum, conc. mai. (25) Denominatio practici,
vel speculativi non sumitur à fine extrinseco, sed in-
trinsico: Finis autem intrinsecus Logicæ est proprii
objecti veritatis contemplatio, quæ illius proprietates
demonstrantur; licet extrinsecus sit, in aliis scientiis di-
rigere.

(25)
Vide que
diximus,
art. 3. nu-
mero 12.

41 *Instabis*: Ut Logica sit practica, sufficit, eam
ordinari ad praxim, tamquam ad finem extrinsecum;
Ergò.

Ergò. Prob. ant. : Ut eleemosyna , quæ secundum se est bona, reddatur mala , sufficit , eam fieri ex pravo fine extrinseco eam elargientis ; v. gr. ob innanem gloriam : Ergò à pari. Resp. , neg. hanc conseq. Disparitas est : Quia ad rationem practici , vel speculativi solùm attenditur objectum , modus procedendi , & finis intrinsecus ; non verò extrinsecus ; alias Ars conspiciliorum constructiva esset speculativa , cum conspicilia ad speculandum ordinentur: Ceterum ad actionis honestatem attenduntur omnes circumstantiæ , quarum præcipua est operantis intentio: Si itaque una ex circumstantiis sit mala , actio erit inhonesta ; quia: *Malum ex quocumque defectu.*

24 Pro aliis solvendis nota 1. : Logicam construere artefacta vocalia , non quoad externum vocis sonum ; sed quoad internam significationem. (26) Nota 2. : Quod , licet Logica , ut utens , usum ad scientificam cognitionem ordinet , non est scientia ; est tamen speculativa , quia opera interna ad speculacionem ordinat. Ratio est : quia Logica , ut utens , non procedit modo resolutivo ad scientiam requisito; procedit tamen modo speculativo. (27) Nota 3. : Logicam quandoque falsitatem inquirere ; non , ut amplectendam , sed ut fugiendam veritatis amore; semperque ejus finis est veritas. Nota denique , Logicam construere opera secundum quid talia , propterea esse practicam secundum quid.

(26)

Palanc.

hic, num.

30. Irrib.

hic instit.

ult. 2. ar-

gum.

Vide que-

diximus,

art. 4. n.

18.

(27)

Lang. hic

num. 318

& 319.

Rip. dub.

9. confe-

rent. 3.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Logica sit simplex qualitas?

Q Valitas in praesenti pro eodem usurpatur,
ac habitus genere pro specie sumpto , ac
proin-

232 Liber I. Quæst. I. de Natura, & Propriet. Logice.
proinde in idem omnino veniunt inquirere: An Logica sit simplex qualitas; ac: Vtrum sit simplex habitus?
Procedit siquidem præsens quæstio de Logica habituali, non de actuali; nam ista simplex esse non potest, cum ex pluribus in unum aggregatis actibus coalescat. Neque loquimur de Logica habituali secundum partes topicam, & sophisticam, ut ab opinionum varietate, aliter, & aliter de partibus istis discurrentium, nunc ptescindamus. Sensus igitur articuli est: Vtrum Logica habitualis demonstrativa sit simplex habitus?

Prænotantur aliqua.

2—*Prænotandum est 1.*: Unitatem esse divisionis carentiam. Et est in triplici genere: Alia est unitas generica, alia specifica, & alia numerica. Generica est carentia divisionis genericæ; ideoque animal est unum unitate genericâ, quia non est divisibile in alia genera: Sed, cum in species rationalis, & irrationalis dividatur; non est unum unitate specificâ. Unitas Specifica est carentia divisionis specificæ: quare homo est unus specificâ unitate, quia in alias species dividî non potest; et si in individua dividatur. Numerica est carentia divisionis numericæ: hanc unitate gaudet Petrus, quia in alia individua est indivisibilis. His adiunguntur unitates aggregationis, & ordinis, quarum prima est plurium rerum quomodocumque distinctarum absque ordine copulatio; secunda est earundem rerum cum ordine adunatio.

3—*Prænotandum est 2.*: In rebus absolutis omnino, qualis est homo, v. gr., unitatem, genericam sumi à materia; specificam yero à formâ: Cæterum in rebus respectivis, quales sunt scientiae, & habitus, unitas generica, & specifica sumitur extrinsecè ab unitate ge-

nericæ.

Art. VI. Vtrum Logica sit simplex qualitas? 233
nericà, & specificà objecti, quod respiciunt; qua-
propter scientiæ, habitus, & potentiaæ à suis objectis
specificari extrinsecè dicuntur, et si intrinsecè à suis
essentialibus differentiis specificentur. Numerica tan-
dem unitas in scientiis, & habitibus, ut potè acciden-
tibus, à numericà subjecti unitate capienda est; licet
in substantiis aliundè desumatur, ut alibi examinabi-
mus ex professo.

4—*Prænotandum est* 3. : (1) Habitus, & potentias
non desumere suam specificam unitatem, aut multi-
plicitatem ab objectis purè materialibus; v. gr. poten-
tia visiva à pariete viso; sed ab objectis formalibus,
seu, ut è ratione formali inductis, quà ab illis at-
tinguntur; ut potentia visiva à colorato. Neque desu-
munt illam unitatem, aut multiplicatatem ab objecto
formali inadæquato, & partiali; sed ab adæquato, &
totali; quia illud respectu hujus, ut materiale reputa-
tur: Potentia itaque visiva non ab albo, aut viridi,
sed à colorato specificatur: idemque discurrendum
est de scientiis, & habitibus.

5—*Prænotandum est* 4. ut dicta clariùs pateant: Ob-
jectum materiale illud esse, quod non ratione sui, sed
ratione alterius, à potentia, vel habitu attingitur; for-
male verò illud, ratione cuius attingitur materiale;
v. gr. Paries est objectum materiale visus, quia non
ratione sui ab eo attingitur, sed ratione coloris, qui
propterea est ejus objectum formale. At verò in ob-
jecto formali datur ratiō quæ, & ratio sub quā. Ratio
quæ illa est, quæ per se attingitur, sed non sine aliquā
speciali determinatione, seu coaptatione; ut color, qui
à visu attingitur, ut luce circumfusus. Ratio sub quā,
ea est, quæ coaptat rationem quæ; ut lux respectu co-
loris. Ex quibus sit, ut visus objectum sit *lucidum co-*
loratum.

(1)
Vide D:
Thom. I.p.
q.77. art.
3. in Corp.

(2) 6—*Prænotandum est* 5. : (2) Rationem formalem
Vide D. sub quā in scientiarum objectis esse abstractionem à
Thomam materia. Et ratio est: quia abstractio à materia, seu
1. part. q. denudatio objecti à suā materialitate proportionat ob-
85. art. 9. jectum, aliunde ob suam materialitatem improportionatum,
ad 2. Opus. ut ab intellectū, mediis habitibus scien-
70. quest. tificis, attingatur: Cum enim intellectus sit spiritua-
5. artic. 1. lis potentia, solum proportionatur cum objecto spi-
apud Coll. rituali, aut spiritualizato, seu à materialitate denu-
Rip. tomo dato; quod fit per abstractionem à materia. Est enim
3. pag. 252 abstraction à materia, rei sine materia consideratio-
num. 21. quæ, cum sit triplex, singularis, sensibilis, & intelli-
 gibilis; totuplex erit abstractio à materia; scilicet ab-
 stractio à materia singulari, sensibili, & intelligibili.

7—*Abstractio* à materia singulari est intentionalis
 attingentia rei singularis sine singularitate; qualiter
 homo attingitur à Physicā. *Abstractio* à materia sensi-
 bili est rei sensibilis sine sensibilitate attingentia; ut
 quantitas à Mathematicā attacta sine albedine, aut
 nigredine, sine calore, aut frigiditate. *Abstractio* à
 materia intelligibili est attingentia rei absque ulla
 materia: quodd, si res ista materiæ sit capax, abstra-
 ctio illa dicitur *positiva*, qualis est ea, sub quā res
 materialis attingitur à Metaphysicā; si autem res illa,
 à quā sit abstractio, incapax materiæ sit, abstractio *ne-
 gativa* appellatur; hujusmodi est abstractio, sub quā
 Theologia Deum attingit.

8—*Prænotandum est* 6.: (3) Rationem formalem
(3) sub quā in scientiarum objectis non esse abstractionem
Vide Col- à materia præcisivè, & secundùm se sumptam, sed
leg. Rip. to. ut determinatam per immaterialitatem principiorum
mo 3. pa- cuiuscumque scientiæ respectivè. Et ratio est: quia
gin. 235. per abstractionem à materia secundùm se sumptam
à num. 24. redditur objectum utcumque cognoscibile: Ut autem
 illa

illa abstractio sit ratio sub qua scientiarum, debet objectum reddi per illam cognoscibile scientificè, ut clarum est; sed ad hoc, ut reddatur per illam scientificè cognoscibile, requiritur, ut determinetur per immaterialitatem principiorum: Ergò. Prob. min: Cognoscibile scientificè est cognoscibile per causam; est enim scientia cognitio rei per causam: Ergò, ut immaterialitas objecti reddat ipsum scientificè cognoscibile, debet determinari per immaterialitatem causæ, quæ scientiæ principia sunt.

9—Supradictam doctrinam, quæ omnibus scientiis, potentissimis omnibus, atque habitibus applicari potest, in præsenti tradere, necessarium duximus, quia aperte utilem ad præsentem difficultatem existimavimus: *Tum etiam*; quia ea, quæ de Logica dicimus, de scientiis omnibus est afferendum; neque alibi facile inseri poterit. Ex præfatis abstractionibus, abstractionem negativam ab omni materia seligimus proportione sub qua objecti Logicæ. Patet jam quæstionis status: Thomistæ omnes defendimus, Logicam habere unitatem simplicitatis specificæ, atque non componi ex pluribus habitibus partialibus; Scotistæ vero, & Jesuitæ eam compositam ex habitibus partialibus, quorum aliis sit definiendi, aliis dividendi, aliisque demonstrandi, tacentur.

Nostra Conclusio.

10 DICIMVS: Habitum scientificum Logicæ esse simplicem qualitatem, seu habitum simplicem ex pluribus partialibus non compositum. Conclusio est expressa D. Thomæ (4) afferentis: *Habitus, cum sit qualitas quedam, est forma simplex; sed nullum simplex constituitur ex pluribus: Ergò unus habitus non constituitur ex pluribus.* Omnia sunt D. Thomæ: Nunc sic: 4.

236 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logicæ.
Sed Logica, de quā lis est, est habitus: Ergò est simplex habitus. Conf. ex eodem ibidem: *Habitus est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus*, etiam si ad plura se extendat: Ergò, licet Logica habitualis ad plura se extendat, est qualitas simplex. Nec licet interpretari D. Thomam de simplicitate ordinis; (5) nam eandem, quam potentiae simplicitatem tribuit, concedit habitui, dicens: *Sicut potentia, cum sit una, ad plura se extendit :: ita habitus*; sed potentia identitatis simplicitatem habet, & non solum ordinis: Ergò pariter.

(5)
Vide Patrē
Loffada, di
sp. I. cap.
6. à num.
I.
Vide infra
num. 23.

11 PROB. Conclusio ratione: Habitū, attingens omnia sua objecta sub unica ratione formalī specifica, & differentiali, est simplex qualitas; sed Logica scientifica habitualis omnia sua objecta attingit sub unica ratione formalī specifica, & differentiali: Ergò. Prob. min.: Logica attingit omnia sua objecta sub communi ratione modi sciendi; sed ratio modi sciendi est ratio specifica, & differentialis respectu Logicæ habitualis: Ergò. Prob. min.: Logica, adhuc apud Adversarios, definitur: *Facultas agens de modo sciendi*, vel, ut aliis placet: *Ars recte differendi* (hujus differentia est eadem, ac primæ definitionis, cum differere sit apud ipsos aliquid ignotum ex his, quæ nota sunt, patefacere;) sed in his definitionibus ratio modi sciendi est specifica, & differentialis, ut per se notum est: Ergò.

(6)
P. Loffada,
disp. I. cap
6. à n. 17.
Servera,
disp. I. cap
7. à num.
68.

12 Respondent Contra rii, (6) rationem modi sciendi non esse specificam, sed genericam, & sub se continere varios sciendi modos specie distinctos, definitionem scilicet, divisionem, argumentationem, & enuntiationem, illosque considerare Logicam, non solum quatenus convenient in ratione communi modi sciendi, sed etiam quatenus sunt inter se specificè diver-

diversi; ita, ut in Logica dentur habitus definiendi, dividendi, & argumentandi specie diversi, ex quibus talis Logica resultat. Ad nostram impugnationem tenentur dicere, rationem modi sciendi, seu differendi esse rationem differentialem, non quidem infimam, sed subalternam, & in alias infimas divisibilem: sicut *sentiens* est differentia subalterna animalis, sub se continens differentias infimas hominis, & bruti.

13 *Impugnatur solutio*: Licet ratio modi sciendi sit generica ad omnes actus Logicæ, est specifica, & differentialis infimè ad Logicam habitualem: Ergò. Prob. ant.: Ratio specifica habitus, definiendi v. gr., debet esse magis extensa, quam ratio specifica actuum definiendi; sed ratio specifica actuum definiendi; v. gr., *Definitio* debet esse clarior suo definito, est ratio communis definitionis secundum, quod est talis modus sciendi: Ergò ratio specifica habitus debet esse ratio communis modi sciendi, quæ est immediatè superior illà. Min. patet; quia ille, & alii actus definiendi ad omnem definitionem se extendunt, consequenter eorum formalis ratio debet esse ratio communis definitionis.

14 Prob. maj.: Habitus ex parte objecti formalis est magis extensus, quam actus: Ergò ratio specifica habitus definiendi debet esse magis extensa, quam ratio specifica actus definiendi. Prob. ant.: Potentia est magis extensa ex parte objecti formalis, quam habitus, ut patet in intellectu, cuius ratio formalis est *verum*, ut sic, ad quod nullus ex intellectualibus habitibus extenditur: Ergò. Consequentia tenet à paritate: nam ideo ratio formalis potentiae est magis extensa, quam ratio formalis habitus, quia habitus sunt determinationes potentiae, eò, quod sint magis actuales, minusque indifferentes, ut docet Ang. Doctor;

sed

(7) (7) sed etiam actus sunt determinationes habituum,
D. Thom. cum sint magis actuales, minusque indifferentes:
I. 2. quest. Ergò.

S. artic. 2. 15 — *Vrgetur* :— Qùò aliqua facultas plùs distat ab
ad 3. exercitii actualitate, eò est magis in potentia ad tale
q. I. art. 3. exercitium, magis indifferens, & magis extensa; sed
ad 2. habitus plùs distat ab actualitate exercitii, quàm actus,
cum iste sit ipsum exercitium: Ergò habitus est magis
extensus, quàm actus, habetque rationem formalem
magis extensam, magisque universalem. *Prob. maj.* :
Ideo anima habet virtutem radicalem magis exten-
sam, quàm quælibet ejus potentia formaliter, ut ta-
lis; quia plùs, quàm potentia, distat ab exercitio: Er-
gò. *Nunc sic* : Sed anima ad plura objecta se extendit,
quàm quælibet ejus potentia formaliter, ut talis; &
potentia ad plura, quàm quilibet ejus habitus: Ergò
pariter habitus ad plura, quàm actus. Sed actus defi-
niendi ad omnem definitionem extenditur: Ergò ha-
bitus extenditur ad omnem sciendi modum; conse-
quenter, ratio modi sciendi est specifica respectu ha-
bitus.

16 — Munitur exemplis doctrina ista: Licet ratio
veri sit generica ad omnes virtutes intellectuales; est
tamen specifica, & differentialis infimè ad potentiam
intellectivam: Quàmvis ratio communis *sensibilis* sit
generica ad omnes particulares sensus, sive internos,
sive externos; est tamen specifica, & differentialis
respectu sensus communis: Quamquàm ratio commu-
nis *coloris* sit generica ad album, & nigrum, & ad
hanc, & illam visionem; est specifica, & differentialis
respectu potentiarum visivarum: Ergò pariter, licet ratio
communis *artefacti logici*, seu *modi sciendi* (pro eo-
dem accipitur in præsenti) sit generica ad actus de-
finiendi, dividendi, & syllogizandi; erit specifica, &
diffe.

differentialis infimè ad habitum definiendi, dividendi, & argumentandi; consequenter unicus erit, & simplex habitus.

17—*Respondebunt* fortasè Adversarii ex doctrinā apud ipsos passim oviā; maximum esse discrimen inter potentiam comparativē ad habitus, & habitum comparativē ad actus. Et ratio est, inquiunt: quia habitus generatur ex actibus, consequenter est eorum effectus, ipsorumque naturam sapit, neque majorem, aut extensiorem habere valet virtutem; alias effectus excederet suam causam: Ceterū potentia non acquiritur per habitus, neque eorum est effectus, sed causa, de cuius ratione est, quod possit majorem habere virtutem, quam effectus: Ideo, licet potentia sit magis extensa, quam habitus, habitus non est magis, sed aequè extensus cum actu; atque adeo utriusque est eadem formalis ratio.

18—*Impug. Solut.*: Licet habitus sit ex actibus generatus, in extensione cum his convenire non debet: Ergo. Prob. ant.: Actus non aliter est causa habitus, quam ut actio instrumentalis potentiae; sed hoc ipso non debet habitus cum eo in extensione convenire: Ergo. Prob. min.: Eo ipso, quod actus, non secundū se solus, sed, ut potentiae conjunctus, sit causa habitus; iste est effectus actus, & potentiae, ut unius causæ adæquatæ, & uniuscujusque, ut causæ inadæquatæ; sed effectus majoris potest esse virtutis, quam causa inadæquata, licet adæquatam excedere nequeat: Ergo, licet habitus nequeat esse extensor, quam potentia simul, & actus, ad plura se extendere potest, quam actus. (3)

19—*Explicatur*: Actus Logicæ sunt actus intellectus, ut Adversarii negare non possunt; sed nihil producit actus intellectus, ut causalitas ejus, ad quod intellectus non concurrat, ut proxima virtus intelligendi:

(3) Vide similem doctrinam apud Gonet. 3. part. Clp. tractat. I. disput. 17. cap. 3. num. 61. in fine.

240 Liber I. Quæst. I de Natura, & Propriet. Logice.
gendi : Ergò, dum actus generat habitum, intellectus generat habitum ; sed eo ipso, quod intellectus non se solo, sed per actum determinatus, & limitatus producat habitum ; habitus non evadit æquè extensus, ac intellectus : Ergò eo ipso, quod actus non se solo, sed cum potentia extensa, & minus determinata producat habitum ; iste non resultat æquè limitatus, ac actus. (9) Conf. : Si frigidum, & calidum uniantur ad causandum effectum ; iste neque evadit frigidus, neque calidus, sed tepidus, quod est inter utrumque medium : Ergò, si actus, & potentia habitum generant ; iste neque erit adeo extensus, ut potentia, neque adeo determinatus, ut actus, sed medius inter utrumque.

(9)
Vt aliter
impugnes,
vide Irriga-
barr. hic
prob. 2.

20 PROB. 2. conclusio : Habitus scientificus definiendi non distinguitur ab habitu scientifico syllogizandi : Ergò in Logica non dantur plures habitus. Prob. ant. : Habitus scientificus definiendi est habitus scientificus syllogizandi : Ergò. Prob. ant. : Actus scientificus definiendi est actus scientificus syllogizandi ; sed actus generat habitum sibi similem, ut ex Arist. (10) cantant Adversarii : Ergò. Prob. maj. : Demonstratio circa definitionem est actus scientificus definiendi ; sed eadem est actus scientificus syllogizandi : Ergò. Maj. patet in ista demonstratione : *Omnis explicatio debet esse clarior re explicata* ; sed definitio est explicatio definiti : Ergò debet esse clarior definito ; hæc enim generat scientiam definiendi, consequenter est actus scientificus definiendi : Min. etiam patet ; quia ex hujus actus repetitione, relinquitur in intellectu facilitas ad syllogizandum, per vos.

(10)
Aristot. 2.
Ethic. cap.
I. Q. 2.

21 Respondent Adversarii, illam demonstrationem esse doctrinam definiendi, & usum syllogizandi ; atque adeo generare habitum docentem definiendi, &

uten-

utentem circa syllogismum; non autem docentem circa syllogismum: Consequenter habitus docentes realiter distinguuntur. *Sic arguimus*: Id est actus juxta solutionem est doctrina definiendi, & usus syllogizandi: Ergo generat habitum docentem definiendi; & utentem syllogizandi, quia similes actus similes habitus causant. *Nunc sic*: Sed habitus utens syllogizandi est docens syllogizandi, ut nobiscum (11) plerique ex Adversariis convenient: Ergo ille actus generat habitum docentem syllogizandi.

22—*Impugnatur aliter*: Hoc ipso, quod illa demonstratio generet habitum docentem definiendi, generat habitum utentem definiendi; quia habitus docens, & utens definiendi non distinguuntur: Ergo si generat habitum utentem syllogizandi, generat etiam habitum docentem syllogizandi; quia habitus utens, & docens syllogizandi non distinguuntur realiter. Sed per unicam demonstrationem non generatur, nisi unicus habitus: Ergo idem habitus simplex est docens, & utens definiendi, syllogizandi, &c. *Si dicas cum Scotistis*, eos habitus esse realiter distinctos. *Sic arguimus*: Optimè componitur, eam demonstrationem simul generare habitus realiter, & specificè diversos: Ergo poterit etiam habitus unicus actus specie diversos producere; atque adeo non debet habitus actus naturam exemplari.

23—*Conf.* efficaciter tota argumenti doctrina: Habitus scientificè syllogizandi circa materiam definitionis non distinguitur specificè ab habitu scientificè syllogizandi in materia syllogismi; sed habitus scientificè syllogizandi in materia definitionis est habitus scientificus definiendi, cum doceat definitionis proprietates; & habitus scientificè syllogizandi in materia syllogismi est habitus scientificus syllogizandi: Er-

(11)

*Vide que
diximus
art. i. nu-
mero 6.
Vide Patrē
Loffad di-
spus. i. cap.
cap. 3. nu-
mero 3.*

242 Liber I. Quest. I. de Natura, & propriet. Logice.
gò habitus scientificus definiendi, & syllogizandi non distinguuntur. Major patet; alioquin darentur plures habitus syllogizandi; & quidem unus in materia definitionis, alius in materia syllogismi; unus ad demonstrandas proprietates Universalis, alius ad ostendendas passiones Prædicabilis.

(12)
P. Loffada,
tractat. I.
disp. I. cap.
5. num. 24.

24— Respondent Jesuitæ, (12) negando maj. : Dicunt enim, quod habitus docens, seu tradens regulas unius modi sciendi, non est habitus iisdem regulis utens circa materiam alterius modi sciendi; atque adeò acquisito habitu declarandi proprietates definitionis, aut divisionis; ut hac doctrina utatur quis, definiendo, aut dividendo syllogismum, alio habitu distincto indiget. Pari modo : penetratis syllogizandi regulis; ut hæ applicentur ad materiam definitionis, alius habitus requiritur: Et rationem assignant; quia usus in quilibet modi sciendi specie habet objectum formale diversum.

25— Impugnatur solutio: Eodem habitu, quo intellectus definit syllogismum, definit definitionem: Ergò eodem habitu, quo demonstrat proprietates syllogismi, demonstrat proprietates definitionis. Prob. ant. : Syllogismus, & definitio convenient in eadem ratione formalis specifica, & differentiali definibili. Ergò. Conseq. tenet; nam, ideo volunt Contrarii diversos habitus, quia diversas rationes formales apprehendunt. Prob. ant. : Ratio formalis definitiatis syllogismi est constare prædicatis metaphysicis, ut fiat compositio ex genere, & differentia; sed eadem est ratio definitiatis in definitione; nisi enim constare posset genere, & differentia, indefinibilis esset: Ergò. Major patet; ea enim definitia dicuntur, quæ habent prædicata, quorum alterum beneficio intellectus possit esse genus, alterum differentia: Imò ob op-

26—*Impug.* 2. : *Habitus*, quorum formalia prin-
cipia sunt eadem, idemque formalis procedendi mo-
dus, realiter non distinguuntur; sed *habitus syllogi-
zandi* in materia definitionis, & *habitus syllogizandi*
in materia syllogismi habent eadem principia forma-
lia, idemque formalis procedendi modus: Ergo. Min.
patet: quia utrobique utimur principiis communibus:
*Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se: Dici de
omni, &c.* Neque aliquod principium est af-
signabile ad syllogizandum in una materia, quod ad
aliam non deserviat; alias non erit principium for-
male, sed materiale. *Conf.*: Ideò per vos requiruntur
diversi *habitus*, quia syllogismus habet diversum for-
male artificium, ac definitio; sed quælibet species,
vel omnium minima, habet diversum formale consti-
tutivum, vel naturale, vel artificiale: Ergo quæli-
bet species suum requiret *habitum definiendi*, di-
divi-
dendi, & syllogizandi; quo nihil absurdius.

27 *PROB.* 3. *Conclusio*: Si Logica non esset sim-
plex qualitas, eò maximè esset, quod producto habi-
tu per primam demonstrationem erga definitionem,
ad quam proindè jam est intellectus facilis, produci-
tur per aliam demonstrationem novus *habitus* ad syl-
logismum, ad quem erat difficilis; sed haec ratio non
subsistit: Ergo. *Prob. min.* 1. Potest quis esse facilis ad
definiendum hominem, & difficilis ad definiendam
formicam; facilis ad amandum amicum, & difficilis
ad amandum inimicum; facilis etiam ad abstinen-
dum à carnibus, & difficilis ad abstinentiam à pane;
sed ad definiendum hominem, & formicam; ad aman-
dum amicum, & inimicum; ad abstinentiam à car-
nibus, & à pane, non requiruntur diversi *habitus defi-*

(13) 28 Prob. 2. illa min. : Aperto Angel. Doct. testimoniis: (13) Ad tertium dicendum, quod ille, qui in aliquà scientia acquirit per demonstrationem scientiam unius conclusionis, habet quidem habitum, sed imperfèctè: cum verò acquirit per aliquam demonstrationem scientiam alterius conclusionis, non aggeneratur in eo alijs habitus; sed qui prius inerat, fit perfectior, utpote ad pluram extendens: Ergò. Ex hoc D. Thomæ assertio facilè refellitur solutio P. Loffada, (14) ad autoritatem positam num. 10. respondentis, S. Doctorem intelligendum esse de unitate ordinis; non verò de physica, & entitativa: Nam cum ordinis unitate non opponitur, sed componitur aggeneratio novi habitus per novam demonstrationem; quam negat D. Thomas.

(14) P. Loffada, disput. 1. cap. 6. numer. 2. 29—Ad Aut. D. Thomæ respondent, ipsum loqui de habitu respectu demonstrationum, quæ procedunt subordinatè, quarum una derivatur ex alia, vel utraque ex uno tertio; demonstrationes autem definientiæ non derivantur à demonstrationibus syllogizandi; nec è contraria; ut patet in his conclusionibus: *Definitivus debet esse clarior suo definito: Syllogismus debet consistere tribus terminis; quarum prima est definiendi, secunda syllogizandi; neutra tamen ab altera derivatur.* Et quod hæc sit mens D. Thomæ, ex eò colligunt, (15) quod immediate addat: *Eò quod conclusiones, & demonstrationes unius scientiæ ordinatæ sunt, & una derivatur ex aliâ.*

(15) Vide Patrē Loffad. ubi sup. num. 29. & cap. 5. num. 2. 30 Contra 1. : Juxta D. Thomam conclusiones unius scientiæ ordinatæ sunt; sed Logica est una scientia, ut non pauci ex Adversariis fatentur: (16) Ergò. *Nec dicas, esse unam unitate ordinis; quod non sufficit: Nam hoc, & non alio modo, valet scientia aliqua*

qua esse una per vos; sed conclusiones unius scientiae, modo quo una esse valet, ordinatae sunt, ut inquit D. Thomas: Ergo conclusiones Logicae sunt ordinatae. *Contra 2.* : Licet ex praedictis conclusionibus altera ab altera non derivetur, utraque derivatur ab ista: *Modus sciendi debet esse ignoti, vel confusè cogniti manifestatus;* sed hoc sufficit, ut sint subordinatae: Ergo. Prob. maj. : Definitio debet esse clarior definito; quia est modus sciendi, de cuius ratione est ignotum, aut confusè cognitum manifestare: Pariter syllogismus debet constare tribus terminis, ut innoteat identitas extremonrum inter se, quæ latebat in identitate eorum cum medio: Ergo.

31 — *Prob. jam. 3.* illa prima minor argumenti: Licet verba absolutionis ex se habeant virtutem conferendi veniam peccatorum; illam tamen non causant, quando subjectum est jam sine peccato: verba etiam consecrationis prolatæ super hostiam consecratam, Sacramentum non efficiunt; quia jam factum inveniunt: Ergo pariter, licet secunda demonstratio habeat virtutem ad causandum habitum; illum non causat, si jam inveniat productum per primam demonstrationem.

SOLVVNTVR ARGUMENTA CONTRARIA.

32 **A** RGVES 1. : Habitus scientificus definiens di non est habitus scientificus syllogizandi: Ergo in Logica dantur multi habitus, consequenter non est simplex qualitas. *Prob. ant.*: Habitus idem est, ac facilitas; sed facilitas scientifica ad definiendum non est facilitas ad syllogizandum: Ergo. *Prob. min.* : Potest quis habere facilitatem ad definiendum, & difficultatem ad syllogizandum: Ergo.

Aut.

246 Liber I. Quæst. I. de Natura & propriet. Logice.
Ant. patet experientia in eo, qui definiendi regulas perfectè didicit, ignoratque tamen regulas syllogizandi: *Insto argumentum*: Potest quis esse eruditus ad definiendum hominem, & habere difficultatem ad definiendam lucem, ut patet in eo, qui scit prædicta hominis essentialia, & ignorat prædicata specifica lucis: Ergò facilitas ad definiendum hominem non est facilitas ad definiendam lucem?

33 *Resp. ad arg.*, dist. ult. ant. : Potest habere facilitatem ad definiendum purè artificiosam, & difficultatem scientificam ad syllogizandum, concedo ant., habere facilitatem scientificam ad definiendum, & difficultatem scientificam ad syllogizandum, subdist. formalem, & intrinsecam, neg. ant.; materialem, & extrinsecam, concedo ant., & nego conseq. Pro plena solutionis intelligentia, duo nota. *Primum est*: Habitum scientificum non generari præcisè ex regulis definiendi, vel syllogizandi, sed ex demonstracione erga definitionem, aut syllogismum; quia scientia habitualis est habitus per demonstrationem acquisitus: Ille ergò, qui scit regulas definiendi, nescit autem regulas syllogizandi, habet facilitatem purè artificiosam erga definitionem; non verò scientificam, seu demonstrativam, cum demonstrandi principia penitus ignoret.

34 *Secundum est*: Duplicem dari posse difficultatem, alteram intrinsecam, & formalem, alteram materialem, & extrinsecam. Prima est, quæ provenit ex defectu promptitudinis, & habilitatis; ut difficultas, quam habet cæcus ad videndum. Secunda est, quæ provenit ex defectu materiæ, applicationis, aut alterius extrinsecæ indispositionis; qualis est difficultas, quam experimur ad videndum distans objectum. Si quis autem facilitatem acquisiverit scientificam erga

erga definitionem per demonstrationes ex regulis definiendi efformatas, solum habet difficultatem materialē ad scientificē syllogizandum erga syllogismum; quia eadem facilitate, quā definitionis proprietates demonstrat, demonstraret syllogismi proprietates, si regulas demonstrandi, quibus erga definitionem usus est, applicaret ad syllogismum; cum utrumque habeat eamdem artificiosam demonstrabilitatem. (17)

35 *Instabis* 1.: Potest quis habere facilitatem artificiosam ad definiendum, & difficultatem intrinsecam scientificam ad syllogizandum; sed facilitas artificiosa ad definiendum est facilitas scientifica ad definiendum: Ergo potest quis habere facilitatem intrinsecam scientificam ad definiendum, & difficultatem intrinsecam scientificam ad syllogizandum. Majorem concedit solutio ipsa. Min. patet: quia facilitas, seu habitus artificiosus Logicæ, & ejusdem habitus scientificus non distinguuntur; alias Logica, ut Ars, & ut Scientia realiter distingueretur; quod est inauditum apud Thomistas. *Resp.* dist. min.: Facilitas artificiosa acquisita per nudas definiendi regulas, neg. min.; acquisita per demonstrationes ex prædictis regulis confectas, concedo min., & nego conseq.

36 Dupliciter potest artificialis Logicae facilitas acquiri; vel per nudas regulas, quales sunt: *Definitio* debet esse clarior suo definito: *Syllogismus* debet constare tribus terminis; vel per regulas ad formam demonstrationis redactas; qualis est: *Omnis explicatio* debet esse clarior re explicata; sed *definitio* est *explicatio definiti*: Ergo debet esse clarior definito. Si primo modo illa facilitas, sive definiendi, sive dividendi, sive syllogizandi, acquiratur; est purè artificiosa, & nullatenus scientifica: Si verò secundo modo generetur; est artificiosa, simulque scientifica. Habitū itaque

(17)

Vide supra
numer. 25.
simile.

248 Liber I. Quæst I. de Natura, & propriet. Logice.
Logicus, si primò tantum modo acquireretur; esset
Ars, non verò Scientia: Si secundo, ut communiter
contingit; idem est Ars, & Scientia: Et de isto loquun-
tur Thomistæ, dum Artem, & Scientiam eandem Lo-
gicam dicunt. (18)

(18)
Vide supra
art. 3. nu-
men. 12.

37—Neque hæc doctrina, quæ alicui inaudita vi-
debitur apud Thomistas, apud Thomistas malè audit:
Est enim plū, quàm certum, scientiam non ex præ-
cisis enunciationibus generari; sed ex demonstratio-
ne, vel formalí, vel virtuali; neque aliter haberí
posse, docent omnes. Artem autem consequitur quis-
que per regulas certas, errare non patientes, quas ha-
bet Logica, ad formam demonstrationis quandoque
non redactas. Ex quibus duo intelliges: *Primum* est;
quòd semper ac loquimur, inter probandam conclu-
sionem, de actibus, ac regulis, ex quibus habitus ge-
neratur, intelligimus regulas, aut actus scientificos,
& demonstrativos: *Secundum* est; quòd, licet Logica
purè artificialis haberí possit, non verò purè scientifi-
ca; quia demonstrationes, quibus hæc acquiritur, in-
cludunt regulas operandi ad intrà.

38 Dices contra doctrinam istam: Si posset quis
acquirere Logicam purè artificioam, posset postea ac-
quirere de novo Logicam scientificam per regulas in
formam demonstrationis redactas, ex quibus duo se-
quuntur: *Primum* est; quòd duo accidentia solo nu-
mero distincta sint in eodem subjecto: *Secundum* est;
quòd Logica non sit simplex, cum possit esse duplex.
Resp., concedendo ant.; *Ad 1. illatum dicimus*, illos
habitus plū, quàm numero, differre; quia secun-
dus subinduit speciem scientiæ, quàm primus non
participat: differunt ergò specie infima; & in eos Lo-
gica in communi subdividitur: Sicut in probabili sen-
tentia dividitur in Analyticam, Topicam, & Sophisti-
cam;

Art. VI. Vtrum Logica sit simplex qualitas? 249
cam; & in Docentem, & Vcentem. Ratio autem artis in secundo habitu est contracta per rationem scien-
tiae. *Ad 2. dicimus*, Logicam in communis esse multi-
plicem; Logicam vero scientificam; de qua lis est;
esse simplicem qualitatem.

39 *Instabis* 2. contra solutionem argumenti: Po-
test quis habere facilitatem scientificam ad definien-
dum, & difficultatem intrinsecam scientificam ad syl-
logizandum: Ergo nulla est solutio. Prob. ant.: Potest
quis habere facilitatem scientificam ad definiendum,
& errorem, saltem actualem, erga syllogismum; sed
cum errore circa syllogismum non componitur facili-
tas intrinseca scientifica ad syllogizandum: Ergo.
Maj. patet; alias scientia, & error essent in eodem
intellectu circa idem objectum. *Conf.*: (19) Eò præci-
sè, quod aliquis, acquisito habitu Physicæ, difficulta-
tem experiatur circa objecta Metaphysicæ, habet ad illa
intrinsecam difficultatem. *Adde*: (20) Quod nostrâ
solutione pari facilitate posset quis defendere, intelle-
ctum non egere ullo habitu erga objecta omnia; sed
difficultatem, quam habet, esse purè materialem.

(19)
P. Loffada
disput. I.
cap. 5. nu-
mer. 17.
(20)
Servera
hic n. 63.

40 *Ad inst. resp.*, dist. maj. probationis: Habere
facilitatem scientificam ad definiendum applicatam
erga materiam syllogismi, & errorem erga syllogi-
smum, neg. maj.; non applicatam, subdist.: Et erro-
rem formalem erga syllogismum, neg. maj.; purè
materialem, conc. maj.; & dist. min.: Cum errore
formali, conc. min.; purè materiali, subdistin.: fa-
cilitas scientifica applicata ad syllogismum, concedo
min.; non applicata, nego min., & conseq. Acquisito
itaque habitu scientifico circa definitionem, nisi ejus-
modi habitus ad syllogismum applicetur, adhuc in-
tellectus habet difficultatem ad differendum erga syl-
logismum; hæc tamen difficultas non est formalis, id

250 Liber I. Quæst. I. de Natura, & propriet. Logice.
est proveniens ex defectu formæ facilitantis ad disserendum de syllogismo ; sed materialis, ex defectu applicationis illius formæ, quæ est habitus , aut ex defectu specierum , alteriusvè extrinsecæ dispositionis derivata.

41 Duo sunt , eaque satis accommodata , exempla ad confirmandam nostram doctrinam. *Primum* est : Si puer , rationis usum non attingenti , infunderet Deus habitum ad scientificè syllogizandum , haberet quidem intrinsecam facilitatem ad syllogizandum ; adhuc tamen haberet extrinsecam difficultatem ad syllogizandum , ex defectu specierum , & applicationis provenientem. *Secundūm* est : Si alicui adulto baptizato sufficienter promulgaretur Mysterium SS. Mæ. Trinitatis , non verò Mysterium Incarnationis , haberet quidem habitum fidei ; qui , cum sit simplex juxta omnes , intrinsecè ipsum facilitaret ad credendum Mysteria Trinitatis , & Incarnationis ; haberet nihilominus extrinsecam difficultatem , ex defectu promulgationis , ad credendum Incarnationis Mysterium.

42 — *Ad Conf.* , dist. ant. : Eò quòd experiatur difficultatem formalem , conc. ant. ; tantùm materialem , neg. ant. , & conseq. Objecta enim Physicæ , & Metaphysicæ non convenient in eadem abstractione , à materia aliavè ratione formalí habitus , etsi convenient in ratione veri , quæ est ratio formalis potentiarum intellectivæ : ideo , licet unica pro eis sufficiat potētia , non sufficit unicus habitus . Contrarium evenit in Logicæ objectis , quæ sub eadem ratione formalí modi sciendi convenient ; quam specificam esse respectu Logicæ habitus , satis constat. (21) *Ex quibus* patet responsio ad *Addit.* quia , cum objecta intellectus sint , non solùm intelligibilia utcumque , sed scientificè ; ad ea scientificè cognoscenda indiget intellectus diversis scientificis habi-

(21)
Vide supr.
à num. 13

Art. VI. Vtrum Logica sit simplex qualitas? 251
habitibus, juxta diversitatem rationum scibilium ob-
jectorum.

43—*Dices contra solutionem instantiae*: Cum habi-
tu scientifico syllogizandi nequit componi error ma-
terialis erga syllogismum; sed componitur cum habi-
tu scientifico definiendi: Ergò habitus scientificus de-
finiendi non est habitus scientificus syllogizandi, Maj.
patet, quia per habitum scientificum syllogizandi ex-
pellitur omnis error syllogizandi. *Conf.*: Quia eodem
habitu fidei omnia Mysteria creduntur; implicat, cum
habitu fidei erga unum articulum componi heresim
erga alium: Ergò pariter.

44—*Resp. ad inst.*, dist. maj.: Cum habitu sci-
entifico syllogizandi applicato ad materiam syllogismi,
concedo maj.; non applicato, nego maj. Et dist. ejus
probationem: Per habitum scientificum syllogizandi
applicatum, conc. ant.; non applicatum, neg. ant. Si-
cūt ad expellendas tenebras non requiritur præcisè
lux nova, sed productam applicare; & quemadmodum
ad videndos colores distantes, non requiritur nova
potentia visiva, sed habitam applicare: ita ad expel-
lendum errorem materialem erga syllogismum, non
indiget novo habitu, qui habitum habet scientificè de-
finiendi; sed solum habitum definiendi applicare; cum
definitio, & syllogismus in eadem ratione formalis ha-
bitus convenient; sicut color distans, & propinquus in
ratione visibilis.

45—*Ad Conf. resp.* cum D. Thomā; (22) quod in
diversis conclusionibus unius scientiæ sunt diversa(sal-
tem materialia) media, per quæ probantur; quorum
unum potest cognosci sine alio; atque adeo haberi
scientiam de una conclusione, & materiam errorem
erga aliam: sed omnibus articulis fidei inhæret fides
propter unum medium scilicet propter primam veri-

(22)
D. Thom.
2. 2. q. 1.
art. 3. ad
2.

252 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logica. tatem nobis in scripturis propositam : & ideo , qui ab hoc medio discedit circa unum articulum , totaliter fide caret. Addo , non implicare , haberi fidem erga unum articulum , & errorem negativum erga alium ; ut constat ex secundo exemplo posito num. 41.

46—*Replicabis*: Implicit , habitum scientificum definiendi esse habitum scientificum syllogizandi , & positum in intellectu , non ipsum denominare scientem syllogizare ; sed , juxta solutionem , potest habitusdefiniendi non denominare intellectum scientem syllogizare , applicatione deficiente : Ergo. Conf.: (23) Nequit species impressa Definitionis se extendere ad repræsentandum syllogismum : Ergo neque habitus definiendi ad syllogizandum. Resp. i. ad replic., nego min. ; habet enim habitum scientificum syllogizandi ; qui habet habitum scientificum definiendi , licet possit non esse applicatus ad syllogizandum ; in quo casu habet habitualem scientiam , licet non actualem , ad syllogizandum ; idque , & non aliud , fateatur solutio nostra.

47—*Resp. 2.*, dist. maj. : *Et non ipsum denominare scientem syllogizare* ; si applicatus sit , concedo majorem ; si non sit applicatus , nego majorem. Habitus enim scientificus est forma denominans intellectum scientem syllogizare , ut applicatus ad materiam scibilem , & non aliter ; ut patet in primo exemplo posito num. 41. At verò illa applicatio non est aliquid essentiale habitui scientifico ; sed sola conditio necessaria , ut suam præstet in exercitio denominationem: Sicut applicatio ignis ad materiam combustibilem est conditio necessaria , ut ignis comburat. Ad Conf. , nego conseq. Ratio est : quia species , & mittitur ab obiecto , estq; adæquata ejus similitudo; proinde cum illo in particulari proportionatur : Cæterum habitus se habet

(23)
Servera
bit n. 66.

habet ex parte potentiarum, cuius est perfectio; propterea cum illa proportionatur in extensione ad pluram, quam actus.

48 ARGVES 1. : Actus specie distincti generant habitus specie diversos; sed in Logica dantur actus specie distincti: Ergo & habitus. Maj. est Aristotelis, (24) afferentis: *Similes actus, similes habitus causant.* Min. prob. *Quia demonstratio erga definitionem, & demonstratio erga syllogismum sunt specie diversae:* Ergo: Prob. ant. : Actus, qui de diverso objecto diversam ostendunt veritatem, sunt inter se specie dissimiles; sed demonstratio erga definitionem, & demonstratio circa syllogismum de diverso objecto ostendunt diversam veritatem: Ergo. Min. prob.: Demonstratio erga definitionem ostendit de definitione proprietates, & demonstratio circa syllogismum syllogismi proprietates demonstrat; sed haec proprietates, sicut & objecta, de quibus demonstrantur, sunt specie diversae: Ergo. *Tum etiam; quia regulae definiendi, & syllogizandi specie distinguuntur.*

49 Resp. dist. maj. : Actus specie distincti generant habitus specie distinctos; actus, inquam, specie formalis distincti, & sub ea ratione, qua ab habitu attinguntur, conc. maj. ; specie materiali distincti, sub qua non attinguntur ab habitu, nego maj.: Et dist. min.: In Logica dantur actus specie formalis distincti comparativè ad habitum, neg. min. ; specie materiali, & inter se, conc. min.: Ad cujus primam probationem, neg. ant. ; ad cujus prob., dist. maj. : Qui de diverso objecto formaliter diversam formaliter veritatem ostendunt, conc. maj.: qui de diverso objecto materiali, nego maj.; & sic distincta min., neg. conseq. *Ad alteram prob. negatur suppositum; quod scilicet ex puris regulis definiendi, & syllogizandi immediatè generentur*

(24)
Arist. 2.
Ethic. cap
I.
Vide Ser-
ver.hic à
num. 54.
Et Loffad
hic à n. 2

(25) 50—Cum ex dictis constet , (25) formalem rationem habitus esse latiorem, quam cujusvis actus rationem ; sit, ut actuales Logice demonstrationes non sint habitus generativæ præcisè , quia tales demonstrationes , sed in esse specifico demonstrationis ; cum sub ista ratione sint actus scientifici respectu habitus logicalis. Et ratio est : quia illæ non specificantur à definitione , & syllogismo in esse talis , ac talis artefacti, sic enim solùm materialiter, & in esse rei distinguuntur; sed specificantur ab illis , ut convenienter in una formalis ratione artefacti logici , seu modi sciendi; quo modo sunt unum formaliter , & in esse scibili ; ac proinde etiam demonstrationes sunt scientificæ in esse solùm demonstrationis logicae.

51—Accipe , si placet, inconcussa nostræ doctrina exempla: Licet album , & nigrum specie inter se differant ; quia tamen à potentia visiva sub ratione specifica colorati attinguntur, ea diversitas solùm de materiali importatur in objecto ad specificandam potentiam visivam : Licet homo , & leo specie distinguantur inter se; quia tamen à Physica respiciuntur sub ratione communi entis naturalis , illa differentia se habet de materiali in ratione formalis specificatitivâ habitus Physicæ ; neque demonstrationes, quibus illa proprietates hominis, & leonis demonstrat, plus quam materialiter in specie physica distinguntur. Idem parificari potest de veritate creata, & increata respectu habitus fidei. Pariter ergò in nostro casu.

(26) 52. Dices: (26) Definitio , & syllogismus formaliter differunt in esse objecti scibilis : Ergò pariter demonstrationes , circa talia objecta versantes. Prob. ant.: Quæ sunt formaliter diversa in esse demonstrabili, sunt formaliter diversa in esse scibili ; sed definitio,

nitio, & syllogismus sunt formaliter diversa in esse demonstrabili: Ergo. Prob. min.: Quæ demonstrantur per principia formaliter diversa, sunt formaliter diversa in esse demonstrabili, teste D. Thoma; (27) sed definitio, & syllogismus demonstrantur per principia formaliter diversa: Ergo. Prob. min.: Syllogismus demonstratur per hæc principia: *Quæ sunt eadem unitatio, sunt idem inter se: Dici de omni: Dici de nullo;* definitio verò per hoc, & alia: *Omnis explicatio debet esse clarior re explicata;* sed hæc principia sunt formaliter diversa: Ergo.

53 Prob. min.: Ea sunt principia formaliter diversa, quorum unum ex alio non derivatur, neque utrumque ex aliquo tertio; sed hoc verificatur de praedictis principiis, ut meditanti patebit: Ergo. Resp. 1.; negando ultimam minorem: quia omnia principia, deservientia ad demonstrandas passiones cujuscumque particularis modi sciendi, derivantur ex principiis, quibus demonstrari valent proprietates modi sciendi in communi. Quare principium illud: *Omnis explicatio debet esse clarior re explicata,* non est principium præcisè demonstrandi immediate proprietates definitionis; sed deservit ad demonstrandas proprietates modi sciendi in communi, & mediæ cujuscumque modi sciendi particularis, mediis aliis principiis ex illo derivatis. (28)

54 Resp. 2., dist. penultimam min.: Ea sunt principia formaliter diversa ex parte rationis *que* principiandi, conc. min.; ex parte rationis *sub qua* principiant, nego min., & conseq. Principia, quorum unum non derivatur ex alio, neque utrumque ex uno tertio, si principiant, ut determinata per eandem rationem *sub qua*, sunt diversa formaliter ex parte rationis *que*, seu collatione facta inter ipsa principia; non tamen

(27)

D. Thom:
1. post lect
41. Et 1.
2.q. 54. a.
2.ad 2.

(28)

Vide, que
diximus
sup.n. 30.

256 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logice.
ex parte rationis sub quā : Cum autem illa principia
Logicæ determinentur ad principiandum per eandem
rationem sub qua Logicæ, quæ est abstractio negativa
ab omni materia propter imperfectionem ; inde est,
quod omnia Logicæ artefacta demonstrantur per ea-
dem principia formalia , saltem ex parte rationis sub
quā, ad quam specificatio scientiarum attendit.

(29)
P. Loffad.
hic à num
x 3.

55 Inst. : (29) Ratio sub quā cuiusvis scientiæ ha-
bet unitatem formalem specificam ab immaterialita-
te principiorum , eorumque unitate , juxta dicta num.
8. : Ergo nequeunt principia formalem habere uni-
tatem à ratione sub quā ; alias daretur mutua causalita-
tas in eodem genere determinativo. Conf. : Sub eadem
abstractione à materia sensibili dantur diversa genera
scibilium Mathematicæ , Geometriæ , & Arithmeticæ ,
ut nemo negat ; sed istæ scientiæ habent diversa om-
nino principia formalia : Ergo. Maj. patet ex D. Tho-
mà, docente: (30) Aliud genus scibilium est corpus na-
turale , & aliud Mathematicum :: & utrumque horum
distinguuntur in diversas species scibilium.

(30)
D. Thom.
I. poster.
lect. 41.

56 Resp. ad inst. , nego conseq. : Neque ejus pro-
batio obstat ; quia non repugnat mutua causalitas in
diverso genere causæ : principia autem determinant
abstractionem à materia in genere cause efficientis ;
sunt enim comprincipia intellectus ad causandam ab-
stractionem scientificam : abstractio autem principia
determinat in genere causæ formalis extrinsecæ , &
specificativæ ; in quo nullum est inconveniens ; sicut
non est inconveniens in eo , quod potentia effectivæ
causet actum , & actus potentiam causet in genere
causæ specificativæ extrinsecæ . Ad Conf. ; dist. maj. :
Sub eadem abstractione non determinata effectivè ,
concedo ; effectivè determinata per specialia aliquius
scientiæ principia , neg. maj. (31) Ex quibus patet sen-
sus

(31)
Vide Coll.
Rip. tom.
3.lib. 1.de
anim.dub
6.conf. 4.
à num. 45
usq. ad n.
§4.

Art.VI. Vtrum Logica sit simplex qualitas? 257
sus D. Thomæ; solum enim vult, corpus Mathematicum, & naturale dividi in diversas species scibilium sub diversis rationibus, & per diversa principia.

57 *Replacabitis*: Abstractio negativa ab omni materia ob imperfectionem, etiam determinata per principia demonstrandi, relinquit locum, ut Logica agat de definitione, ut distincta à syllogismo, cum alias, & alias de illis proprietates demonstret: Ergo relinquit syllogismum, & definitionem formaliter specificè distincta. *Resp.*, dist. ant.: *Li ut reduplicante rationem motivam Logicæ, neg. ant.; li ut reduplicante rationem terminativam, conc. ant., & neg. conseq.* Sicut potentia visiva attingit colorem album, ut à nigro distinctum, distinctione se habente de ratione materiali terminativa, sub ratione tamen motiva colorati; ita Logica agit de definitione, ut distincta à syllogismo sub ratione motiva modi sciendi; distinctione se habente de materiali, & terminative.

58 *ARGVES* 3.: Productio habitu per primam demonstrationem circa definitionem, producitur novus habitus per secundam erga syllogismum: Ergo in Logicā dantur plures habitus. *Prob. ant.*: *Tum; quia secunda demonstratio est ejusdem activitatis, ac prima: Tum etiam; quia nova actio; qualis est secunda demonstratio, novum terminum habere debet: Ergo.* *Resp.*, neg. ant.; ad primam prob. dist. ant.: *Eiusdem activitatis, quoad sufficientiam, & in actu primo, concedo ant.; quoad efficaciam, & in actu secundo, subdist.*: *Si non inveniat habitum productum, conc. ant.; si illum inveniat productum, neg. ant., & conseq.*

59 Sicut verba consecrationis secundò prolata super eamđe hostiam sunt ejusdem activitatis in actu primo, ac primò prolata; & nihilominus Sacramentum non conficiunt, quia jam inveniunt perfectum: ita

258 Liber I. Quest. I. de Natura, & propriet. Logice.
secunda demonstratio habitum non causat, quia jam
invenit causatum. Idem applicari potest secundae notitiae
ejusdem rei, quae nihil de novo ingerit intellectui; li-
cet ejusdem sit activitatis, ac prima. Ad 2.e iusdem ant.
prob. dist. ant.: Novum terminum, vel quoad entitatem,
vel quoad perfectionem, conc. ant.; praeceps quoad en-
titatem, neg. ant. Sicut secunda circa definitionem
demonstratio non producit novum terminum, suppo-
sitam primam demonstrationem circa ipsam: ita secunda
demonstratio erga syllogismum, suppositam primam er-
ga definitionem, non producit novum habitum, sed
perficit praexistentem; ut clare nos docuit Doctor
Angel. (32)

(32)
Vide Ang.
Doct. ubi
supn. 28.

60 Dices: Habitus productus per primam de-
monstrationem circa definitionem, nequit extendi ad syl-
logismum: Ergo per secundam demonstrationem er-
ga syllogismum producitur novus habitus in actu se-
cundo. Prob. ant. Demonstratio erga definitionem
non extenditur ad syllogismum: Ergo. Prob. conseq.
1.: Demonstratio nequit habitum causare circa ob-
jectum, quod ipsa non attingit; alias eodem jure posset
causare habitum, ad omnium scientiarum objecta se
extendentem: Ergo. Prob. 2. eadem conseq.: Impli-
cat, causam minoris virtutis effectum majoris effica-
ciae producere: Ergo, si demonstratio erga definitio-
nem, solum ad illam extenditur, nequit habitus ex
ea genitus ultra illam extendi: *Nemo enim dat, quod
non habet.*

61 Resp., neg. ant.; ad prob., neg. conseq.; ad
primam hujus probationem, dist. ant.: Erga ob-
jectum, quod demonstratio non attingit, neque cadens
sub eadem ratione formalis habitus, sub qua cadit ob-
jectum per ipsam attractum, conc. ant.; cadens tamen
sub eadem habitus ratione, sub qua cadit objectum
per

per demonstrationem attactum; neg. ant., & conseq. Objecta omnium scientiarum non cadunt sub eadem ratione formalis alicujus habitus, ideo nequit demonstratio erga ea omnia objecta habitum producere; producit autem erga omnia Logicæ objecta, quia omnia cadunt sub ratione formalis modi sciendi.

Ad 2. prob., neg. conseq.; quia non sola demonstratio est habitus causa, sed ipsa cum intellectu, qui majoris est extensionis, quam habitus. Vide doctrinam hujus solutionis num. 18. & 19. (33)

62 *Instab. 1.* Licet objecta omnia cadant sub eadem ratione formalis, habitus productus per primam demonstrationem non est idem producibilis per secundam: Ergo per secundam est producibilis novus habitus. *Prob. ant.*: Idem effectus nequit divisivè, & in actu primo à duplice causa produci: Ergo. *Secundò*: Omnes virtutes intellectuales attingunt omnia sua objecta sub unica ratione formalis veri: *Pariter* omnes actus Logicæ sua objecta sub ratione logici artefacti; sed neque virtutes intellectuales, neque actus Logicæ sunt aliquid simplex: Ergo. *Tertiò*: Licet intellectus sua attingat objecta sub unica ratione veri, sub se plures continet habitus, attingentes ipsum verum sub diversis rationibus formalibus: Ergo pariter.

63 *Ad 1. instant. resp.*, dist. ant.: Idem effectus numero, conc. ant.; idem specie, subdist.: Nequit ex insufficientia causæ, neg. ant.; ex incapacitate subjecti, in quo est producendus, conc. ant., & nego conseq. Secunda demonstratio non habet virtutem ad producendum eundem numero habitum productum, aut producibilem per primam; bene verò eundem specie, & diversum numero; quem tamen non producit ob intellectus incapacitatem: quia in sententia D. Tho-

(33)

Vide aliā
solutionem
ap. Palanc.
hic an. 17.

260 Liber I. Quest. I. de Natura, & propriet. Logice:
mæ duo accidentia solo numero distincta nequeunt
esse in eodem subiecto. Nota hic, Logicam esse unam
specificè in omnibus subjectis, non verò unam nume-
ricè: at verò in eodem subiecto nequit esse multiplex
numero; non ratione formalis objecti simplicitatis,
sed ratione incapacitatis subjecti.

64 Ad 2. instantiam, dist. maj. quoad utramque
partem: Sub unica ratione formalis generica, conced.
maj.; specificà, neg. maj.; & concessà min., neg. con-
seq. Ratio veri ad virtutes intellectuales, & ratio ar-
tefacti, seu modi sciendi ad actus logicos sunt generi-
cæ; ratio verò modi sciendi est specifica ad habitum
logicalem. Et ratio est: Quia, cum potentia sit supe-
rior habitu, & habitus superior actu; ratio formalis
specificæ potentiae est generica respectu habitus, & ra-
tio specifica habitus est generica respectu actus; & è
contrà ratio formalis actus se habet de materiali re-
spectu habitus, & ratio formalis habitus est de mate-
riali respectu potentiae: Cum ergò ratio veri sit ratio
specificæ intellectu, debet esse generica ad virtutes
intellectuales: Et ratio modi sciendi, cum sit specifi-
ca ad habitum, est ad actus generica.

65 Inde jam intelliges: Rationem definitionis, di-
visionis, & syllogismi esse rationes formales diversas
respectu demonstrationum in esse talium, non verò
respectu habitus; sed ad istum de materiali tantum se
habere, impertinenterque ad ipsum specificandum,
vel multiplicandum. Ad 3. inst., nego conseq.: quia
intellectus, cum sit potentia, est superioris ordinis ad
habitum; consequenter plures sub se potest habitus
habere, cum illius ratio specifica sit ad istos generica:
at verò habitus non est superior ad habitum, sed ad
actum; unde solùm valet sub se plures actus, non au-
tem plures habitus, continere.

Repli-

66 Replicab. contra hanc solut. : (34) Justitia est habitus; sed continet sub se plures habitus scilicet Justitiae Distributivae, Commutativae, & Legalis: Ergo, licet Logica sit habitus, potest sub se plures habitus inferiores continere. Idem confirmari potest in habitu Temperantiae, sub se habitus Sobrietatis, & Abstinentiae continente. *Resp.*, concessio utroque antecedenti, instantiae scilicet, & confirmationis, neg. conseq. Ratio discriminis est: Quia Justitia, & Temperantia sunt virtutes morales; Logica vero est virtus intellectualis: Inter virtutes autem intellectuales, & morales hoc interest discrimen; quod Morales habent pro ratione formalis *sub qua* honestatem, quae, cum sit materialior abstractione a materia, quae est ratio *sub qua* scientiarum omnium, pendet a particularibus formalitatibus, ut specificè multiplicetur.

67 Propterea honestas Temperantiae est divisibilis, tamquam in species formales, in honestatem Abstinentiae, & Sobrietatis; idemque sentiendum de honestate justitiae. Ceterum abstractio a materia non aliis gaudet, quam tribus divisionibus *num.* 6. recensitis: Subdivisiones autem eas habere potest, quae cuilibet ex illis membris ex determinatione per diversa principia formalia valent convenire. Cumque abstractio negativa ab omni materia ratione imperfectionis non possit per diversa principia formalia a Logica determinari, ut constat; (35) ideo Logica sub se non potest alios inferiores habitus habere.

68 Si adhuc ins'es: actum esse specificativum habitus: Ergo potest, & debet æquè, ac habitus, extendi. *Resp.*; actum in ratione actus tantum esse habitus specificativum; quo modo æquè, ac habitum, extenditur: in ratione vero talis actus non esse specificativum, sed determinativum habitus; & hoc modo ha-

(34)
P. Loffada
bīc n. 8.

(35)
Vide quæ
dixim. n.
30. & nū.
53. & 54.

bitus

12

(36) Vide Coll. Rip. tom. 3. conf. 3. n. 33. in lib. 1. de Anima. bitus latitudinem non attingit. (36) Eadem doctrina applicanda est habitui respectu potentiae. Ut alia faci- le solvantur, plurima sunt notanda. Primo : D. Thomam non probare habitus simplicitatem praecisè, quia est perfectio potentiae, sed quia cum illa propria- natur in attingentiâ objectorum partialium sub eâdem ratione formalis respectivè. (37)

(37) Vide Pal. bïc num. ultimo. 69— Secundo, notandum est; quod quando Divus Thomas ait, habitum ratione sui non habere indivisi- bilitatem, loquitur de indivisibilitate extensiva, quam habet ratione objectorum materialium, ad quae se extendit; intensivam vero habet ratione suæ rationis formalis. Tertio: quando idem S. Doct. ait, scien- tiam augeri, loquitur pariter de augmento extensi- vo; non de intensivo. Denique notandum; D. Bonaventuram, tribuentem Logicæ, (38) unitatem tantum genericam, loqui, seu intelligi de Logicâ, ut com-

D. Bonav. in 4. dist. 14. art. 2. apud Ser. veram. prehendente partem Topicam, & Sophisticam: Vel, si mavis, de Logica præscindente à pure artificiosa, & scientifica, juxta dicta num. 38. fuisse loquutum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Logica sit simpliciter necessaria ad alias Scientias acquirendas?

Dupliciter potest aliquid ad aliquem finem esse necessarium, *simpliciter*, & *secun- dum quid*. Simpliciter necessarium illud est, sine quo, naturæ saltem viribus, finis consequi non potest; v. gr. hominis respiratio ad vitam conservandam. Neces- sarium secundum *quid* est illud, sine quo finis absolute potest obtineri; non tamen sine aliqua difficultate, adeoque commodius cum illo, quam sine illo haberet

potest; sic equis est secundum quid necessarius ad longum iter agendum. Querimus itaque, quia necessitate Logica artificialis (naturalis enim, cum sit ipsum intellectus acumen, est procùl dubio simpliciter requisita) ad alias scientias capessendas sit necessaria?

2. *Enim* verò Scientiæ considerari possunt, vel in statu imperfecto, seu incompleto; quando scilicet unam, vel alteram ex propriis conclusionibus attingit; vel in statu perfecto, & completo; quando nempe omnes, vel plures ex demonstrationibus acquiruntur. In statu autem perfecto potest Scientia usurpari, quoad esse substantiale, vel accidentale. Scientia perfecta, quoad esse substantiale, est habitus facilitans ad omnes, aut plures conclusiones in ipsa contentas; at non ita, ut intellectus facile ipsas valeat à contrariis argumentis vindicare. Scientia perfecta, quoad esse accidentale, est habitus, plures, aut omnes conclusiones demonstrans, facilitansque intellectum, ut ipsas à contrariorum argumentis valeat liberare. Ad ultimum statum Logicam esse simpliciter necessariam, supponimus: Vtrum ad alios, inquirimus.

Prima Conclusio.

3. *DICIMVS* 1.: Logicam non esse ad alias Scientias acquirendas in statu imperfecto simpliciter necessariam. Dicimus *simpliciter*; namque, necessariam esse secundum quid, dubitavit nemo. Conclusio nostra expresse colligitur ex D. Thomâ, (1) dicente: *In est unicuique homini quoddam principium Scientiæ, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim à principio naturaliter quædam universalia principia omnium Scientiarum: Cum autem aliquis hujusmodi, universalia principia applicat ad aliqua particularia,*

(1)
D. Thom.
I. p. q. 117.
art. 1.

quo-

quorum memoriam, & experimentum per sensus accipit;
per inventionem propriam acquirit Scientiam eorum,
(2) quæ nesciebat, ex notis ad ignota procedens. Et alibi: (2)
D. Thom.
9. Metaph
lect. 9.

Potest homo aliqualiter exire in Scientia, & virtutis
actum ante, quam habeat habitum Scientiae, & vir-
tutis.

4 PROB. 1. *Conclusio*: Scientia in statu imperfecto
est scientia unius, vel alterius conclusionis; sed hujus-
modi Scientia sine Logica haberi potest: Ergo. Prob.
min.: Qui cognoscit evidenter conclusionem vi præ-
missarum, illam inferentium, habet Scientiam illius
conclusionis; sed potest intellectus sine Logica artifi-
ciali cognoscere evidenter aliquam ex conclusionibus
unius Scientiae vi præmissarum, illam inferentium:
Ergo. Major patet; quia illa cognitio, cum sit evidens,
nequit esse Fides, quæ obscura est; neque Opinio, quæ
est cum erroris formidine; cum sit vi præmissarum,
nequit esse Lumen principiorum, quod veritates per se
notas in se ipsis cognoscit.

5 *Prob. min.*: Quilibet intellectus solo nativo lu-
mine cognoscit, has præmissas esse veras: *Omne totum*
est majus suā parte; *sed corpus est totum, & brachium*
est pars; easque esse connexas cum hac conclusione:
Ergo corpus est majus brachio: Ergo evidenter cognoscit
hanc conclusionem, &c. Ant., quoad primam par-
tem, patet: Ea enim: *Omne totum est majus suā par-*
te, est principium per se notum; illa vero: *Corpus est*
majus brachio, oculis ipsis evidenter percipitur. Quoad
secundam partem, scilicet intellectum cognoscere,
eas esse cum conclusione connexas, prob. 1.: Intellec-
tus solo nativo lumine cognoscit ea principia: *Dici de*
omni: *Dici de aliquo*: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt idem*
inter se; *sed ex primo infertur*, dici debere de hoc toto,
nempe corpore, quod de omni toto assertur, nempe
elle

esse majus parte; & ex secundo colligitur, majoritatem corporis esse connexam cum minoritate brachii, eo quod connectantur cum esse totius, & esse partis: Ergò.

6 — Prob. 2. idem ant. quoad 2. partem: Intellectus evidenter cognoscit, veras esse illas præmissas, esseque inter se connexas, idque sine Logica artificiali: Ergò cognoscit evidenter, ex illis optimè inferri conclusionem. Prob. conseq.: Sola evidentia convincit intellectum, ipsumque necessitat ad assensum alicuius veritatis; sed ex vi assensùs illarum præmissarum intellectus necessitatur ad conclusionis assensum: Ergò. Conf. Passim videmus, Logicæ ignaros, solo naturali rationis lumine ductos, evidentes contexere demonstraciones, illisq; firmissimè adhærere; imò quotidiè juvenes, qui nè Logicæ quidem vestibulum attigerunt, Mathematicas aggrediuntur disciplinas, evidentesque acquirent in Geometriâ, & Arithmeticâ demonstrationes, quibus omnino firmiter adhærent: Ergò.

7 Respondent Contrarii Thomistæ, (3) posse intellectum sine Logicâ artificiali cognoscere conclusionis veritatem evidenter, exercitè, & directè; non verò reflexè, & signatè. Prima cognitio est cognitio veritatis præmissarum, & connexionis earū cū conclusione absq; attentione reflexâ ad regulas Logicæ observandas; haec autem cognitio non est sufficiens ad formalem, & scientificam demonstrationem, sed ad sumimum materiale attingit: Secunda est cognitio veritatis, & connexionis præmissarum cum conclusione cum attentione ad regulas Logicæ, & ad modum, & figuram, in quibus sit construenda demonstratio.

8 Impugnat 1. solutio: Ad substantialem scientiæ rationem non requiritur cognitio reflexa de recta dispositione demonstrationis in recto modo, & figura;

(3)
Coll. Rip.
dub. 10.
conf. 4. à
n. 58. Mag
Irrib. lib.
1. q. 1. ar.
4. arg. 2.
§. Dices.

Ergò. Prob. ant. : Per hoc præcisè , quòd intellectus, cognitis evidenter præmissis , inferat evidenter conclusionem, omni reflexione seclusa, cognoscit formaliter scientificè conclusionem: Ergò. Prob. ant. : In occasu cognoscit intellectus conclusionem ex præmissis, cognoscendo simul , eas non posse ex illis non inferri; sed hoc ipso cognoscit formaliter scientificè conclusionem, omni reflexione seclusa : Ergò. Major patet; nam tunc casùs veritas præmissarum , earumque conexio intellectum necessitat ad conclusionis assensum, ut diximus suprà num. 6. & alibi ex professò constabit.

(4)
Ap. D. Thō
I. poët. c. 2

9. Prob. min. : Scientia formaliter talis est : *Cognitio rei per causam , & quòd illius est causa , & quòd res aliter se habere non potest*, ut ex Arist. (4) docent omnes; sed, qui cognoscit conclusionem ex præmissis, ita, ut rem aliter se habere non posse, noscat ; cognoscit rem per causam , & quòd illius est causa, & quòd aliter se habere non potest : Ergò. Min. patet ; quia veritas conclusionis comparatur , ut effectus , ad veritatem præmissarum, ut causam. *Vrgetur*: Intellectus sine Logica evidenter cognoscit , se judicare verum, dum asserit : *Omnis homo est rationalis* : Ergò etiam cognoscit evidenter sine Logica , se rectè inferre verum , dum ait : *Omnis homo est rationalis* : Ergò est risibilis ; quia non minus est naturaliter discursivus, quam judicatus. *Nunc sic* : Ergò discursus ille , seclusa logica reflexione , est formaliter demonstratio , cum nihil ei desit, ut scientiam causet: Ergò.

— 10 — *Impugnatur* 2. Qui cognoscit conclusionem, ut infallibiliter illatam ex præmissis veris , & evidentiibus, eam cognoscit formaliter scientificè ; sed modo dicto cognosci potest sine logica reflexione: Ergò. Prob min. : Qui cognoscit evidenter , non posse præmissas esse

esse veras, quin sit vera conclusio, cognoscit conclusionem, ut infallibiliter illatam ex præmissis; sed potest quis cognoscere, non posse præmissas esse veras, quin sit vera conclusio, sine reflexione logica: Ergò. Prob. min.: Præmissas esse veras est, extremitates identificari cum medio, & conclusionem esse veram, est eas identificari inter se; sed absque ulla logicâ reflexione potest quis cognoscere, non posse extremitates identificari cum medio, quin identificantur inter se, ut patet ex illo principio lumine naturali noto: *Quæ sunt eadem unius tertio, &c.*: Ergò.

1 1—*Impugnatur 3.* : Vel reflexa cognitio supponit, discursum directum esse formaliter scientificum; vel illum constituit formaliter in esse talis? *Si primum:* Ergò discursus directus est formaliter demonstratio, & actus scientificus ante illam reflexionem. *Si secundum:* Ergò omnis discursus, quatenus demonstrativus formaliter, includit actum Logicæ artificialis; consequenter demonstratio physica ex se non erit formaliter talis, neque Physicæ habitus, à quo directè provenit, erit secundum se formaliter scientia; quod absurdum est. *Conf.* : Hic discursus: *Omne rationale est risibile; sed omnis homo est rationalis:* Ergò omnis homo est risibilis, non dependet in sua formalis evidentiâ à prætensiâ reflexione: Ergò. Prob. ant.: Evidentia præmissarum, utpote physica, solum pendet à principiis physicis; sed bonitas consequentiarum, cum sit naturalis earum cum conclusione connexio, etiam est physica: Ergò non pendet à logica reflexione.

1 2 *Aliiter respondent alii Thomistæ ad principale argumentum, (5) afferentes cognitionem præmissarum, & consequentiarum, sine Logica, posse evidentem esse Colleg. Rip. evidentiâ experimentali, desumptâ ex particulari ea- ubi sup. à rum cognitione, & quoad sensum apparentiâ; non num. 63.*

verò evidentiā scientificā; quia ad istam exigitur, causam conclusionis in universali cognoscere, quam sciat usque ad prima principia resolvere; quod fieri non potest sine Logicā. *Contra* i. : Cognitio experimentalis versatur circa singulare; scientifica verò circa universale; sed illa cognitio, dicens: *Ergò corpus est maius bracchio*, est universalis, fundata quippè in illo principio: *Omne totum est maius sua parte*: Ergò.

13—*Contra* 3.: Intellectus tantum expertus solum cognoscit rem ita esse; intellectus autem *sciens*, cognoscit causam, ob quam res ita sit; sed intellectus, formans sine logica reflexione syllogismum positum numer. ii. deducit hanc conclusionem universalem: *Ergo omnis homo est risibilis*, cognoscitque cur homo sit risibilis, scilicet, quia est rationalis, ut præmissæ denotant: Ergò. *Nec dicas*, requiri evidentiam scientificam, nedum de objecto, sed etiam de formâ syllogistica. *Contra*: *Quia sine illâ reflexione, qui dictum format syllogismum, cognoscit, quid res aliter se habere non potest*: Ergò. *Prob. ant.*: *Quid res aliter se habere non possit, non pendet à forma syllogistica, sed ab ipsa veritate objecti, ut evidens est*: Ergò. *Addo*, reflexionem requisitam ad demonstrationem satis salvari per attentionem ad Logicam naturalem, quin requiratur artificialis.

14—*Contra* 3.: Juxta D. Thomam (6) loco à Contrariis allegato, ille habet scientiam, qui potest docere, per causas demonstrando, potestque conclusionem in sua principia resolvere; sed utrumque fieri potest sine Logica artificiali: Ergò. *Prob. min.*, quoad primam partem: *Qui facit demonstrationem positam num. ii.*, demonstrat risibilitatem per rationalitatem, quæ illius est causa: Ergò potest docere per causam. *Prob. nūc ipsa min. quoad secundā partē*: *Eius est resol-*

¹⁶⁾
D. Thom.
I. Meta-
phys. lec. I.
apud Rip.
ubi supr.

vere conclusionem in sua principia, cuius est, conclusionem ex illis principiis inferre; sed juxta D. Thomam (7) cognoscuntur à principio naturaliter quædam universalia principia omnium scientiarum, quædum quis applicat, propriam acquirit scientiam: Ergo potest naturaliter ipsam scientiam in illa principia resolvere.

(7)
D. Thom.
I.p.q. 117
art. 1.Vi-
de num. 3.

15 — PROB. 2. Conclusio: Possunt fieri formales demonstrationes sine Logicâ artificiali: Ergo hæc non est necessaria simpliciter ad scientias acquirendas. Prob. ant.: Prius fuit, fieri formales demonstrationes, quam inveniretur Ars syllogistica: Ergo. Prob. ant. 1.: Sapientes Aristotele antiquiores elicuerunt veras, & formales demonstrationes; sed apud ipsos inusitata erat Ars syllogistica: Ergo. Minor patet, Aristoteles enim fuit hujus Artis inventor, vel saltem restaurator, adeoque apud veteres non extant syllogisticæ Artis præcepta, teste ipso Aristotele, (8) dicente: *De Rhetoricis* quidem erant multa, & antiqua dicta; de syllogismis autem omnino nihil habuimus priùs quicquam, quod diceremus, quam quod exercitationi huic propositæ multo tempore insudaverimus.

(8)
Aristot. 22
Elech. cap.
ultimo.

16 — Prob. 2. idem ant.: Ex eo homines statuerunt Arrem, & methodum syllogizandi, quod experti sunt, aliquos syllogismos esse rectos, alias fallaces, aliosque probabiles: Ergo. Prob. ant.: Omnes artes inventæ sunt per particulares experientias, & observationes, ex quibus potuerunt deduci universales regulæ: Ergo. Ant. patet, eò enim dici consuevit: *Experientia Mater est, & Magistra omnium scientiarum.* Tum etiam; quia quælibet ars quotidie ex novis experientiis perficitur, ut patet in Musica. Conf.: Prima Logicæ demonstratio fit ab intellectu absque Logicæ artificialis directione: Ergo pariter; facilior enim est alia-

270 Liber I. Quæst. I. de Natura, & Propriet. Logicæ.
rum scientiarum materia , cui naturale lumen de-
monstrandi applicetur , quām materia Logicæ. Ne-
que est necessarium , eam demonstrationem habere
pro objecto syllogismum ; cum possit respicere defi-
nitionem. 19)

(9)

Vide Pal.

bic à n. 12

Loffa. dis.

I. cap. 7. n.

I 5. & 16

(10)

Coll. Cōp.

disp. 1. q. 7

Lince 2. p.

lib. 1. q. 1.

ar. 10. &

alii apud

Serv. disp.

I. c. 8. num

79.

(11)

Vide sup.

n. 4. & 5.

Secunda Conclusio.

17 DICIMVS 2. : Logicam non esse simpliciter
necessariam ad alias scientias in statu substantiali per-
fecto acquirendas. Conclusio nostra adversus eos (10)
militat , qui nobiscum sentientes , Logicam ad imper-
fectum scientiarum statum non esse simpliciter neces-
sariam , ad perfectam earumdem possessionem indi-
spensabilem propugnant. Prob. Conclusio : Logica non
est simpliciter necessaria , ut unius , vel alterius con-
clusionis scientia comparetur : Ergò neque requiri-
tur necessariό , ut plurium scientia acquiratur. Con-
seq. liquet ; æquè enim sunt faciles conclusiones om-
nes ex parte formæ , ad quām Logica deservit ; licet
non ex parte materiæ , ad quam nihil conductit.

18 PROB. 2. Conclusio : Potest intellectus sine
Logicâ comparare cujusvis scientiæ conclusiones ex
primis principiis immediatè deductas , ut ex primis
conclusionis probatione constat : (11) Ergò etiam re-
motas , & mediatas. Prob. conseq. : Ideo ex primis
principiis sine Logicâ immediatas conclusiones valent
deducere , quia prima principia sunt illi sine Logicâ
evidenter nota ; sed conclusiones , jam primò illatae
sine Logica , sunt etiam illi evidenter notæ : Ergò ex
his potest nativo lumine alias remotiores inferre , & ex
his alias , cum eadem sit omnium ratio.

19 Explicatur bæc ratio : Sicut corpus , operando,
deficit ; ita spiritus , operando , proficit : Ergò intelle-
ctus per unius , vel alterius conclusionis acquisitionem

roboratur, & perficitur; ut aliarum conclusionum scientiam acquirat: non secūs, ac partæ per negotiatio- nem divitiae ad aliarum juvant acquisitionem. Ex qui- bus patet, infirmam, breve conscientem iter, longius non posse confidere; & puerum, lac suggentem, panem non posse comedere; scientem verò aliquas conclusiones, posse aliarum scientiam acquirere: quia brevis itineris cōfēctio potius impedit, quam expediāt ad longius peragendum; & lactis potus neutiquam ad panis comedionem juvat; juvat autem unius conclu- sionis notitia ad aliarum acquisitionem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

20

ARGVES 1. contra primam Conclusionem: Scientia, etiam in statu imperfecto, est habitus per demonstrationem acquisitus; sed sine Logica artificiali fieri nequit demonstratio: Ergo. Prob. min. : Nequit fieri demonstratio, nisi ab eo, qui scit, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio; sed hoc nemo novit absque Logicâ artificiali: Ergo. Resp., dist. maj. probat. : Nisi ab eo, qui, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio, scit præcisè signatè, & reflexè, nego. maj. : Nisi ab eo, qui scit saltem exercitè, & directè, concedo majorem; & dist. min., nego conseq.

21 *Scire*, signatè, & reflexè quomodo, & ex qui- bus sit facienda demonstratio, est scire præcepta de- monstrandi per actum prævium, & antecedentem ipsum actum, quo directè, & in exercitio demonstra- mus; & cum attentione ad directionem primi actus secundum efficere: id autem non requiritur ad con- ficiendam veram demonstrationem; ut patet in prima Logicæ demonstratione, quæ sine prævia demonstrandī direc-

272 Liber I. Quest. I. de Natura, & Propriet. Logice:
directione conficitur. Scire directè, & exercitè, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio, est intellectum in ipso exercitio demonstrandi advertere connexionem præmissarum cum conclusione, idque fieri, duce ipso principio lumine naturali noto: Quæ sunt eadem uni tertio, &c.: Et is secundus sciendi modus sufficit ad demonstrationem.

(12)
Coll. Rip.
lib. 4. dub.
2. d. n. 7.

22 Dices contra solutionem: (12) Qui non scit reflexè, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio, tantum materialiter demonstrat; sed hoc ad scientiam non sufficit: Ergò. Prob. maj. 1.: Qui dicto modo demonstrationem efficit; demonstrat, ignorando, quomodo, & ex quibus debeat demonstratio fieri; sed hoc est materialiter tantum demonstrare: Ergò. Prob. 2. eadem maj.: Qui nesciens reflexè, se dicere verum, verum dicit; materialiter tantum dicit verum: Ergò à pari. Idem fit argumentum de eo, qui dicit mendacium, nesciens reflexè, se dicere mendacium; qui, materialiter tantum mentiri, dicuntur.

23 Resp., neg. maj.: Ad 1. prob., dist. maj.: Nesciendo signatè, & per reflexam comparationem ad regulas Logicæ, conc. maj.; nesciendo exercitè, & per attentionem ad prima principia lumine naturali nota, & ad Logicam naturalem, neg. maj.; & dist. min., neg. conseq. Qui absq; reflexa ad artificiale Logicæ attentione demonstrat; et si careat scientiæ reflexæ de logico artificio, cum directa tamen attentione ad naturalia principia, & optimam advertens præmissarum, & conclusionis connexionem, evidentem construit demonstrationem, quæ necessariò de conclusionis veritate convincitur. Neque id est materialiter demonstrare; sicut esset, si absque illa attentione, & advertentia demonstraret.

Ad

24 Ad 2. : ejusdem maj. prob., dist. ant. : Qui nesciens, tam signatè, & reflexè, quām exercitè, & directè, se dicere verum, verum dicit, materialiter tantum dicit verum, conc. ant. ; qui nesciens signatè, & reflexè, sciens tamen exercitè, neg. ant., & conseq. Ad verum dicendum formaliter, neutiquam requiritur, loquentem reflexè attendere, in quo verum dicere constat, quidve requiratur, ut vera locutio salvetur ; sed sufficit, eum rem ita dicere, prout ipse sentit. Si autem rem veram diceret, contrarium sentiens ; utique materialiter tantum verum diceret. Ex quibus jam patet solutio ad argumentum de mendacio.

25 — Instab. : (13) Ad verum formaliter dicendum requiritur, loquentem, prout sentit, rem dicere ; advertens exercitè, id requiri, ut verum dicat ; sed hoc est reflexè scire, se dicere verum : Ergò ad formalem veritatem requiritur scientia reflexa proferentis. Maj. ex ipsa solutione constat. Min. prob. : Qui verum dicit cum advertentiâ de conformitate actùs cum objecto ad veritatem requisitâ, dicit verum ; sciens, & attendens causam veritatis formalis ; sed hoc est verum dicere, reflexè sciens, se dicere verum, ut per se patet : Ergò. Conf. : Petrus, loquens conformiter ad iudicium, ignorans tamen, aut dubitans, an conformetur objecto prout in re, non dicit formaliter verum, et si in re objecto conformetur ; sed hoc ideo est, quia non scit reflexè, se dicere verum : Ergò. Major patet; quia mentitur coram Deo.

26 — Ad inst. resp., concessà maj., neg. min. ; ad ejus prob. dist. maj. : Dicit verum, sciens, & attendens, scientiâ, & attentione exercitâ, conc. maj. scientiâ, & attentione signatâ, atque reflexâ, neg. maj. ; & sic dist. min., nego conseq. Si quis rem diceret, ut sen-

(13)
Coll. Rip.
lib. 4. dub.
9. num. 10.
& II.

274 Liber I. Quæst I. de Natura, & propriet. Logice.
tit, aliud dicere volens, aut non penetrans vim verborum, procul dubio verū diceret solum materialiter: Ceterū, qui rem dicit, prout sentit; intendens, rē prout in re est, exprimere, quālibet reflexione seclusā; verum formalissimè dicit. Ad Conf. resp., dist. maj.: Non dicit formaliter verum moraliter, & imputativè, conced. maj.; physicè, & in re, neg. maj. Sicut ille, qui accipit rem suam, dubitans vincibiliter, an sit aliena, solum moraliter, & imputativè furatur, non verò in re: ita, qui loquitur, ut sentit, dubitans de conformitate locutionis cum objecto, in re dicit formaliter verum, etsi ei imputetur in culpam, quod cum vin- cibili ignorantia operetur.

(14) + 27 ARGVES 2.: (14) Demonstratio, quā scientia Coll. Rip. acquiritur, est syllogismus faciens scire, & intellectum ubi sup. à de veritate convincens; sed hujusmodi demonstratio haberit nequit sine Logicā artificiali: Ergo. Prob. min. num. 12. Illa demonstratio facit scire, & intellectum de veritate convincit, de qua sciens valet rationem reddere, cur ab illa discat, & convincatur; sed absque artificiali Logicā nequit intellectus hujusmodi rationem reddere: Ergo. Resp., dist. ultimam min.: Nequit rationem reddere signatè, & per reflexionem ad regulas demonstrandi, concedo min.; exercitè, & per directam attentionem ad Logicam naturalem, & prima principia, quā connexionem præmissarum cum conclusione planè cognoscit, neg. min. & conseq.

28 Dices: Qui facit demonstrationem cum sola directa attentione ad prima principia, & Logicam naturalem, nequit ullo modo rationem reddere, cur ab illa discat, & convincatur: Ergo. Prob. ant.: Si interrogetur sic facienti demonstrationem, cur illa sic demonstratio, & quarè conclusio connectatur cum præmissis, nesciet abs dubio utriusque causam; cum id,

id, neque lumen naturale principiorum, neque Logica naturalis ostendat: Ergo. Resp.; illum responsum, non quidem per conformitatem ad regulas artificialis Logicæ, sed ad lumen naturale principiorum; videlicet, ideo connecti minoritatem brachii cum majoritate corporis, quia: *Omne totum est maior suæ parte.* Idem discurrendum est in quilibet alia demonstratione; quia in sunt nobis quædam semina scientiarum, ut ait D. Thomæ. (15)

29 *Instabis:* Demonstratio, quæ scientia acquiritur, debet fieri cum attentione ad demonstrandi regulas: Ergo non sufficit attentio ad lumen primorum principiorum. Prob. ant.: Demonstratio, quæ scientia acquiritur, debet esse formaliter artefactum; sed artefactum, ut ex terminis liquet, necessariè pendet à regulis artis: Ergo. Resp. dist. maj., probationis: Debet esse artefactum in actu primo, concedo maj.; in actu secundo, nego maj.; & sic dist. minor. neg. conseq. Artefactum in actu secundo est quid factum ex directione artis; id autem non requiritur præcisè in demonstratione, ut scientiam causet: Artefactum in actu primo est opus naturæ, servans regulas artis, & ab arte factibile; idque sufficit in demonstratione, ut scientiam generet.

30 *Replicab.:* Demonstratio, quæ scientia acquiritur, debet esse artefactum in actu secundo: Ergo ruit solutio. Prob. ant.: Demonstratio, quæ scientia acquiritur, debet esse in actu secundo scientifica: Ergo. Prob. ant.: Ea demonstratio debet esse opus scientificè factum, & non solum opus scientificum: Ergo. Conf.: Aristot. (16) ait: *Aliud est facere dialecticum, & aliud facere dialecticè.* Primum est, facere opus dialecticum: secundum est facere scienter: Ergo, nisi demonstratio fiat cum attentione ad demonstrandi re-

(15)

D. Thom.
ubi sup. n.
3. Vide n.
5. & 6.

(16)
Aristot. 2.
Phys. c. 4.

276 Liber I. Quest. I. de Natura, & propriet. Logice:
gulas, erit demonstratio artificiosa, & scientifica, sed
non artificiosè, & scientificè facta.

31 Ad replic. resp., neg. ant.; ad prob., dist. ant.
Debet esse in actu secundo scientifica *passivè*, & ne-
quòd, id est facta ab habitu scientifico, neg. ant.; *acti-
vè*, & ut quo, hoc est actus scientiam generans, conc.
ant., & neg. conseq. Ut scientiam demonstratio gene-
ret, sufficit, eam ita esse dispositam, ut inter præ-
missarum, & conclusionis objecta sit necessaria con-
nexio, idque ab intellectu exercitè cognosci: Non re-
quiritur, eam esse constructam, aut artis, aut scientia
alicujus directione, sed solo nativo principiorum lu-
mine. Ad Conf. resp., concessò ant.; neg. conseq.: Fa-
cere namque opus dialepticum est illud facere absque
attentione tam directà, quam reflexà: Facere illud
dialecticè est facere *scienter*, id est cum attentione sal-
tem exercitè, & directà, juxta sàpè repetita.

17) 32 Replicab. adhuc: (17) Ut demonstratio sit scien-
Coll. Rip. tifica, non sufficit cognosci objectivam præmissarum
lib. 4. dub. cum conclusione connexionem, sed ulterius requiri-
10. n. 18. tur reflexa cognitio de recta dispositione: Ergò debet
est scientifica passivè in actu secundo. Prob. antec.:
Dum Thomistæ suadent, rationem, qua D. Thomas
(18) probat: *Deum esse intellectivum, quia est imma-*
terialis, esse demonstrativam, non attingunt talem
D. Thom. D. Thomæ rationem demonstrativè, sed opinativè
1. p. q. 14. tantum, & probabiliter, cum oppositum, scilicet,
art. I. *eam non esse demonstrationem*, sit valdè probabile; sed
hoc ideo est; quia, licet ea ratio in re fortassè sit de-
monstratio, id tamen Thomistis non constat quo us-
que reflexè sciverint, eam esse regulis demonstrandi
conformem: Ergò.

33 Resp. ad replicam, neg. ant.; ad prob. neg.
causalem minoris: Ideo enim Thomistæ non proban-
scien-

scientificè, sed opinativè tantùm, rationem D. Thomæ esse veram demonstrationem, quia eis non certò, & evidenter constat, esse veram connexionem inter principia à D. Thomà assumpta, ejusque conclusionem; & si certò credant, à D. Thomà fuisse maximè, & Angelicà reflexione constructam. Nulli ergò Thomistarum dubium est, aut formido de rectâ observatione formæ syllogisticæ, sed solùm de connexione illa: Quia propter directa hujus attentio, & non illius reflexa cognitio, requiritur ad construendam scientificè demonstrationem.

34 ARGVES 3.: Non potest scientia per demonstrationem acquiri; quin ab acquirente bonitas consequentiæ cognoscatur; sed consequentiæ bonitas sine Logicâ artificiali cognosci nequit: Ergò. Prob. min.: Consequentia bonitas in conformitate cum regulis demonstrandi consistit; sed hæc conformitas cognosci non potest sine Logicâ artificiali: Ergò. Resp., nego min.; ad prob. dist. maj.: Bonitas essentialis consequentiæ, neg. mai.; bonitas accidentalis, concedo majorem; & sic dist. minor, nego consequentiam. Bonitas essentialis consequentiæ consistit in illatione, seu connexione præmissarum cum conclusione: hæc bonitas cognosci debet, ut acquiratur scientia; at si sine Logica cognosci potest. Bonitas accidentalis consistit quidem in conformitate cum regulis demonstrandi, quæ sine Logica haberri non potest; hujus tamen cognitio non est necessaria ad scientiarum acquisitionem.

35 Dices: Sine Logicâ nequit cognosci bonitas essentialis conseq.: Ergò. Prob. ant.: Bonitas essentialis consequentiæ est ipsa essentia consequentiæ; sed hæc cognosci non potest sine Logicâ: Ergò. Min. patet; quia essentia consequentiæ cognoscitur per definitio-

278 Liber I. Quæst. I. de Natura, & propriet. Logicæ.
nitionem, quæ à solâ Logicâ traditur. Resp. neg min.
probationis: Rerum enim essentiæ se habent veluti
prima principia, quæ ex se nota præsupponit quæ-
cumque scientia. *Vel*, si mavis, dist. illam min.: Co-
gnosci non potest signatè, & reflexè, con. min.; sic
enim cognoscitur per definitionem: exercitè, & di-
rectè, neg. min., & conseq. Solutio satis, superque
constat à numero 20. & sequentibus.

36 *Instabis*: Quod movet ad assensum exercitum
conclusionis, debet priùs cognosci signatè; sed boni-
tas essentialis consequentia movet ad exercitum con-
clusionis assensum: Ergò. *Conf.* : Consequentia est
effectus artificialis; sed effectus artificialis sit cum re-
flexione ad regulas artis: Ergò. *Ad inst. resp.*, dist.
maj.: Quod movet signatè, conc. maj.; quod mo-
vet exercitè, neg. maj. Sola enim veritas objectiva
præmissarum movet signatè ad conclusionis assensum
vi connexionis cum ipsa; et si in exercitio connexio
illa, seu consequentia moveat. *Ad Conf.* dist. mai.:
Consequentia specificativè sumpta, & ex primario
conceptu, neg. maj.; reduplicativè, & ex conceptu
secundario, conc. maj.; & sic distinctà min., nego
conseq.: Quælibet res priùs est res naturalis, quam
inducat formam artificiosam, ut patet in ligno re-
spectu formæ statuæ, vel scamni. (19)

(19)
Vide Pal.
tr. I. quest
14.n. 26.

37 *ARGVES* 4.: Assensus conclusionis debet esse
firmus, & evidens; sed sine Logicâ artificiali nequit
haberi assensus firmus, & evidens: Ergò. *Prob. min. 1.*
Assensus firmus, & evidens est ille, à quod subjectum
nequit facilè dimoveri; sed ignarus Logicæ facilè ab
assensu conclusionis dimoveri valet: Ergò. Min. pa-
ret; quia si ignaro Logicæ mediis fallaciis, & para-
logismis arguatur, facilè ab assensu demovetur; cum
illa nesciat dissolvere. *Prob. 2. prima min.*: Tunc in-
tel-

Intellectus habet firmum, & evidentem conclusionis assensum, cum scit conclusiones in sua principia resolvere; sed hoc facere non potest sine Logicā: Ergō.

Conf.: Qui nescit discernere inter veram demonstrationem, & paralogismum, non habet firmum conclusionis assensum; sed hoc Logicæ ignarus ignorat: Ergō.

38 *Ad argum. resp.*, neg. min.; ad primam prob. neg. min.: nec obstat subjuncta minoris probatio; quia quamvis ignarus Logicæ nesciat sophismata dissolvere, præbet nihilominus conclusioni firmissimum assensum, à quo nec paralogismis dimoveri valet: Si quando verò ab assensu recedat; id non contingit ex debilitate assensū, sed per accidens, ex indispositione subjecti: Sicut ignarus Theologiae Fidelis firmissimum præbet assensum articulis Fidei, licet hæreticorum sophismata nesciat refutare; quibus si quando convincatur, id minime probat, Fidelem illum verum Fidei assensum non habuisse; quia solum per accidens, & ex indispositione subjecti convincitur.

39 *Addē*: plurimos esse Logicæ peritissimos, qui proposita repente sophismata, nesciunt in promptu dissolvere, quin propterea à scientifico, ne probabili quidem, conclusionis assensu dimoveri, dicantur. Solum itaque probat argumentum, nequire scientiam in statu accidentalī sine Logicā comparari.

(20) *Ad 2. ejusdem min. prob.*, dist. mai.: Cum scit resolvere in sua principia, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ syllogisticae, conc. maj.; præcisè ex parte formæ syllogisticae, neg. maj. Primum fieri potest absque Logicā; licet non secundum: Quamvis enim intellectus Logicā non eruditus nesciat hanc conclusionem: Ergō corpus est majus brachio, in capia-

(20)
Vides supra
num. 2.

280 Liber I. Quæst. I. de Natura, & propriet. Logice.
principia, quibus Ars syllogistica fundatur, resolvere;
novit optimè illam resolvere in hoc principium: *Omne*

(21) *totum est majus sua parte;* & sic de aliis similibus. (21)
Vide suprà p. 5. & 14.

40 *Ad Conf. resp., dist. maj.:* Qui nescit exerci-
tè, & directè discernere inter veram demonstratio-
nem, & paralogismum, conc. maj.; Qui nescit signa-
tè, & reflexè, sciens tamen exercitè, neg. maj.; &
sic dist. min., nego consequent. Vt ab aliquibus au-

(22) thoritatibus facile te expediās, adverte 1.: (22) *Quod*
Vide Pal. ubi sup. n. nulla alia scientia docet docere directivè, nisi Logica; eademque sola, dirigendo, scientes facere potest: elicitivè tamen non Logica sola docet docere. *Adverte 2.:* Logicam, juxta D. Thomam, (23) esse necessariam, ut intellectus ordinatè, promptè, & sine errore procedat; secundum quid autem in statu substanciali Scientiæ, & simpliciter in statu accidentalī. *Si dicas,* (24) esse simpliciter necessarium in Scientiis sub quovis statu sine errore procedere. *Fateor* equidem: sed hæc necessitas non debet præcisè à Logicâ sublevari; cum sit possibilis lumine naturali sine errore processus.

(23) *D. Thom. 1. post. lect. 1.* (24) *Colle. Rip. lib. 4. dub. 10. a. n. 27* 41 ARGVES ultimè contra secundam conclusio-
nem: Vt scientia habeatur in statu perfecto, debet intellectus esse facilis ad demonstrandas objecti pas-
siones; sed hoc sine Logicâ fieri nequit: Ergò. *Conf.*: Licet poscit homo sine speciali auxilio unam, vel alteram tentationem vincere, non tamen omnes: Ergò licet unam, vel alteram conclusionem poscit ho-
mo sine Logicâ acquirere, non tamen omnes. *Ad ar-
gum. resp., dist. maj.:* Debet esse facilis facilitate elicitivà, seu in eliciendo, concedo maj.; directiva, seu comparativè ad regulas demonstrandi, neg. maj.

(25) *Vide Pal. ubi sup. n.* 41. & 45. *Ad Conf.:* dist. ant.: Non potest omnes potentia mo-
rali, concedo ant.; potentia physica; neg. ant.; & conseq. (25)

QVÆS-

QUÆSTIO II.

DE OBJECTO MATERIALI LOGICÆ.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Objectum in communione

1 **O**bjectum cujuscumque potentiae, seu habitus id est, quod habitui, seu potentiae objicitur; ex eo enim, quod objiciatur, Objectum dici consuevit: Propterea rem illam, quam potentia, vel habitus attingit, ejusdem potentiae, vel habitus objectum dices; v. gr. coloratum respectu potentiae visivæ, & corpus sanabile respectu Medicinæ. At vero, licet scientia Subjectum sit illud, de quo scientia proprietates demonstrat; Objectum vero ipsæmet demonstratæ proprietates; pro eodem usurpantur impræsentiarum, idemque intelligimus Subjectum, & Objectum scientiæ.

2 Primo dividitur Objectum in formale, & materiale. *Formale* est, quod per se, & ratione sui ab habitu, vel potentia est attingibile. *Materiale* est, quod, non ratione sui, sed meritis Objecti formalis, est attingibile. Exemplum habes in potentia visivâ, cuius formale Objectum est color; quia ratione sui est visibilis: paries autem, vel papyrus est Objectum materiale; cetero quod, non ratione sui, sed ratione coloris sit visibilis. Objectum formale alterum est *formale quod*, seu *ratio formalis que*; alterum *formale quo*, seu *ratio formalis sub quod*. Primum est, quod per se attingitur, & ratione sui, cum dependentia tamen ab al-

terius determinatione. Secundum est, quod ultimò aptat, seu determinat objectum formale *quod*, ut sit ab habitu proximè attingibile.

3 Ideo fit, ut Objectum formale *quod* potentiae visivæ sit color, qui ab ipsa ratione sui attingitur, sub lucis tamen determinatione: Formale verò *qua*, lux ipsa, quæ reddit colorem, ut videatur, ultimò capacem. Quapropter Objectum formale *quod*, si comparetur cum Objecto materiali, *Formale* dici solet; sed facta comparatione cum Objecto formalī *quo*, dici solet *Materiale*; quamvis in rei veritate utrumque sit

(1) formalissimum. (1) Rursus Objectum formale aliud
Vide Coll. est purè terminativum; aliud motivum, & terminativum simul. *Primum* est, quod terminat potentiam, vel
Rip.lib.4. habitus influxum; non tamen movet ad influendum.
dub.1.2.n
5. & seq. Secundum est, quod movens priùs potentiam, vel habitum ad agendum, ipsorum actionem subinde terminat; v.gr. Charitatis, qua proximum diligimus, objectum purè terminativum est proximus; objectum verò simul motivum, & terminativum est Deus: quia propter Deum proximum diligimus.

4 Jam Objectum materiale aliud est primarium, & simpliciter denominabile; aliud secundarium, & extrinsecè tantum dirigibile. *Primum* est, quod intrinsecè in se recipit objectum formale; v. gr. partes, & ligna respectu Artis domificatoriarum, quæ intrinsecè recipiunt formam domus. *Secundum* est, quod, cum formale objectum intrinsecè non recipiat, ad ejus tamen attingentiam aliqualiter conducit, vel attingitur dependenter ab illo; v. gr. actiones artificis, ad formam domus plurimum facientes; & virtutes morales, quæ à Theologia dependenter ab attingentia Essentiali Divina, quæ est objectum primarium, ut Objectum secundarium attinguntur.

Secun-

3 Secundò dividitur Objectum in Objectum Attributionis, & Attributum. Primum est illud, cuius cognitio principaliter intenditur, tamquam finis totius scientiæ, ad quem cætera objecta referuntur; v. gr. Divina Essentia, quæ est attributionis Objectum Theologiæ. Secundum est illud, quod ad Objectum attributionis ordinatur; v. gr. Divina Attributa, quæ à Theologia per ordinem ad Essentiam Divinam demonstrantur. Tertiò dividitur Objectum in Adequatum, & Inadæquatum. Adæquatum est totum illud, quod est per se attingibile ab habitu, vel potentia; v. gr. coloratum respectu potentiarum visivæ, & artefactum logicum respectu Logicæ. Inadæquatum est quælibet pars objecti adæquati; v. gr. album respectu visus, & definitio respectu Logicæ.

6 Objectum adæquatum adhuc est duplex, unum connaturale, seu proportionatum; alterum extensivum. Primum est totum illud, quod potentia propriis viribus tangere valet; v. gr. omne verum naturale respectu intellectus creati: Secundum est illud, quod, habens esse elevatum supra potentiam, viribus superioribus adiuta, potest attingere; v. gr. verum supernaturale respectu intellectus creati. Nunc igitur Logicæ objectum ad examen vocantibus advertendum est, in quælibet arte objectum formale esse formam artificiosam, quam Artifex in materiam intendit introducere; ipsam autem materiam, in quam formam introducit artificiosam, esse objectum materiale primum.

7 Est itaque inter omnes commune, formam artificiosam artefacti logici, seu modi sciendi, esse formale Logicæ objectum; & materiam, illà formâ Logicæ artificiosâ induitam, esse objectum materiale. Ceterum, in quo illa forma, in quo ista materia con-

sistat; Hoc opus, hic labor est. Nunc quænam sit Logicæ materia inquirimus; solumque dubitamus de vocibus, de conceptibus formalibus, & objectivis, iisque omnibus ad formam modi sciendi redactis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Voces artificiosè dispositæ sint Objectum materiale Logicæ.

I **S**upponimus, voces non esse objectum Logicæ adæquatum, ut veteres aliqui senserunt, Reculine duce, contra quem prævaluit carmen illud: *Quas, Reculine, doces, non vult Dialectica voces: Solùm igitur est dubium de objecto inadæquato.* Neque dubium procedit de vocibus, utcumque sumptis; de his enim, sono tenus acceperis, Logica non curat, teste Augustino (1) afferente: *Omne verbum sonat; sed quod sonat, nihil ad Dialecticam.* Neque enim est dis-
D. Aug lib de Princ. Dialect. c. 5. sidium de vocibus qualicumque artificio dispositis; sed dispositis artificio Definitionis, Divisionis, Propositionis, &c. Id autem, quod de vocibus resolvemus, de scripturis sub eadem formâ exaratis, intelliges resolutum.

Prima Conclusio.

2 DICIMVS 1.: Voces artificiosè dispositæ in modum artefacti logici non sunt objectum materiale proprium, & primarium Logicæ. Hæc conclusio colligitur ex Arist. (2) dicente: *Demonstratio non in oratione, que est extrâ, sed in oratione, que est in mente consitit; quandoquidem, neque Ratiocinatio in illâ consistere, videtur.* Ex quibus en ratio nostra fundamen-
Arist. pri- mò Posler cap. 8. ante medium talis: Objectum materiale primarium Logicæ debet propriè recipere logicum artificium; sed voces arti-
 ficio-

Art. II. Vir. voces sunt Object. materiales Logicae? 289
ficiosè dispositæ non recipiunt propriè logicum artificium: Ergò. Maj., & constat. artic. præcedenti num. 6. & 7., & patet, in qualibet arte inductivè discurrendo.

3 *Prob. min. 1.*: Si voces artificiosè dispositæ recipiarent propriè logicum artificium, recipiarent propriè artificium demonstrationis, & in eis propriè demonstratio consisteret; sed hoc negat Arist. suprà relatus: Ergò. *Prob. 2.* eadem min.: Artificium logicum est forma subjecti, & prædicati, generis, & differentiæ, aliorumque similium; sed hujusmodi forma propriè non recipitur in vocibus: Ergò. *Prob. min.* Voces non sunt propriè subjectum, & prædicatum, aut genus, & differentia: Ergò. *Prob. ant.*: Subjectum est illud, de quo aliquid dicitur; & prædicatum est id, quod dicitur de subiecto; sed in hac propositione: *Petrus est homo*, vox *homo* non dicitur de voce *Petrus*, alias esset falsa: Ergò. Si aliquando enim de voce aliquid dicatur, vel vox de alio affirmetur, ut in his: *Petrus est nomen. Sonus articulatus est vox*; voces illæ jam sunt conceptus obiectivi; non purè vocales.

4 *Respondent Contrarii*, voces non recipere formam subiecti, & prædicati in effendo, quæ obiectiva dici solent; recipere tamen formam subiecti, & prædicati in supponendo; sicut recipiunt formam Signi, Nominis, & Termini, ut sæpè diximus in Dialecticâ. *Sed contra 1.*: Est subiectum, & prædicatum in supponendo est substitui pro subiecto, & prædicato; sed substitutum non propriè participat formalem denominationem principalis; ut patet in eo, qui pro alio in Cathedra substituit, qui propriè Cathedraticus non est: Ergò. *Contra 2.*: Ars domificatoria, lignaria, aliæque similes non respiciunt pro objecto materiali primario exemplar pictum, formam domus, aut ar-

ex repræsentans: Pariter Cosmographia, non respicit, ut primarium objectum, mapam; neque Astrologia sphæram ligneam, coelestem sphæram repræsentantem: Ergò à pari.

5—*Si dicant*, Domificatoriam, Lignariam, aliasque artes in argumento adductas esse purè effectivas, non tamen repræsentativas; Logicam verò esse artem repræsentativam, atque adeò artefacta in repræsentando, quales sunt voces, esse proprium objectum materiale: Sicut ars Pictoria non respicit Petrum in essendo, sed Petrum in repræsentando, qui est ejus imago. *Contra*: Licet imago Petri sit Petrus solum in repræsentando, est imago propriè, & artificiosè depicta; immò intrinsecè recipit formam artis Pictoriæ; sed voces tantum sunt artefactum logicum in repræsentando; non autem intrinsecè formam Logicæ recipiunt, ut probatum relinquimus: Ergò, licet imago Petri sit objectum proprium artis Pictoriæ; non autem voces objectum Logicæ.

6—*Conf.*: Voces solum pertinent ad Logicam, quantum sunt signa instrumentorum sciendi, istorumque formam artificiosam repræsentant; sed hoc ipso non sunt ejus objectum materiale proprium: Ergò. *Prob.* min.: Quia pulsus, & urina solum pertinent ad Medicinam, ut humanæ sanitatis signa; non sunt objectum primariorum Medicinæ: Ergò. *Conf.* 2.: Logica acquiritur, & habetur perfectè sine vocibus; ut, si mutus è libris Logicæ regulas ediscat; sed nulla scientia haberi, & acquiri potest, ejus objecto primario non attacto: Ergò. *Huc* etiam pertinet; quod, quia res ad Scholas adducere non possumus, utimur vocibus loco rerum: Ergò voces non exiguntur à Logicæ; sed solum necessitate, & utilitate Logici sunt introductæ in formam artefacti logici.

Secum-

Secunda Conclusio.

7 DICIMVS 2. : Voces artificiosè dispositæ sunt objectum materiale remotum , & secundarium Logice. Ita colligitur ex D. Thomâ (3) afferente : *Significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptibus intellectus, pertinet ad principalem considerationem Logicæ; sed non pertinet, ut objectum formale, neque, ut objectum materiale primarium; ut constat ex prima conclusione: Ergò pertinet, ut objectum materiale secundarium.* *Prob. Conclusio:* Quod est pars subjecti Logicæ est ejusdem objectum , saltem materiale secundarium ; sed voces artificiosè dispositæ sunt partes subjecti Logicæ : Ergò. Prob. min. ex D. Thomâ: (4) *Partes subjecti in scientiâ sunt omnia illa, quorum cognitio requiritur ad cognitionem subjecti; sed cognitio vocum artificiarum, saltem secundariò requiritur ad cognitionem subjecti Logicæ; cum ipsum representent:* Ergò.

(3)
D. Thom.
1. perhier.
lect. 2

8 PROB. 2. Conclusio : Objectum materiale secundarium est illud , quod scientia attingit secundariò , & per ordinem ad primarium objectum; sed Logica agit secundariò de vocibus , quatenus conducunt ad manifestationem conceptuum, & objectorum, quæ, juxta sententiarum diversitatem, sunt objectum materiale primarium : Ergò. Prob. min. : Logica disponit voces , ut artificium mentale , & objectivum significant ; ut patet in his vocibus : *Animal rationale : Petrus est homo :* Ergò. Prob. ant. : Ea artificiosa representativa dispositio non fit à Grammaticâ , nec Rhetorica , aut alia arte : Ergò. Prob. ant. : Grammatica, & Rhetorica nullibi tradunt regulas conficiendi , definitio- nes , & propositiones : Ergò.

(4)
D. Thom.
op. 70. q. 2
art. 2. ad

3.

9 Respondent aliqui , (5) quod Grammatica gene- ralis,

(5)
Servera
disp. 1. c. 3
n. 27. &
28. P. Loff
tr. 1. dis. 2
c. 2. n. 26.

288 Lib. I. Quæst. II. de Objecto materiali Logicæ
ralis , prout indifferens , ut huic , vel illi materiae ap-
plicetur , seu inserviendo huic , vel illi Scientiæ , qua-
lis est in puro Grammatico , non docet modum confi-
ciendi artefacta vocalia ; hoc tamen docet Gramma-
tica specialiter applicata materiae Logicæ : Sicut Pi-
ctoria applicata rei militari , pingit in formam militiæ ;
& applicata materiae Architecture , pingit secundum
dispositionem ædificii : & Logica applicata objecto
Theologiæ , Deum definit ; applicata objecto Metha-
physicæ , describit ens reale , &c.

10 — ~~Sed contrà~~ : Grammatica , adhuc prout in men-
te Logici existens , & ad Logicæ materiam applicata ,
solum tradit voces ad congruam locutionem , & ab
omni logico artificio ex se præscindit : Ergò quod vo-
ces , ad congruam locutionem dispositæ juxta regulas
Grammaticæ , ulterius adaptentur in repræsentatio-
nem artificii logici , non provenit à Grammatica sed
à Logica . Prob. ant. : Quamvis Grammatica omnium
rerum nomina , & cognitionem inquirat ; id solum-
modo præstat congruae locutionis gratiæ , non ratione
alterius artificii : Ergò voces , aut cognitiones alio ar-
tificio exornare , non ad Grammaticam , sed ad aliam
artem , vel scientiam attinet : Ergò .

11 — Ant. prob. : Quælibet ars omnia attingit ra-
(6) tione sui objecti formalis ; sed objectum formale
NP Aug. Grammaticæ est locutionis congruitas : Ergò . Conf.
à S. Joann. Etsi Rhetorica , cuius materia est omnis quæstio , (6)
Bapt. & in questionem exagit de artificio logico actuum in-
Ep Rhetor tellectus : An sit conveniens hoc , vel illo modo fieri ; non
lib. I. c. 2. propterea artificium illud , quæ tale , erit materia
(7) Rhetoricæ : Ergò . Conf. 2. : Ad Grammaticam , ut
P Loffada applicaram intellectui Rhetorico , non pertinet vocum
fr. I. disp. textura , quatenus tropis , & figuris ornata , ut ipsi
2. c. 2. n. 2 Contrarii non dissentunt : (7) Ergò ad Grammaticam , ut
in

Art. II. Vtr. voces sint Object. materiale Logicæ? 289
in Logico existentem, non attinet vocum textura, ut
consona regulis artefacti logici. Conseq. tenet rigorosā paritatem.

12—*Vrgetur ipsis Adversariorum exemplis.* Primo:
Ideo Pictoria, applicata rei militari, pingit in formam militiae, & applicata materiae Architecturæ, juxta dispositionem ædificii; quia artificiosa colorum dispositio, quæ est ejus ratio formalis, est formalis conformitas cum rebus repræsentandis; sed artificiosa conformitas vocum cum objectis artificio logico dispositis, non est ratio formalis. Grammaticæ, sed sola conformitas cum Syntaxeos regulis, aliisque ejusdem artis præceptis: Ergo. Secundo: Sicut Grammatica inservit (8) Logicæ, voces congruè significantes administrans; ita Logica inservit Theologiæ, ipsi administrans instrumenta demonstrandi; sed Logica in mente Theologi non demonstrat de Deo Attributa, sed hoc præstat Theologia, utendo ipsa Logicæ: (9) Ergo pariter.

(8)
*P. Loffada
ubi sup. n.
25.*

(9)
*P. Loffada
tr. 1. dis. 1
c. 2. n. 7. &
cap. 4. num
8. &. 28.*

13—*Vrgetur 2.: Licet Animastica, ut in intellectu Logico existens, contempletur actus intellectus logico artificio dispositos; actus intellectus, quatenus tali artificio dispositi, non sunt objectum Animasticæ; sed solum, quatenus sunt quædam vitales qualitates, ut ipsi clamant: (10)* Ergo licet Grammatica minister voces Logico; hæ non pertinent ad Grammaticam, quatenus in modum artefacti logici disponuntur; sed solum, quatenus inserviunt congruae locutioni sine barbarismo, & solœcismo contextæ.

(10)
*P. Loff. tra
2 disp. 2.
c. 3. n. 6.*

14—*Pro clarâ dictorum, & dicendorum intelligentia, nota:* Scientias, & artes in eodem subjecto adunatas sese mutuò juvare in attingendis objectis; absque præjudicio tamen uniuscujusque muneris, & objecti; quæque enim, suo contenta objecto, in alie-

290 Liber. I. Quæst. II. de Objecto materiali Logice?
nam messem falcem mittere non præsumit. Quare; cùm
eruditus Pictor ordinatum depingit exercitum; grafi-
ca colorum dispositio est Pictoriae artis effectus; mili-
taris verò coordinatio, quæ ipsis exprimitur colori-
bus, est effectus militaris notitiæ, quam, vel ipsa Mi-
litari arte magistrà, vel in eà arte perito dirigente,
Pictor acquisivit: Propterea Militaris ars secundariò,
& per accidens ponit ordinem militarem in figuris pi-
ctis.

15 — Pariter ergò, dum intellectus Grammatica
& Logicæ eruditus conficit vocales definitiones, in-
fluit Grammatica per se, & ex primaria intentione, ut
voces in recto, vel obliquo juxta congruentem ipsarum
significationem disponantur: Logicæ autem est ipsis
voces simul coordinare; ut, quæ amplioris est signi-
ficationis per modum signi generici ponatur; & quæ
restrictioris est, loco differentiali notæ collocetur:
quamvis id secundariò, & per accidens præstet; quia
principale intentum aliò divertit. Idem proportiona-
liter est discurrendum in aliis vocalibus artefactis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

16 **A**RGVES i. contra i. Conclusionem: D.
Thomas, ubi suprà num. 7. ait: *Signifi-
catio vocum, quæ est immediata ipsis conceptibus intelle-
ctus, pertinet ad principalem considerationem Logicæ; sed
non pertinet, tamquam objectum formale: Ergò per-
tinet, tamquam objectum materiale primarium. Con-
seq. tenet; quia objectum materiale secundarium non
est de principali, sed de minùs principali Logicæ con-
sideratione. Resp., dist. maj.: Significatio vocum ob-
jectiva, conc. maj.; significatio formalis, subdist.: ad
principalem considerationem Logicæ, ut aliis expri-*
men-

Art. II. Vtr. voces sint Object. materiae Logice. 291
mendæ , concedo maj. ; ut in se ipsa sistentis , neg.
maj. ; & concessa min. , nego conseq.

17 *Itaque Doct. Angelicus , vel intelligendus est de objectiva vocum significatione , quæ est ipsa res significata , ut denominatur conceptus objectivus:* (11) (11)
Vel intelligendus est de significatione formali vocum respectu Logicæ , quatenus in illa arte periti eam alios docere solent ; ad quod voces sunt principaliter destinatae : Et hic est literalior Ang. Doctoris sensus : (12) 1.
Ceterum , formalis vocum significatio numquam attinet ad principale objectum Logicæ . Dices : Voces regulantur regulis Logicæ : Ergo pertinent ad principalem considerationem Logicæ in se ipsa . Ant. patet ; art. 1. arg
quia Logica regulat definitionem , propositionem , & syllogismum vocalem. (12)

18 *Resp. ; dist. ant. probationis : Logica regulat illa artefacta vocalia primariò , & ratione vocum , neg. ant. ; secundariò , & ratione conceptuum objectivorum , qui sunt res per voces significatae , conced. ant. , & neg. conseq. Logica enim primariò dirigit , & regulat id , quod est propriè , & subjectivè logicum artefactum ; quod autem impropriè , & representativè tantum est artefactū logicū , solum dirigit , & regulat secundariò , & impropriè. Si dicas : Logica demonstrat de vocibus proprietates , suppositionem nempe , ampliationem , &c. Ergo dirigit voces primariò , & ratione vocum. Resp. , dist. ant. : Demonstrat proprietates de vocibus , ratione vocum , neg. ant. ; ratione rerum , quas voces ipsæ repræsentant , conc. ant. , & neg. conseq.* (12)

19 *Subjectum , de quo Logica proprietates demonstrat ratione ipsius , ut scilicet in ipsius contemplatione persistat , consideratur à Logicâ primariò , & ratione sui : Vocum autem proprietates non demonstrat , ut præcisè vocum significationem ostendat ; sed*

292. Liber I. Quest. II. de Objecto materiali Logicae
ad hoc, ut ampliori, vel restrictiori vocum significatio-
tione ostensâ, universalius objectum, per illas signifi-
catum, meditetur; propterea objecta sunt prima-
riò, voces verò secundariò à Logicâ directa. Sicut
Medicina primariò dirigit corpus sanabile, & secun-
dariò medicamenta ad illius sanitatem ordinata. Et
sicut Theologia primariò demonstrat de Deo divina
Attributa; secundariò autem de Virtutibus, & Vi-
tiis demonstrat proprietates ratione Dei dilecti, vel
offensi.

20 *In statib. Logica demonstrat proprietates de*
vocibus ratione vocum: Ergò. Prob. ant. : Logica
demonstrat suppositionem, aliasque termini proprie-
tates ratione illius, suprà quod primò cadit secunda
intentio suppositionis, & termini; sed hæc secunda
intentio primò cadit supra voces; imò conceptus ob-
jectivos propriè terminos non esse, diximus in Sum-
mulis: (13) Ergò. Si dicas, secundam intentionem
*repræsentatis, quæ *Summulistica* dici solet, cadere su-*
pra voces; non verò Logicam, quæ denominat arte-
factum in essendo. Contra: Dialectica, & Logica sunt
eadem Scientia specificè: Ergò, si intentio Dialecti-
*ca, seu *Summulistica* cadit primò suprà voces, etiam*
intentio Logica; non enim datur ejusdem Scientiæ
duplex ratio formalis.

21 *Ad inst. resp., approbando solut. ibi data: quia,*
cum Logica intendat manifestare objectiva artefacta,
quæ interna sunt; priùs ordine successionis, licet
non dignitatis, & intentionis, statuit regulas circa
vocum manifestationem, & acceptiōnem, quibus
valeat objecta artificiosa exteriùs exprimere; deinde
objecta ipsa artificiosa proponit: Sub primò munere
*dicitur *Dialectica*, agitque de vocibus; id autem fa-*

(13)
Dialect.
lib. 1. q.
2. art. 4.
num. 1.

ex primario fine, qui est intellectum reddere scientem, sed ex secundario, qui est intellectum reddere docentem: Sub secundo munere dicitur *Logica*; agitq; per se primariò de rebus conceptis, quibus intellectum scientem reddit.

22 Ex quibus ad ult. replic. resp., Dialecticam, & Logicam esse eandem Scientiam in specie, sed sub duplii denominatione: altera primaria, quæ est denominatio *Logicas*, quippè quæ provenit à secunda intentione objectiva, quæ primaria est: altera secundaria, quæ est denominatio *Dialecticas*; utpote proveniens à secunda intentione repræsentativa; quæ, cum non constituat artefactum logicum, sed ejus representationem, secundaria est. Sunt denique duæ denominationes, à duobus tractatibus captæ, quorum alter, scilicet Summulisticus, est de objecto secundario, & de secundaria intentione; alter, qui est *Logicus*, est de objecto primario; propriaque intentione logica; non enim repugnant in actibus ejusdem scientiæ duæ formalitates, altera primaria, altera secundaria; (14) sicut nec duæ materiæ, primaria, & secundaria. *Hinc* jam vides, conceptum objectivum esse propriè terminum in sensu logico; non in sensu dialektico: è contrà terminum vocalem.

23 ARGVES 2. contra secundam conclusionem: Objectum unius scientiæ nequit esse objectum alterius; sed voces sunt objectum materiale Grammaticæ: Ergò. Resp.: Insto argumentum, posità eadem majori: Sed actus intellectus sunt objectum Physicæ secundum partem animasticam: Ergò non sunt objectum Logicæ? Item: Sed voces sunt objectum materiale Grammaticæ: Ergò non sunt objectum materiale Poëticæ, & Rhetoricæ? Resp. 2., dist. mai.: Sub eadem consideratione, & formalitate, concedo maj., sub diversa consideratione, diversaque formalitate,

nego.

(14)
Palanc.
tract. 1.q.
3. num. 2.

294 *Liber I. Quæst. II. de Objeto materiali Logice?*
nego maj. & concessà min. , neg. conseq. Sicut enim
voces, quatenus ex eis fit congrua locutio , sunt obje-
ctum Grammaticæ, & quatenus venustum , ornatum.
que sermonem componunt tropis , & figuris distin-
ctum , pertinent ad Rheticam; ita pertinent ad Lo-
gicam , prout ordinantur ad formam artefacti logici.

24 *Dices* : Disponere voces in formam artefacti
logici repræsentativi, pertinet ad Grammaticam : Er-
gò. Prob. ant. : Ad Grammaticam pertinet disponere
voces significantes artefacta objectiva ; sed voces ita
dispositæ sunt artefactum vocale logicum repræsen-
tativum: Ergò. Prob. mai. : Artefacta objectiva sunt res
significatæ per voces; v. gr. animal , & rationale per has
voces: *Animal rationale*; sed ad Grammaticam pertinet
tradere voces rerum significativas : Ergò. *Resp.* , dist.
ult. mai.: Sunt res significatæ utcumque, & sub quâlibet
consideratione, neg. mai.; sunt res significatæ per
modum generis, aut differentiæ, aliâve simili conside-
ratione logicâ, conc.mai.; & dist.min., neg.conseq.

25 Grammatica quidem solùm docet , quænam
voces res secundùm se ipsas significant, præscindendo à
consideratione generis, aut differentiæ, subjecti, & præ-
dicati, aliisque similibus: Ordinare autem voces, qua-
rum alia naturam conceptam per modum superioris,
alia conceptam per modum inferioris , aliovè simili
modo, significet , pertinet ad Logicam. *Inßtab.* : Ad
Grammaticam pertinet tradere voces, significantes res
eo modo , & ordine, quo concipiuntur; sed res , v. gr.
animal, & *rationale*, concipiuntur per modum superio-
ris, & inferioris ex præcisâ vocum significatione : Er-
gò. *Resp.* , dist. mai.: Eo modo, & ordine, quo conci-
piuntur grammaticaliter, concedo , mai. ; quo conci-
piuntur logicè, neg. mai.: Et dist. min.: Concipiuntur, ex
præcisâ vocū significatione, per modū superioris, & in-
ferioris.

Art. II. Vir. voces sint Object. materiale Logice. 295
ferioris fundamentaliter, & physicè, concedo min.;
logicè, & formaliter, nego min., & conseq.

26—Ordo grammaticalis in rebus conceptis est ea
objectorum dispositio, vi cuius vox significativa unius
debeat esse in casu nominandi, & nomen alterius in
alio casu, juxta regulas Grammaticæ; v. gr. Quod
palium concipiatur à Petro possessionem sufficit, ut volens
significare cuius sit palium, dicat: *Palium Petri.* Item:
advertisens Grammaticus, animalitatem inveniri in
homine, & bruto; rationalitatem solum homini con-
venire: concipit naturam animalis, ut communem
communitatem reali, seu fundamentali; non autem
formali, concipiens illam, ut abstractam, aut ab infe-
rioribus contrahibilem: & naturam rationalis concipit,
ut particularem particularitatem fundamentali; non au-
tem formali: propterea voces ordinat, ut significant
naturas conceptas primò modo; non autem secundò;
quia *Hoc modo voces significativas considerat Logicus.*

(15)

27 *Repliç.*: Voces, ut exprimentes objecta logi-
calia, non pertinent ad Logicam: Ergò ad Gramma-
ticam pertinet dare voces ad significandas res ordine
logicali conceptas. Prob. ant.: Voces, ut exprimen-
tes objecta Physicæ, aut alterius Scientiæ, ad hanc
Scientiam non attinent: Ergò. *Resp.*, neg. ant.; ad
prob., neg. conseq.: Quia Physica, aliæque Scientiæ
reales agunt de suo objecto præcisè secundum se ip-
sum, & propter ipsius proprietates: Logica autem,
utpote Scientia rationalis, quæ *scire*, & *docere* docet,
attinet proprium objectum, ut repræsentatum: se-
cundario tamen, & minus principaliter repræsenta-
tur per voces. *Ideo colliges*, Logicum esse primariò
ad se; secundariò ad alios. (16)

(15)

B. Albert.
Mag. cap.
4. Logice.

(16)

Palanc.
tractat. I.
quæst. 3.
num. 7.
Vide Vill.
in fine ar-
gum. 2.

ARTI.

ARTICVLVS III.

Vtrum Conceptus formales sint Objectum materiale Logice.

1. **N**omine formalium Conceptuum intelliguntur actus, seu operationes intellectus, Apprehensio scilicet, Judicium, & Discursus, quatenus sunt objectorum representationes. Sed notandum est. 1.: Conceptus formales posse dupliciter sumi: Primò signatè, & ut quod; quatenus sunt res quædam per alios actus representatae, prout significantur his conceptibus: *Conceptus formalis*, *Operatio intellectus*: Secundò possunt accipi exercitè, & ut quo, quatenus sunt in exercitio quædam objectorum representationes. Præsens itaque dubium de Conceptibus formalibus, non in primà, sed in secundà acceptione, procedit; quia in primo sensu sunt Conceptus objectivi.

2.—*Notandum est* 2.: Logicam considerari à Jesuïtis, tamquam Artem puræ actionis, cuius nullum extat opus, præter actiones illas, quib[us] intellectus Logica imbutus operatur; adinstar Artis saltandi, cuius aliud non assignatur opus, præter Saltatoris motus, & actiones juxta regulas artis effectas. Ponderatur etiam ab ipsis, ut Ars representativa, cuius principalis, & ferè totius connatus in producendis objectorum imaginibus intentionalibus versatur; & extra intentionales objectorum representationes parùm, idque secundariò solum, & remotè dillatari, dicunt. Propterea, sicut objectum materiale Artis saltandi sunt actiones Saltatoris, ita actiones intellectus logici logicam materiam appellant. Sed quatenus hæc vera sint, infra videbimus.

Prima Conclusio.

3 DICIMVS 1. : Conceptus formales exercitè sumpti non sunt objectum materiale primarium, & intrinsecum Logicæ. Conclusio colligitur ex D. Thomâ (1) afferente : *Logica versatur circa actus rationis, sicut Ars domificatoria versatur circa actiones manuum.* Sed actiones manuum domificantis non sunt objectum materiale primarium Artis domificatoriae : Ergò pariter. *Nec satisfaciunt Contrarii,* (2) dicentes, Doctorem Ang. per actionem manuum non intelligere meram actionem, sed opus manuactum, nempe artificium domi. *Quia in artificio domi reperitur materia, cui superadvenit forma distincta ; non ita in actibus intellectus juxta illos :* (3) Imò ferè in nullo conveniunt actus intellectus cum manufactis operibus.

4 PROB. Conclusio ratione: Objectum materiale proprium, & intrinsecum Logicæ est illud, quod propriè, & intrinsecè recipit formam Logicæ ; sed conceptus formales formam artificiosam Logicæ non recipiunt : Ergò. Major patet à paritate rationis in quacumque arte. Prob. min. : Forma artificiosa Logicæ est artificiosa artefacti logici dispositio ; sed dispositio artificiosa artefacti logici non recipitur in conceptibus formalibus : Ergò. Prob. min. : Dispositio artificiosa artefacti logici solum recipitur intrinsecè in eo, quod est propriè artefactum logicum ; sed conceptus formales non sunt propriè logica artefacta : Ergò. Prob. min. : Actiones artificis, quibus fiunt artefacta, non sunt propriè artefacta ; sed, conceptus formales sunt actiones, quibus intellectus logica construit artefacta, teste D. Thomâ ubi suprà num. 3. Ergò.

5 — Respon. : (4) Adversarii, majorem esse veram in artibus factivis, quarum opera sunt ab actionibus

(1) D. Thom.
1. Poster.
lett. 2.
(2) P. Loff. tr.
1. disp. 2.
c. 7. n. 26.
(3) P. Loff. ubi
sup. n. 16.

(4) P. Loff. tr.
1. disp. 2.
c. 7. n. 23.
& cap. 4.
num. 13.

diversa, qualis est ars dominatoria, aliæque similes; falsam tamen in artibus purè activis, quarum opera sunt actiones ipsæ artificis, ut videmus in artibus saltandi, zitarizandi, aliisque similibus, quarum formarum capaces sunt actiones artificis: Et hujus generis est Logica. Hæc solutio in primis non faver illis, (5) qui, ponentes in actibus intellectus inadæquatum Logicæ objectum, admittunt, conceptus objectivos, licet non sub formâ fictâ, esse objectum materiale proximum Logicæ. Deinde: Solutio petit principium; salvare enim præsumit, actus intellectus esse logica artefacta, quia Logica est ars, cuius artefacta sunt ab actibus indistincta: Item vult, Logicam esse de actibus intellectus, quia est ars activa; consequenter idem per idem probat.

6—*Impugnatur solutio: Conceptus formales non sunt opera Logicæ: Ergò Logica non est ars puræ actionis.* Prob. ant: Conceptus formales non sunt capaces rectitudinis subjecti, & prædicati, generis, & differentiæ, aliarumque similiū: Ergò. Prob. ant.: Subjectum est id, de quo aliquid dicitur, & prædicatum est id, quod dicitur de subjecto; sed conceptus formales exercitè sūpti, non sunt id, de quo dicitur, & id, quod dicitur: Ergò. Min. patet in hæc propositione: *Petrus est homo*, non enim dicitur de cognitione, attingente Petrum, quod sit homo; neque cognitione, attingens hominem, enuntiatur de Petro; neque una de altera cognitione prædicatur; alias falsa esset illa propositio. Idem probatur de genere, & differentiâ proportionali modo in hæc definitione: *Animal rationale*.

7—*Si fortè respondeant, conceptus formales non esse subjectum, & prædicatum objectiva, seu in essendo; esse tamen subjectum, & prædicatum formalia, seu in repræsentando. Contrà; quia adversùs hoc facit instant-*

(5)
PP. Gonza-
lez, Men-
doza, &
Lince ap.
Server. di
sp. 2. c. 6.
num. 49.

stantia facta contra voces artificiosè dispositas articulo præcedenti num. 4. : Non enim est propriè subiectum, nec prædicatum, quod tantum repræsentativè est subiectum, & prædicatum; sicut non est propriè D. Thomas imago repræsentativa D. Thomæ: Ergò, si conceptus formales solùm in repræsentando sunt subiectum, & prædicatum, non sunt propriè subiectum, & prædicatum. (6)

8—*Contra 2.* : Artefactum logicum propriè tale est, quod à Logica attingitur signatè, & ut quod; sed subiectum, & prædicatum in repræsentando solùm attinguntur à Logica exercitè, & ut quo: Ergò. Major patet in cuiuslibet artis artefacto. Min. supponitur num. 1. *Vrgetur*: Sicut in conceptibus formalibus reperitur formalitas vitalitatis, & formalitas dispositionis in modum artefacti logici; ita in vocibus reperitur formalitas grammaticalis significationis, & formalitas dispositionis artificiosæ; sed voces non sunt propriè artefactum logicum juxta Contrarios: Ergò. *Si dicas*, (7) artificiosam vocum dispositionem pertinere ad Grammaticam. *Cur* non possumus eadem ratione asserere, artificiosam conceptuum dispositionem pertinere ad Animasticam? Vide art. 2. n. 13.

9—*Respondent* alii (8) ad impugnationem num. 6. positam, quod: *Non solùm objecta, sed etiam mentis actus* sunt propriè subiectum, & prædicatum; quia de ipsis verificatur, esse id, de quo aliquid dicitur, & esse id, quod dicitur de alio; non per modum objecti, in quo exercetur illud dici; sed per modum signi: idemque asserunt de quibusvis denominationibus logicis respectivè: pertinet, inquiunt, ad Logicam de objectorum signis formalibus agere. *Sed quis non videat*, idem esse verificari prædicta de conceptibus formalibus per modum signi, ac conceptus formales

(6)
Vide Irrib.
l. 1. quest.
2. art. 1.
Et Villalb.
l. 1. quest.
2. art. 2.
prob. 1.

(7)
Doct. Ser.
disp. 2. cap
5. n. 43.

(8)
P. Loff. tr.
1. disp. 2.
c. 8. n. 14.

300 *Liber I. Quest. II. de Objecto materiali Logicæ.*
esse signa eorum de quibus verificantur? Eisdem ergò rationibus, quibus præcedens, confutari valet præsens responsio.

10—*Impugnatur 1.* : Sicut conceptus formales sunt signa formalia eorum, quæ subjiciuntur, & prædicantur, ita species expressa Petri currentis, & cantantis in platea, est signum formale ejusdem Petri; sed ineptè, & valdè abusivè aliquis diceret, speciem expressam Petri in platea currere, & cantare per modum signi: Ergò. *Aliter*: Sicut conceptus formalis consequentiae est signum formale connexionis antecedentis, & consequentis, quæ est consequentia objectiva; ita species expressa entis naturalis est ejusdem formale signum; sed nemo ausus est dicere, de specie expressa entis naturalis verificari, per modum signi, illius entis proprietates, quatenus ad Physicam pertinent: Ergò pariter.

11—*Impugnatur 2.* : De illo verificantur propriè denominations subjecti, & prædicati, quod propriè, & in re subjicitur, & prædicatur; sed conceptus formales propriè, & in re non subjiciuntur, nec prædicantur, sed tantum significativè, seu repræsentativè: Ergò de illis solùm significativè verificantur illæ denominations: Ergò solùm significativè sunt artefacta logicalia; quatenus talia artefacta non sunt, sed significant. *Conf.* : Ideo colores in formam imaginis dispositi sunt objectum materiale Artis pictoriæ; quia de his, nèdum repræsentativè, sed subiectivè verificantur denominatio imaginis, allusivè artefacti picti: Ergò, si denominatio subjiciendi, & prædicandi, aliæq; logicæ denominations solùm in repræsentando verificantur de conceptibus formalibus; hi non erunt objectum materiale primarium Logicæ.

(9)
P. Loff ubi sup. n. 2.

12—*Dicunt.* (9) *ad conf.*, conceptus formales esse signa

signa objectorum, non autem artificii logie; hoc enim non significant, sed recipiunt: Sicut imago Cæsaris est Cæsaris signum, recipit autem piæ imaginis artificium. *Contra*: Hoc ipso, quod imago recipiat imaginis artificium, de ipsa verificatur per modum rei, & non solum per modum signi, imaginis definitio, & quavis artificiosa denominatio intenta, vel prætentata ab Arte pictoria; sed de conceptibus formalibus solum per modum signi verificatur *prædicari de pluribus*, sive specie, sive numero differentibus, in quo stat generis, & speciei Aristotelica definitio à Contrariis (10) admissa: Item definitio universalis: *Vnum in pluribus multiplicabile*; (11) necnon essentia subiecti, quæ est *subjici*; & essentia *prædicati*, quæ est *prædicari*; & sic de aliis: Ergo conceptus formales repræsentant, sed non recipiunt, logicum artificium.

13.—Ex quibus patet de subiecto impropprio, & significativo loqui D. Thomam, à Contrariis pro se allegatum, (12) dum afferit: *Intellectus in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab eâ*: Loquitur enim de subiecto, & prædicato, prout eorum denominatio vocibus convenire potest; ut patet ex verbis postea subiectis: *Et similiter est de vocibus complexis, aut incomplexis*: Voces autem solum impropriæ, & in significando participant denominationem subiecti, & prædicati.

(10)

P. Loff. tr.
3. disp. 1.
c. 1. n. 1. &
c. 3. n. 1.

(11)

Doct. Ser.
disp. 6. c. 1
num. 3. Et
Loff tract
2. disp. 2.
c. 1. n. 1.
(12)

D. Thom.
1. p. quest
16. art. 2.

Secunda Conclusio.

14. *DICIMVS* 2.: Conceptus formales sunt objectum materiale secundarium Logicæ ab ipsa dirigibile. Ita D. Thomas: (13) *Ars quedam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis* :: & hæc ars est Logica: Ergo actus rationis, qui sunt conceptus formales, lectione sunt

(13)

D. Thom.
2. poster.

sunt materia à Logicâ dirigibilis; sed non intrinsecè, & primariò, ut ex prima conclusione constat: Ergò extrinsecè, & secundariò. Nec dicas; S. Doctorem docere, Logicam esse directivam actuum rationis, tamquam materiæ propriæ, & intrinsecæ; eò quod ibidem afferat: *Quod est circa actum rationis, sicut circa materiam propriam*. Nam ly proprietatem in textu Div. Thomæ idem sonat, ac suam; suis enim pro propriis, & è contrà, saepe accipitur: non autem est idem, ac simpliciter; alias etiam actiones domificantis essent materia simpliciter talis Domificatoria. (14)

(14)
Vide supr.
num. 3.

15. PROB. Conclusio: Logica instituta est ad dirigendum intellectum, ut sine errore procedat; sed errare potest in tribus operationibus intellectus, quæ sunt conceptus formales: Ergò. Min patet; quia intellectus apprehendere potest, ut genus, quod est species; & è contrà: iterum potest falso judicare, & male inferre. Conf.: Quia Ars domificatoria respicit pro objecto materiali lapides, & ligna, in quibus formam artificiosam introducit mediis actionibus manuum artificis; actiones iste sunt objectum materiale extrinsecè dirigibile; sed conceptus formales sunt actiones, quibus intellectus introducit formam in objectis, ut in materia propria: Ergò. Min. constat ex dictis, & iterum artic. sequenti constabit.

SOLVVNTVR ARGUMENTA CONTRARIA.

(15)
D. Thom.
1. Perbier

16. **A** RGVES 1. contra 1. Conclusionem auctoritate D. Thomæ (15) dicentis: *Cum Logica dicatur rationalis Scientia; necesse est, quod ejus consideratio perficiatur circa ea, quæ pertinent ad tres operationes intellectus; sed operationes intellectus sunt conceptus formales*: Ergò. Et alibi (16) docet, Logicam

(16)
D. Thom.
2. poster.
Intel. 1.

Art. III. Vtr. Concept formales sint Object. &c. 303
eam vocari scientiam rationalem ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa materiam propriam; sed quod est materia propria Logicæ, est ejus objectum materiale primarium: Ergo. Conf.: D. Thomas (17) ponit discrimen inter actionem immanentem, & transiunt in eo, quod actio transiens terminatur ad factum distinctum; immanens vero est finis agentis, cuius impetus terminat; sed actus intellectus est immanens: Ergo ipse est opus, & finis atque artefactum.

17 *Ad 1. Authoritatem resp.*, concessis premissis, neg. conseq. Ex eo enim, quod Logicæ consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres operationes intellectus, non infertur, eas operationes esse objectum materiale primarium considerationis ipsius; sed ad summum sequitur, ejus objectum materiale esse ea, quæ ad illas operationes pertinent: hæc autem sunt objectivi conceptus, qui ad intellectus operations pertinent, tanquam earundem objecta. *Ad 2. Autor.* patet solutio ex dictis num. 14. in fine. *Ad Conf. resp.*, D. Thomam ibi non assignare formale discrimen actionis immanentis, & transiuntis, quod alibi (18) assignavit: Dum ergo asserit, actionem immanentem esse terminum, & finem conatus agentis, loquitur de actione immanentí purè naturali; non vero de artificiali, qualis est actio logica; hujus enim finis est artificium ab ipsa prætensum.

18 *ARGVES* 2. : (19) Objectum materiale Logicæ est materia modi sciendi, ut omnibus inconfessò est; sed materia modi sciendi sunt actus intellectus: Ergo. Prob. min.: Quidditas modi sciendi propriè convenit actibus intellectus sub artificio positis: Ergo. Prob. ant.: Modus sciendi communiter definitur: *Oratio ignoti, aut confusa cogniti manifestativa*; sed nulli signo-

(17)
D. Thom.
3. contra
Gen. cap. 2
ap Loff ad.
tr. I. disp.
2. c. 7. n.
27.

(18)
Vide sup.
quest. 1.
art. 4. n. 1
V. Gonet
in Clyp. or
de Trinit.

disp. 2. ar
1. n. 21.
(19)
Ex P. Loff
ubi sup. n.
29

304 Liber I. Quest. II. de Object. materiali Logice.
signorum generi tam propriè convenit ignotum , aut
confusè cognitum manifestare , quàm actibus intellectus: Ergò. Conf. Definitio definitur : *Oratio explicans*
rem per essentiam ; sed hæc definitio , sicut , & alio-
rum artefactorum definitiones , quas in Dialecticâ ap-
probavimus , propriè conveniunt actibus intellectus,
qui sunt conceptus formales : Ergò.

19. *Resp. ad arg.*; dist. ultim. mai.: Modus sciendi , sumptus dialecticè , & in representando , concedo
mai.; sumptus logicè , & in essendo , neg. mai.; & dist.
min.: Actibus intellectus convenit confusè cognitum
manifestare , repræsentativè , & ratione modi sciendi
objectivi , concedo min.; formaliter , & per se
ipso , nego min. , & conseq. Itaque Logica secundum
denominationem *Dialecticam* non agit de instrumen-
tis sciendi in se ipsis ; sed de illis in repræsentando ,
seu de repræsentationibus instrumentorum sciendi:
propterea modum sciendi in repræsentando definit.

(20) At verò Logica sub primariâ *ogicæ* denomina-
tione , artefacta objectiva definit ; modum quidem
sciendi per esse: *Artefactum objectivum*, quo res confusè
cognita manifestatur.

20.—Contingit autem , modum sciendi mentalem ,
& vocalem manifestare ; non tamen immediatè , & per
se ipsum ; sed repræsentativè , & per aliud ; quatenus
objectum , confusè cognitum manifestans , repræsen-
tat : Quapropter Definitio in repræsentando est:
Modus sciendi rem , non utecumque , sed per *essentiam*
objectivam ; *Divisio per partes* , & sic de aliis. Ex qui-
bus patet solutio ad Conf. : Ea enim est definitio defi-
nitionis in repræsentando , quæ verificatur de conce-
ptibus formalibus ; de quā tamen Logica non curat
primariò , sed secundariò.

21.—*Dices* : Actus intellectus sunt modi sciendi in
esse;

(20)
Vide , quæ
diximus
sup.art. 2.
n. 21.

Item Vide
Villalbā
hic arg.
unico.

essendo : Ergò illis convenient manifestare per se ipsos formaliter. Prob. ant. : Actus intellectus sunt compositio, & divisio , teste D. Thomà : (21) *Compositio , & divisio operatio quedam est intellectus*; sed compositio, & divisio sunt propriè modi sciendi in essendo: Ergò. Si dicamus , Actum intellectus esse compositionem non verò rem compositam , quæ est modus sciendi ; sicut actiones Fabri sunt compositio arcæ , non verò arca ipsa. Replic. : Juxta D. Thomam: (22) *Propositionis per intellectum componentem , & dividentem formata compositio , in ipso intellectu existit ; non in re , que extra animam est*; sed formata compositio est res composita : Ergò.

(21) *D. Thom.*
1. contra
Gent. c. 58
num. 6.
(22) *D. Thom.*
ubi suprad
num. 5.

22—*Ad inst. , resp.* Solutione ibi data. *Ad replic. resp.*, quòd compositio ipsa , ut distincta à re composita , propriè dicitur formata ; sicut actiones , quibus fit domus , dicuntur ab Architecto formatæ : propterea ibi etiam loquitur D. Thomas de actione componente. Si autem velint , D. Thomam loqui de re composita ; consentimur equidem , dummodo verba illa : *In ipso intellectu existit*, intelligantur de existentiâ objectiva , quæ objectivo conceptui convenient.

(23) *Ex D. Ser.*
disp. 2.c.4.
num. 35.
23 ARGVES 2. (23) Quod regulatur regulis logicæ est ejus objectum materiale primarium ; sed plures Logicæ regulæ circa conceptus formales versantur : Ergò. Mai. constat à paritate aliarum artium. Min. prob. : Istæ sunt regulæ Logicæ: *Definitio formalis* debet repræsentare genus , & differentiam : *Divisio formalis* debet repræsentare membra divisi ; sed hujusmodi regulæ versantur circa conceptus formales: Ergò. *Resp.* , instando argumentum in vocibus , de quibus similes regulæ efformari possunt : *Item in conceptibus objectivis* , de quibus sunt regulæ multæ ; (24) & tamen non sunt objectum primarium juxta Contrariorum multos.

Q9

Resp.

(24)
Vide infra
art. 4. num
1. 1. 2.

24. Resp. iterum ad arg.; dist. primam mai.: Quod regulis Logicæ regulatur intrinsecè, & subjectivè, concedo mai.; extrinsecè, & representativè, nego mai.; & sic distincta min., nego conseq. Sicut ars fabrilis intrinsecè dirigit artefactum; ut potè in ipso introducens formam artificiosam; extrinsecè autem dirigit actiones, quibus artefactum construitur: ita Logica intrinsecè dirigit conceptus objectivos, quibus artificiosam formam intrinsecè communicat; actus verò intellectus solum extrinsecè, tamquam actiones, quibus artefacta formantur: (25) *Intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem.*

(25)
D. Thom.
quest. 8.
de potent.
artic. 1.

25. Dices: Actus intellectus intrinsecè regulantur à Logicà: Ergò. Prob. ant.: Actus intellectus sunt artefacta formalia, adhuc apud Thomistas; sed artefacta formalia intrinsecè diriguntur à Logicà: Ergò. Prob. min.: Artefacta formalia intrinsecè recipiunt formam artefacti: Ergò. Prob. ant.: Ideo ignis est formaliter calidus, Sol verò solum virtualiter; quia non Sol, sed ignis, recipit intrinsecè formam caloris: Ergò. Conf.: Quia actiones ædificantis sunt purè actiones, & formam ædificati non recipiunt, dici non possunt *domus formalis*, aut *palatium formale*: Ergò si actus intellectus sunt artefacta formalia, non sunt purè actiones artefactoris.

26. Resp. ad inst., neg. ant.; ad prob., dist ant.: Sunt artefacta formalia, sumpto ly *formalia* prout est idem, ac *intellectualia*, concedo ant.; sumpto ly *formalia* prout est idē, ac propriè participatia formæ artefacti, neg. ant., & coseq. Denominatio *formalis* sæpè sumitur pro formâ intentionalî representativâ; in quo sensu species expressa Petri dicitur *Petrus formalis*, & *intellectualis objecti notitia* dicitur ejusdem *signum formale*; quin tamen illa participet propriè for-

formam Petri, & ista formam proprii signi : Secundò sumitur etiam denominatio *formalis* pro participatio-
ne formæ denominantis, & constituentis ; quo sensu
dicitur ignis formaliter calidus. In primo sensu con-
ceptus formales dicuntur artefacta formalia ; in se-
cundò sensu solùm conceptus objectivi sunt formalis-
ter artefacta.

27 *Ad Conf. resp.*, causalem antecedentis veram
esse, si *formale* sumatur in secundo sensu explicato;
prout idem est, ac formam artificiosam participantis:
falsam verò, si in primo sensu accipiatur ; quatenus
idem sonat, ac imago intentionalis, seu intellectualis:
In hoc enim sensu ideo actiones non dicuntur *domus*
formalis; quia non repræsentant intentionaliter do-
mum, sicut actus intellectus repræsentant logicum
artefactum. Propter eandem rationem imago sculpta
Cæsaris nequit dici *Cæsar formalis*; imago verò inten-
tionalis, seu species expressa ab intellectu, *Cæsar for-
malis* dici potest.

28 *In statib. contra solutionem argumenti* : Actus
intellectus sunt artefacta formalia, quatenus formam
artefacti participant : ergò. *Prob. ant. 1.* : Actus intel-
lectus sunt subjectivè dirigibiles à Logica : Ergò re-
cipiant formam artificialem. *Conseq. tenet;* quia, quod
est subjectivè dirigibile est subjectum capax directio-
nis, & formæ artificialis. *Prob. 2. idem ant.* : Actus in-
tellectus sunt imagines, seu repræsentationes artefa-
cti objectivi ; sed hoc ipso participant formam artifi-
cialem : Ergò. *Prob. min.* : Eò ipso, quod picta in
papyro domus sit domus imago, participat formam,
& dispositionem domus : Ergò pariter.

29 *Resp. neg. ant. ; ad 1. prob. , dist. ant.* : Sunt
subjectivè dirigibiles, per modum subjecti intrinsecè
recipientis formam artificiosam, nego ant. ; per mo-

308 Lib. I. Quæst. II. de Objecto materiali Logicæ
dum subjecti extrinsecè denominati, conced. ant., &
nego conseq. Proprium subjectum formæ, intrinsecè
denominantis, est illud, quod intrinsecè, & per mo-
dum subjecti physici recipit formam, vi cuius arti-
ficiosè disponitur: Actus autem intellectus solum sunt
subjectum extrinsecè à regulis Logicæ denominatum;
quatenus regulæ, primariò dirigentes artefactum, se-
cundariò dirigunt actiones, ut artificiosè procedant.
Ad 2. prob. nego ultim. conseq. : Quia domus piæ
est imago physica, & instrumentalis; Actus verò intel-
lectus sunt imagines intentionales. (26)

(26)
Vide Coll.
Rip. lib. 4.
dub. 3. n.
13. & 14

30 Replic. : Ergò actus intellectus solum extrinse-
cè recipiunt directionem, & formam Logicæ : Ergò
propriè diriguntur à Logica. Prima conseq. infertur
ex solutione: Secunda prob. : Etsi paries solum ex-
trinsecè recipiat visionem; denominatur propriè vi-
sus : Ergò. Conf. : In hac propositione: *Actus intellec-*
tus sunt spirituales, actus ipsi sunt propriè subjectum
in essendo : Ergò sunt objectum materiale Logicæ. *Ad*
replic. resp. neg. secundam conseq. Ad prob., nego
conseq. : Quia denominatio *visi* est pure extrinseca;
ideoque, si extrinsecè participatur, participatur pro-
priè: At verò dirigi à Logica potest esse intrinsecè, &
extrinsecè; prima autem directio est propria, secun-
da improppria. *Ad Conf.* dicimus, in èa propositione
actus intellectus non sumi, ut quo, prout sunt conce-
ptus formales; sed, ut *quod*, quatenus sunt conce-
ptus objectivi. (27)

(27)
Vide sup.
n. 1. Mag.
Irrib. hic
arg. ult. in
fine. & M
Langa d
num. 406.

31 ARGVES 3. : Actus voluntatis sunt obiectum
materiale proprium, & primarium Ethicæ, seu Philo-
sophiæ Moraliæ: Ergò etiam actus intellectus sunt ob-
iectum materiale Logicæ, seu Philosophiæ Rationa-
lis. Prob. conseq. primò: Quia sicut Philosophia Mo-
ralis actuum voluntatis rectitudinem intendit; ita Lo-
giæ:

gica rectitudinem actuum intellectus. Secundò : Quia juxta D. Thom (28) ita consideratur à Logicà Ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu ; sicut ab Ethicà Ordo , quem ratio considerando facit in actibus voluntatis. Conf. : Pictoria non recipit pro obiecto materiali obiectum imaginis , sed colores, quibus imaginem format : Ergò pariter. Conseq. tenet: Quia sicut illa inventa est ad res exprimendas artificio colorum, ita ista , ut rectè formentur in intellectu intentionales obiectorum imagines.

32 Ad arg. sunt, qui antecedens negant: (29) Sed potius, ut judico , concedendum est, & neganda conseq. Disparitas est : Quia actus voluntatis propriè recipiunt formam Philosophiæ Moralis ; non verò actus intellectus formam Logicæ : Et disparitatis ratio est: Quia forma Moralis Philosophiæ est moralis honestas, cuius intrinsecè capaces sunt voluntatis actus; forma verò Logicæ est denominatio subiecti , & prædicati, generis , & differentiæ, quæ intellectus actibus convenire minimè potest , ut diximus supra num. 6. Ex quibus patet disparitas ad utramque consequentiæ probationem : Intentio enim Philosophiæ Moralis , ad voluntatis actus terminata , est intrinseca , & prima- ria ; intentio Logicæ ad actus intellectus est extrinseca, & secundaria. Paritas itaque D. Thomæ intelligitur proportione servata , quia : *Exemplum non requiri- tur paritas in omni.*

33 Ad conf. resp. , neg. conseq. : Quia colores, in formam imaginis dispositi , imaginis artificium intrinsecè recipiunt , & de ipsis quælibet Pictoriæ regula , & denominatio per se intenta , verificatur : Ceterum actibus intellectus nulla ferè est consona regula Logicæ ; rara, aut nulla de illis verificatur denominatio. Vide , quæ diximus supra num. 11. & 12. Addi-

mus, intrinsecum Pictorix finem esse objecta colorum artificio exprimere; intrinsecus vero Logicæ finis est objecta artificiosè disponere; licet extrinsecè actuum intellectus rectitudinem, & cum objectis conformitatem intendat, ut videbimus infrà. (30)

(30)

*In hoc lib**quaest. 3.**ar. 1. num**18. & 19.**(31) Irrib. in**pref. arg.**1.*

34 Dices contra solutionem argumenti: Licet actus interiores voluntatis sint actiones, quibus sunt exteriores actus honesti; propriè recipiunt honestatem: Pariter ergò de intellectus actibus respectu Logicæ discurrendum est. *Resp.*, (31) neg. conseq.: Quia actus interior nedium est effectio exterioris, sed ipse etiam intrinsecè honestus est; quia cum morum regulis habet conformitatem, in qua moralis honestas consistit: Enim vero actus intellectus sunt purè affectiones, & representationes logici artificii, quod non consistit præcisè in conformitate cum Logicæ regulis, sed in intrinsecā artefactis dispositione.

35 *Instab.*: Forma logicalis intrinsecè denominat actus intellectus, sicut honestas actus voluntatis: Ergò. *Prob. ant.*: Forma Philosophiae Moralis intrinsecè denominat actum interiorem, & extrinsecè exteriorem: Ergò pariter. *Resp.*, neg. conseq. Quia actus interior voluntatis est intrinsecè liber, consequenterque capax, ut rationis dictamini, & legi subjiciatur, in quo fundatur honestas intrinseca, cuius est expressio mera actus exterior: Actus vero intellectus sunt forme artificiosæ Logicæ incapaces, ut persæpe dicavimus.

36—*ARGVES* ultimò contra 2. conclusionem: Quælibet intellectus operatio, cum sit naturalis objecti similitudo, necessariò est suo objecto conformis: Ergò logicæ directione non indiget. *Conf.*: Omnis actus intellectus, vel est rectus, vel pravus; sed, si est pravus,

vus, nequit per Logicæ directionem rectificari; &c, si est rectus, etiam Logicà absente, rectus erit: Ergo:
Ad arg., resp. (32) dist. ant.: Suo objecto primario,
& directo, conc. ant.; indirecto, & secundario, neg.
ant., & conseq. Actus itaque, hominem repræsentans,
primariò quidditatem, cuius est formalis similitudo,
attингit; secundariò verò secundam speciei intentionem,
cuius solum est virtutalis similitudo, repræsentat. Circa primum disconformis esse non potest; potest esse circa secundum.

37—*Ad Conf. resp., (33) majorem veram esse de actu intellectus ex sua specie considerato; non verò ex suo genere sumpto.* Sufficit enim, quod actus intellectus, ut sic, sit indifferens, ut ad recti, vel pravi speciem contrahatur; ut à Logica actus intellectus dirigantur. Patet haec doctrina à paritate actuum voluntatis respectu Moralis Philosophiae. Pro aliis solvendis, *adverte*: (34) Sensum numquam falli circa sensibile proprium; quia solum attингit objectum directè per speciem repræsentatum: intellectus verò errare potest circa intelligibile secundariò attachum. *Adverte 2.*: Intellectum circa prima principia errare non posse: (35) sed circa intentiones accidentales, quæ sunt objectum secundarium, errare potest.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Conceptus Objectivi sint Objectum materiale Logice?

I **E**xclusis jam à participatione Objecti logici materialis primarii vocibus artificiosis, & conceptibus formalibus; propriam, ac primariam Logicæ, restat, assignare materiam. Sed ante resolutio-

nem

(32) *Aliter Pal quæst. 4. n. 5.*
(33) *Palan. ubi sup. n. 8.*

(34) *Colleg. Rip. ubi sup. n. 19.*
(35) *D. Thom. I.p. quæst. 85. art. 6.*

312 Liber I. Quæſ. II. de Objecto materiali Logice?
nem nota 1. : Conceptus obiectivos nihil aliud esse, ni-
ſi rem quālibet ab intellectu cognitam , vel ipsi obje-
ctam : eò enim conceptus dicuntur , quod ab intellectu
concipiantur ; eoque dicuntur objectivi , quod ipsi ob-
jectiantur intellectui. Nota 2. ; quod, cum intellectus
cognitio etiam dicatur intentio ; res primò , ac dire-
ctè cognitæ secundùm esse , quod ex se ipsis habent,
dicuntur Conceptus objectivi primò intentionaliter
sumpti ; v. gr. animal cognitum , ut vivens sentiens:
Cum verò secundò , & reflexè cognoscuntur secun-
dūm aliquam formam ipsis à natura non habitam,
Conceptus obiectivi secundò intentionaliter sumpti
appellantur ; v. gr. animal cognitum cum relatione
ad inferiorà, hominem scilicet, & brutum.

2 Nota 3. : Conceptum obiectivum , sive primò ,
sive secundò intentionaliter acceptum , esse concre-
tum accidentale ex re , & intentione compositum.
Itaque conceptus primò intentionalis ex cognitione , &
re cognita conflatur : Conceptus secundò intentiona-
lis importat de materiali rem , ut primò cognitam ; &
de formalī secundam intentionem , quæ in cogni-
tione reflexa , vel aliquā formā ab illa proveniente,
juxta Sententiarum diversitatem , consistit. Inde jam
colliges , conceptum primò intentionalem , formaliter , ut talem , importari de materiali respectu secun-
dā intentionis , ut secundò intentionaliter accipiatur ;
sicut res secundūm esse naturale respectu primæ in-
tentionis , ut fiat conceptus primò intentionalis.

3 Colliges 2. : Conceptus obiectivos primò inten-
tionaliter sumptos de materiali non esse objectum
primarium Logicæ : quia , prout sic , sunt res secun-
dūm esse naturale , de quibus Logica per se non agit;
Logica , ait D. Thomas: (1) Cum considerat universale ,
non considerat ipsum , quantum ad naturam subiectam .
per

Art. IV. Vtr. Concept. Object. sint Objectum &c. 313
per se: non enim considerat hominem in eo, quod homo; sed
in eo, quod species. Solùm ergò procedit difficultas de
conceptibus objectivis primo intentionaliter inspectis,
formaliter ut talibus, prout se habent de materiali
respectu secundæ intentionis. Vel aliter: Procedit
difficultas de conceptibus objectivis secundò intentio-
naliter sumptis pro substracto, & de materiali; quia
de formali sunt obiectum formale.

Nostra Conclusio.

4 DICIMVS: Conceptus objectivi secundò inten-
tionaliter sumpti sunt obiectum materiale prima-
rium, & intrinsecum Logicæ. Patet conclusio ex D.
Thomà, (2) dicente: *Logica agit de secundis intentio-*
nibus adiunctis primis; sed primæ intentiones, quibus
secundæ junguntur, sunt conceptus objectivi: Ergò.
Et alibi: (3) *Logica agit de omni ente*, ut subest secun-
dis intentionibus; sed omne ens, ut subest secundis in-
tentionibus, est conceptus objectivus: Ergò. Huc fa-
cit, quod docet idem Doct. Angelicus: (4) *Logica (in-*
quit) non considerat hominem in eo, quod homo; sed in
eo, quod species. Sed homo, quatenus est species, impor-
tat de materiali conceptum objectivum, licet de for-
malí dicat secundam intentionem: Ergò.

5 PROB. jam conclusio ratione: Illud est obje-
ctum materiale Logice immediatum, & primarium,
quod propriè, & immediate recipit objectum forma-
le; sed conceptus objectivi propriè, & immediate re-
cipiunt objectum formale Logicæ: Ergò. Mai. est cer-
ta; quia materia comparatur ad formam, ut recipiens
ad receptum. Prob. min.: Formale Logicæ objectum
est secunda intentio artefacti logici, ut nemo negat;
sed hæc secunda intentio recipitur in conceptibus ob-
jectivis. Ergò. Prob. min. 1. ex D. Thomà: (5) Secun-

(2)
D. Thom.
opusc. 56.

(3)
D. Thom.
4. Metaph
lect. 4.

(4)
D. Thom.
opusc. 56.

(5)
D. Thom.
4. Metaph
lect. 4. ap.
Lang. hic
num. 418

314 Lib. I. Quest. II. de Objecto materiali Logice.
da intentio rationis, quæ est objectum Logice, reperi-
tur in rebus ab intellectu consideratis; sed res conside-
ratæ sunt conceptus objectivi: Ergò.

6 Prob. 2. eadem min.: Secunda intentio propriè recipitur in eo, quod propriè denominatur genus, differentia, sujectum, & prædicatum; sed conceptus objectivi propriè denominantur genus differentia, subiectum, & prædicatum: Ergò. Prob. min.: In primis in hac propositione: *Homo est animal*, illud est subiectum, de quo aliquid dicitur, & illud est prædicatum, quod dicitur de subiecto; id enim sunt subiectum, & prædicatum; sed de entitate hominis cognita, ut inferiori, dicitur *animal*; & entitas anima- lis cognita, ut superior, dicitur *de homine*; neque in alio sensu vera esset propositio: Ergò. Deinde: In hac definitione: *Animal rationale*, animal est, quod prædicatur de pluribus specie differentiis; & rationale de numero differentiis: Ergò animal, & rationale recipiunt secundas intentiones generis, & differ- rentiæ.

7 — *Si dicant*: Conceptus objectivos esse id, de quo aliquid dicitur, & quod dicitur de alio; esse itidem, quod prædicatur de pluribus, sive specie, sive nume- rò differentiis, ut *quod*, & in essendo; non verò, *ut quo*, & in repræsentando. Facilè ex dictis art. 2. & 3. impugnabuntur: Ex ibi enim dictis constat, artefacta in repræsentando non esse propriè artefacta: Er- gò solùm sunt propriè artefacta, quæ talia sunt in es-

(6) (6) *Adde*, Logicam, ubicumque agit de genere,
P. Loff. in de specie, de differentia, aliisque logicis artefactis;
Ir. 3. disp. ea, quæ docet, solùm artefactis in essendo tribuere:
I.c. 1.n. 1. Et vel ipsi Contrarii(6)logicū genus per esse prædica-
& disp. 2. bile de pluribus specie differentiis, & differentiam
cap. 1.n. 2. per esse prædicabilem de pluribus in quale *quid*, defi-
nire

Art. IV. Vir. Concept. Object. snt Objectum, &c. 315
nire solent. Ad quid ergo definiunt in Logica, quod
Logicæ non interest?

8—*Alii resp.* : Subjectum, & prædicatum in sensu
physico usurpata esse id, de quo aliquid dicitur, &
quod dicitur de alio; at verò subjectum, & prædicata-
tum in sensu logico esse id, quod formaliter repræ-
sentat subjectum, & prædicatum physicum. Hæc so-
lutio penes terminos tantum à prima differt; ac per
consequens eodem modo refutari debet. *Sed interim*
rogabis ab Adversariis: *Quare*, cum de Genere Lo-
gico, & Differentia, de Universali, & Prædicabili
disputant more logico; suarum obliiti repræsentatio-
num, de solis naturis agunt; hæ sunt, quas principa-
liter definiunt; earumque proprietates demonstrant?
Si dicant: (7) *Quia sunt illarum termini extrinseci.* *Vt*
quid tanta cura de termino extrinseco; cum ferè nul-
lam suo Generi logico navent operam?

9—*Sed adhuc impugnatur* Solutio ista: Juxta plures
Contrariorum (8) Judicium, quod est Conceptus for-
malis hujus propositionis: *Homo est animal*, est actus
simplex; sed hoc ipso nequit esse subjectum, & præ-
dicatum logicum: Ergo hæc denominatio tribuenda
est conceptibus objectivis. Prob. min.: Ex subjecto, &
prædicato formalibus resultat formalis compositio;
sed ex simplici actu formali nequit fieri formalis com-
positio, quæ est distinctorum unio: Ergo. *Si dicant:*
Conceptum illum esse compositionem repræsentati-
vam; quia objectivam compositionem repræsentat.
Inferes 1.: Ergo representat, quod non datur in ob-
jecto, & consequenter singit; quo nihil falsius apud
Contrarios. Conseq. tenet: quia, cum animal, & ho-
mo in se ipsis nullo modo, juxta illos, distinguantur;
nequeunt efficere compositionem.

(7) *P. Loff. tr.*
1. disp. 2.
c. 6. n. 27.
(8) *Vide Pat.*
Loff. tra. I
disp. 2. c. 7.
num. 17.

10—*Inferes* 2.: Ergo est artificium logicum purè
Rr 2 repræ-

repræsentativum; consequenter non illud recipit, sed
repræsentat. Consequent. liquet; quia artificium pro-
positionis est compositio, vel divisio, clamantibus Ad-

(9) *Inferes* 3. : Ergò Conceptus ille forma-
P. Loff. tr. 1. disp. 2. 6. 7. n. 31. lis, sicut repræsentat hominem, & animal, ita repræ-
sentat utriusque identitatem, ut ita sit etiam copula
formalis; sed hoc repugnat. Ergò. Prob. min. : Ille con-
ceptus est formalis, & repræsentativa distinctio inter
animal, & rationale : Ergò nequit esse formalis, &
repræsentativa illorum identitas. Conseq. liquet ex
terminis. Ant. ex eo constat, quod apud illos homo, &
animal solùm ex parte actùs distinguantur, ut suo lo-
co videbimus.

11 PROB. 2. Conclusio : Illud, circa quod ver-
santur, & de quo regulæ Logicæ verificantur, est
eius objectum primarium, saltem materiale; sed regu-
læ Logicæ versantur circa conceptus objectivos, & de
illis verificantur; ergò. Mai. est certa apud Contrarios.
Prob. min. : Istæ sunt regulæ Logicæ : *Definitio* debet
converti cum suo *definito* : *Divisio* debet fieri in membra
mutuò *sese excludentia* : *Syllogismus* debet constare tri-
bus terminis, &c. Sed omnes versantur circa conce-
ptus objectivos, de quibus ad litteram verificantur:
Ergò.

12 Conf., & præoccupatur instantia : Si aliqua Lo-
gicæ regula de conceptibus objectivis non verificantur,
esset ista : *Definitio* debet esse clarior *definito*, & al-
iqua similis; sed hæc ad litteram verificantur : Ergò.
Prob. min. : Per hos conceptus objectivos; *Animal*, *ra-
tionale*, clarissim patet nobis hominis essentia, quam
per hunc conceptum objectivum *homo*; sed primi con-
ceptus sunt *definitio* objectiva, & secundus est *defini-
tum* : Ergò. *Mij.* patet : quia in hoc conceptu *homo*
essentia importatur implicitè, in illis vero explicite.

At verò , neque ista , neque alia Logicæ regula , ab Adversariis non facta , verificatur de conceptibus formalibus , nisi extrinsecè , & impropriè . (10) (10)

13—*Respondent Contrarii*, (11) regulas illas verificari de conceptibus objectivis , si accipientur , ut sonant ; non verò si explicitur à Logicæ intentionem : (11) quia sic reddunt sensum repræsentativum ; v. gr. *Definitio, & definitum formalia debent de eodem objecto verificari* ; & sic de reliquis. Sed , si Contrariis ita licet regularum sensum detorquere ; cur nobis erit illicium , quas ipsi pro se allegare solent , de re significata intelligere ? Ergò , ne quisque pro libito suo sensu abundet ; necesse est , nullam regulam alterare ; sed eas in suo proprio sensu relinquere. (12)

14—Aliqui (12) nobiscum convenient , admittentes conceptus objectivos in objectū materiale primariū Logicæ: Veruntamen prætendunt , eos non esse adæquatū , sed inadæquatū ; quia nō objectivi tantū , sed formales etiam conceptus , sunt ejus objectum materiale primarium , & proprium. Sed pace composita cum his Authoribus in ea parte , quā nobiscum sentiunt conceptus objectivos esse objectum materiale primarium Logicæ : eosdem esse objectum adæquatum , facile inferes ; si Voces , & Conceptus formales excluseris , prout excluduntur art. 2. & 3.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

15 **A**RGVES 1. : Objectum materiale Logicæ debet esse modus sciendi ; est enim Logica: *Facultas de instrumentis sciendi* ; sed Conceptus objectivi non sunt modus sciendi : Ergò. Prob. min.: Modus sciendi est: *Oratio confusè cogniti manifestativa* ; sed Conceptus objectivi non sunt manifestatiyi , sed

manifestati per Conceptus formales : Ergò. *Ad arg*

- (13) *sunt (13) qui respondeant*, negando primam majo-
Lang. lib. rem ; quia objectum materiale non est præcisè mo-
1. quest. 3 dus sciendi ; sed quod scitur etiam per modum scien-
art. 1. num di. Et si illis *opponas*: Ergò omne ens erit objectum Lo-
43. & n. gicæ, cum omnes ens sit objectum modi sciendi, ut po-
449. te capax illius manifestationis. *Respondent*, dist. con-
Et Server seq.: Omne ens sub omni ratione neg. ; sub abstra-
disp. 2. cap ctione ab omni materia, ob imperfectionem, quæ est
7.n. 59. ratio sub quæ Logicæ, concedunt conseq.; *Logica etiam*
114) *erit de his, quæ communia sunt omnibus, id est de inten-*
D. Thom. *tionibus rationis, quæ ad omnes res se habent.* (14)

- 1. post. lect* 16 *Resp.* nihilominus consequenter ad dicta; con-
20. cessà mai., neg. min. ; ad prob., dist. mai. : Modus
 sciendi sumptus dialecticè, & in repræsentando est
Oratio, &c. conc. mai. ; sumptus logicè, & in essen-
 do, neg. mai. Licet enim Conceptus obiectivi non
 sint modus sciendi in repræsentando, & consequen-
 ter orationes dici non possint ; sunt tamen modus
 sciendi in essendo ; quia formaliter, & per se ipsos
 confusè cognitum manifestant, definitio scilicet defi-
 nitum, divisio divisum, & sic de reliquis, ut dixi-
 mus suprà.

- 17 *Dices* : Conceptus obiectivi sunt obscuri, &
 manifestati per Conceptus formales : Ergò nequeunt
 formaliter, & per se ipsos manifestare. *Prob. conseq.* :
Implicat, idem simul esse manifestans ; & manifesta-
 tum : Ergò. *Conf.* Quod formaliter manifestat, de-
 bet realiter à manifestato distingui ; aliàs effet signum
 sui ipsius ; sed definitio obiectiva, v. gr. *animal ratio-*
nale, non differt realiter, ab homine, qui est mani-
 festatus : Ergò. *Ad inst. resp.*, neg. conseq.; *Ad prob.*
dist. ant. : Sub eadem ratione, conc. ant. ; sub diver-
 sis rationibus, neg. ant. *Artefacta obiectiva*, v. gr. de-
 fini:

Art. IV. Vtr. Concept. Object. sunt Objectum, &c. 319
finitio est manifestata respectu conceptuum formaliū; est autem manifestativa respectu definiti; in quo nulla involvitur implicantia.

18 *Ad Conf.*, dist. mai. : Debet realiter adæquatè distingui, nego mai. ; realiter inadæquatè, conced. mai. ; & sic distinctà min., nego conseq. : Definitio obiectiva duo importat, nempe prædicata essentia definiti de materiali, & secundas intentiones generis, & differentiæ de formalī: Licet ergò de materiali à definito non differat realiter, differt realiter negativè ex parte formæ; quod sufficit, ut non sit signum sui ipsius. (15) *Dices iterum* : Sicut Logica tota est de modo sciendi, ita Pictoria tota est de imaginibus; sed Pictoria nihil curat de imaginum objectis: Ergò. *Resp.* neg. conseq. : Quia objecta imaginum non recipiunt formam Pictoriæ; objecta vero modi sciendi recipiunt intrinsecè formam Logicæ.

19 *Inßtab.* Conceptus objectivi non recipiunt intrinsecè formam Logicæ: Ergò. Prob. ant. : Conceptus objectivi non sunt propriè genus, & differentia: Ergò. Prob. ant. : Genus, & differentia debent converti cum definito, per nos; sed conceptus objectivi non convertuntur cum definito: Ergò. Prob. min.: Conceptus objectivi, secundò intentionaliter sumpti, important de formalī secundas intentiones; sed secundæ intentiones non convertuntur cum definito: Ergò: *Ad inß.*; neg. ant. ; ad prob. neg. ant. ; & dist. maj. prob.: Genus, & differentia pro materiali, conceded. mai. ; pro formalī, nego maj. ; & sic distinctà min., nego conseq. Conceptus objectivi, secundò intentionaliter sumpti, de materiali, quo modo sunt objectum materiale, convertuntur cum definito; licet non de formalī, quatenus jam sunt objectum formale.

(15)
*Vid. Dial.
lib. I. ques.
I. art. 2.*

20 *Repliç.* Conceptus objectivi , secundo intentionaliter sumpti, de materiali sunt Conceptus objectivi primò intentionaliter sumpti : Ergò, si solum de materiali convertantur cum definito , solum primò intentionaliter convertuntur , eruntque objectum materiale Logice. *Resp.*, dist. Conseq. : Solum convertuntur , eruntque objectum materiale in actu primo , seu in potentia proxima , concedo conseq. ; in actu secundo , nego conseq. Sicut enim paries est objectum materiale visus ; est tamen præcisivè ab albedine solum in actu primo , & sub albedine in actu secundo ; ita Conceptus objectivi primò intentionales, præcisivè à secunda intentione , sunt objectum Logice in actu primo , & sub intentione ipsa sunt in actu secundò. Hæc in quævis arte parificari possunt. (16).

(16)
Vid. supr.

v. 3.

21 *Repliç. adhuc :* Conceptus objectivi non sunt capaces secundæ intentionis : Ergò. Prob. ant. : Solum est capax secundæ intentionis , quod est in intellectu; sed conceptus objectivi primò intentionaliter sumpti non sunt in intellectu: Ergo. Min. liquet; quia illi conceptus sunt entitates reales significatae , quarum species , & cognitiones tantum extant in intellectu. *Resp.*, dist. min.: Non sunt in intellectu subjectivæ, sicut species , & cognitiones, conc. min.; non sunt objectivæ, neg. min., & conf. Mediante specie, quæ subjectivæ est in intellectu , objiciuntur etiam entitates repræsentatae; adeoque dicuntur conceptus objectivi.

(17)
Vid. Irrib.
l. I. quæst.
2. art. 3.
arg. 2.

22 ARGVES 2. : (17) Illud est objectum materiale Logice, quod plus ad eius finem conducit. Sed conceptus objectivi parum , aut nihil conducunt ad finem Logice : Ergò. Prob. min. : Finis Logice est veritatis manifestatio; sed ad veritatem manifestandam parum conducunt Conceptus objectivi : Ergo. Prob. min.: Illud conducit ad veritatem manifestandam , in quo clari-

claritas ordinata reperitur ; sed in conceptibus objectivis claritas ordinata non reperitur , cum indigeant lumine conceptuum , ut declarentur : Ergò. Conf.: Logica (18) inventa est , ut intellectus in ipso actu rationis ordinatè , & sine errore procedat ; sed ablatà objectorum coordinatione , cum solà mentali demon- stratione, ita procederet. Ergò.

(18)
P.Lyf. tr.
1. disp. 2.
c. 6.n. 24.

23 Ad arg. resp. ; dist. ultimam maj.: In quo claritas reperitur propriè , & subjectivè , concedo maj.; impropriè , & repræsentativè , neg. maj. ; & sic dist. min., nego consequentiam. Licet in conceptibus formalibus claritas reperiatur ; hæc tamen claritas est naturalis , non verò artificialis, nisi tantùm repræsentativè, & impropriè ; ut multoties dictū relinquimus: Cæterùm in conceptibus objectivis reperitur claritas vi artificiosi ordinis , quo disponuntur objecta ; sive que est claritas artificiosa, & in essendo. Ad Conf., neg. min. : Vel dist. illam : procederet ordinatè , & sine errore in cognitione naturali , sicut procedit multoties homo rusticus , concedo min. ; in cognitione artificiali logicā , neg. min. Imò, cum Logica ordinet actus propter objecta; deficiente ordinandorum objectorum intentione , nullo ordine logico procederet in actu rationis.

24 Dices contra solutionem arg. : Claritas ordinata reperitur propriè, & subjectivè in actibus intellectus : Ergò non reperitur in conceptibus objectivis. Prob. ant. : Ibi reperitur claritas ordinata , ubi est capacitas erroris ; sed hæc solùm reperitur in conceptibus formalibus : Ergò. Prob. min. : In hæc propositione : *Deus est finitus* , datur error ; sed hic error, non est in conceptu objectivo : Ergò. Min. patet ; quia Deus est incapax erroris. Resp. neg. ultim. min. ; & dist. ejus prob. : *Deus est incapax erroris effectivè*,

322 Liber I. Quæst. II. de Objecto materiali Logice
concedo ant. ; subjectivè , subdist. : Secundum se, vel
perfectè cognitus , concedo ant. ; cognitus imperfe-
ctè cognitione inadæquatà , & defectuosà , neg. ant.;
& conseq.

25 Licet Deus non possit erroris esse causa , po-
test esse subjectum illius ; non tamen secundum se,
neque conceptu Theologico , & perfecto attractus; sed
solum attractus cognitione imperfectà , & erroneà, quia
sic facile intellectus illi attribuit , quod ipsi repugnat:
Sicut enim Deus est subjectum moralis offendæ , non
secundum se , sed ut aversivè attractus per peccatum;
ita est subjectum erroris , non secundum se , sed ut
falsò cognitus. *Nec dicas* : quòd si Deus , ut falsò co-
gnitus , est capax erroris ; sola cognitio , & non Deus
erit erroris capax : Sicut albedo disgragat visum, hoc
ipso , quod paries , ut albus , disgraget visum. *Resp.*
enim , neg. conseq.: Quia albedo est ratió formalis
disgregandi visum ; at verò apprehensio defectuosa est
mera conditio , ut Deus sit subjectum erroris.

26 *In stat.* : Deus quomodo libet apprehensus ne-
quit esse subjectum secundæ intentionis : Ergò. Prob.
ant. : Deus est incapax logicæ potentialitatis; sed sub-
jectum importat logicam potentialitatem respectu se-
cundæ intentionis : Ergò. Prob. maj. : Deus est in-
capax potentialitatis metaphysicæ , aliás posset com-
poni ex genere , & differentia : Ergò. Conf. : Sicut
Deus est summè simplex , ita est actus purus ; sed
quia est summè simplex, non admittit compositionem
ex genere , & differentiâ : Ergò , quia est actus pu-
rus , non admittit potentialitatem subjecti logici re-
spectu secundæ intentionis.

27 *Ad inst.* , neg. ult. Conseq. : Disparitas est:
quia potentialitas metaphysica exclusionem ge-
nerici conceptus , à conceptu differentiali requirit,
qua

quæ Deo repugnat: (19) At verò potentialitas logica subjecti respectu prædicati , in quo secunda intentio fundatur , non requirit exclusionem conceptus prædicati à conceptu subjecti ; sed sufficit distinctio inclusiva suo loco explicanda ; quæ in Deo statuitur à Theologis. (20) Et , si hujus disparitatis rationem quæras ; hæc est : Quia compositio metaphysica fit, contrahendo rationem genericam ad differentialem, ad quod requiritur , quod ratio genericā non sit implicitè in differentiali ; secūs , non esset propria contractio . Ad compositionem ex subjecto , & prædicato sufficit, exprimi prædicatum, quod in subjecto erat occultum ; ut in hac propositione : *Homo est animal rationale.*

(19) *Vid. Gonet in Clyn. Theolog. tr. 1. disp. 3. ar. 3. à. n. 34.*
 (20) *Vid. Gonet ubi supr. art. 4. num. 12.*

28 *Quod si dicas* , in propositione negativà , v. gr. *Deus non est creatura*, non fundari potentialitatem logicam subjecti in distinctione inclusivâ: *Fatetur equidem* ; quia ibi datur major distinctio subjectum inter , & prædicatum , in quâ fundatur potentialitas subjecti negativæ propositionis. *Ex dictis patet* disparitas ad *Conf.* : Potentialitas enim subjecti ad recipientiam secundam intentionem fundatur in potentialitate respectu prædicati , & hæc ulterius in utriusque distinctione saltem inclusiva , quæ verè est in Deo; atque adeo datur in Deo illa potentialitas : Cæterum compositio metaphysica fundatur in aliquâ compositione reali , quæ Deo repugnat omnino.

29 *ARGVES* 3. : Entitas objectiva rei , quæ definitur , non ponitur ex directione Logicæ : Ergò. Prob. ant. : Ea entitas præsupponitur, non solùm secundum se , sed etiam , ut cognita , ante Logicæ directionem: Ergò. Ant. liquet : quia priùs debet cognosci , quam ipsi secunda definiti intentio tribuatur. *Conf. 1.* : *Quod est* objectum materiale primarium Logicæ , debet

324. Liber I. Quæst. II. de Objecto materia Logice?
principalius à Logicâ definiri; sed in generis definitione principalius, juxta plures Thomistas, secunda intentio, quām natura, definitur: Ergò. Conf. 2.:
(21) Asinus, & mulus sunt objectivi conceptus; sed de asino, & mulo nullam Logica curam habet: Ergò. Min. est certa; quis enim dicat Logicam stabuli Præfectam?

(21) A. Arriag
dis. 2. Log
section. 1.
subsec. 2.
in princ.

30 Resp. ad arg., instando illud: Lapidès præsupponuntur ad Architectonicæ directionem; ligna ad directionem Lignariæ; & sic de aliis: Ergò non sunt objecta materialia illarum artium? Deinde: dist. primum ant.: Non ponitur ex Logicæ directione secundum esse intrinsecum, & naturale, concedo ant.; secundum esse accidentale, & artificiale, nego ant., & conseq. Materia enim, ex quā fit artefactum, præsupponitur quidem ad artis directionem; media tamen artis directione, habet esse artificiale; quod sufficit, ut ea obiectum materiale dicatur; ut in singulis artibus patet. Ad primam conf.; dist. maj.: Debet definiri principalius, quām secundarium obiectum, conc. maj.; principalius, quām formale obiectum, qualis est in genere secunda intentio, neg. maj.; & concessa min., nego conseq. Solutio patet ex terminis.

(22) Vid. P. Loff
tr. 1. disp.
2. cap. 6.
à num. 2.
usq. ad 6.
& d. n. 22
usque ad
23. inclus.

31 Ad 2. Conf., insto arg.: Mendacium, & hæresis sunt conceptus formales; sed de mendacio, & hæresi nulla est Logicæ cura: Ergò nulla est cura de conceptibus formalibus? Iterum resp., dist. maj.: Sunt conceptus obiectivi penè nudas entitates, nego maj.; ut substant secundis intentionibus, conced. maj.; & sic distincta min., nego conseq. Solutio constat ex num. 1.
2. & 3. Alia contrariorum (22) argumenta, aut facile ex dictis solvuntur, aut nihil amplius probant, quām conceptus obiectivos non esse obiectum formale

le Logicæ ; quod liberè confitemur. Ex dictis jam colliges , omnia entia , sive realia , sive rationis, ab intellectu cognita, esse Logicæ materiale obiectum ; ea enim omnia possunt à forma Logicæ simpliciter denominari; ut in hac propositione : *Ens rationis non est ens reale.*

QUÆSTIO III.

DE OBJECTO FORMALI LOGICÆ.

ARTICULUS I.

Vtrum aliquod artificium actuum Intellectus sit Obiectum formale Logicæ

1 **U**T certum supponimus , obiectum formalē Logicæ , ut & aliarum artium , esse artificium aliquod regulis Logicæ directum. Est autem directio duplex , altera activa , passiva altera : *Directio activa* est ipsa regula dirigens , seu exercitium regulæ dirigentis : *Directio passiva* est ordo , seu rectitudo , in obiectis ex activa directione resultans. At verò cuilibet directioni sua correspondet *Dirigibilitas* , activa scilicet , & passiva. *Dirigibilitas activa* , quæ *Directio activa in actu primo* , seu *Directivitas* dici solet , est capacitas regularum ad dirigendum. *Dirigibilitas passiva* , quæ etiam *Directio passiva in actu primo* nominatur , est objectorum capacitas , ut dirigantur.

2 — *Adverte tamen* , aliquos Recentiores (1) passim dirigibilitatem accipere , non pro objectorum , ut dirigantur , capacitate ; sed pro directione ipsa ; non quidem , ut actuali ; sed , ut possibili : in quo sensu affirmant ,

(1)
Vid. Doct.
Serv. dis.
3. cap. I.
num. 6.

326 Liber I. Quest. III. de Objecto formalis Logicae.

firmant, conceptus formales pertinere ad Logicam, ut dirigibiles; sicut intelligibile ad intellectum, & amabile ad voluntatem. Adverte 2., apud alios (2) bifariam posse aliquid esse dirigibile; subiectivè scilicet, & obiectivè. Subiectivè dirigibile illud dicunt, quod præsupponitur existens cum indifferentia ad recipiendam formam artificiosam, antequām dirigatur; v. gr. lignum respectu artis Statuaricæ. Objectivè dirigibile appellant, quod ex suo genere est rectum; indifferentem tamen, ut existat, vel non existat: ideoque ex artis directione ponitur sub existentiā potius, quam ejus oppositum.

3—Hæc cīne dixerimus, ut Adversariorum opinio-nes facilè intelligantur, & impugnentur. Quatenus autem ad nos attinet; dicimus, esse subiectivè diri-gibile, quod est capax actualis passivæ directionis; si-vè præsupponatur existens, aut secūs: reliqua verò esse tantum extrinsecè dirigibilia, vel per modum si-gni, vel actionis, aut obiecti. Certum est 1.: Quod ne-que dirigibilitas activa, neque activa directio est obje-ctum formale Logicae; quia utraque à Logica regu-lis est indistincta. Certum est 2.: Dirigibilitatem pas-sivam obiecti materialis non esse obiectum forma-le; quia illa præsupponitur in materia, ut necessaria conditio ad recipiendam formam artificiosam. (3)

(3)
Vid. Palan
quest. 4.
à num. 11.
& Irrib.
quest. 2.
art. 4.

4—Supereft igitur indaganda difficultas de directio-ne passivæ actuum intellectus, & cōceptuum objectivo-rum. Cum enim Jesuitæ communiter afferant, actus intellectus, seu conceptus formales esse objectum ma-teriale Logicae; ex consequenti affirmant, eorundem

(4)
P. Loffada
ubi suprà
num. 16.

artificium, quod in eorum passivæ directione, seu (ut aliis placet) dirigibilitate objectivæ consistit, esse formale Logicae objectum. Illud artificium consistere, dicunt (4) in speciali, ac certo modo repræsentandi obje-

objecta in modum artefacti logici; qui tamen repræsentant i modus à specifica actuum repræsentatione non est realiter distinctus; ut fatentur ipsi. Oppositum tenent Thomistæ; negantes quippe, actus intellectus esse objectum materiale Logicæ.

Nostra Conclusio.

5 *DICIMVS*: Objectum formale Logicæ non est aliquod artificium actuum intellectus, seu eorum passiva directio. Hæc conclusio constat 1. Ex D. Thomæ alibi allegato. (5) *Constat 2.*: Quia forma Logica est ea, vi cuius ejus materia denominatur artefactum logicum; sed actus intellectus sunt incapaces denominationis propriæ artefacti logici; solum enim sunt artefacta in repræsentando: Ergo sunt incapaces artificii, quod sit objectum formale Logicæ. *Vide quæst. 2. art. 3. à num. 4. & sequent.*

6 *PROB.* Conclusio: Si aliquod artificium actibus intellectus intrinsecum esset objectum formale Logicæ, illud esset distinctum ab actibus, vel cum ipsis actibus identificatum; sed neutrum verum est: Ergo. *Prob. min.*; quoad primam partem: Illud artificium consistit per vos in speciali, ac certo modo repræsentandi objecta; sed actus intellectus ex suismet entitatibus naturalibus illo speciali modo objecta repræsentant: Ergo. *Min. patet.*: *Tum*; quia hæc cognitio animal rationale, sive à Logico, sive à Rustico producatur, eodem modo essentialia hominis prædicta notificat: *Tum etiam*; quia actus intellectus secum identificant suum tendendi modum specificatum in objecta.

7 *Prob. jam prima minor*, quoad secundam partem: Objectum formale cuiuslibet artis debet esse forma artificialis realiter à materia distingue, ipsique acci-

(5)

*Vide supr.
quæst. 2.
art. 3. n. 3.*

accidentaliter adveniens; sed artificium actuum intellectus est, per vos, objectum formale Logicæ, & actus intellectus sunt ejus materia: Ergò illud artificium, si esset objectum formale Logicæ, esset ab ipsis actibus realiter distinctum. Maj. patet in quolibet arte, sive factivâ, ut in Domificatoria artificium dominus, & in Pictoriâ artificium imaginis; sive activa, ut in saltatoria artificiosus saltandi modus, qui non secundum à saltibus, ac sessio à sedente, & cursus à currente, differt.

8— Sed, quia Adversarii majorem illam de artibus

(6)

P. Loffada
fr. 1. disp.
2. c. 7. nū.
23. & cap
D. num. 5.

activis negant, (6) concedunt autem de factivis; vide quæ diximus suprà questione 2. articulo 3. à numero. 6.; ubi satis ostendimus, Logicam non esse artem purè activam. Interim contra solutionem ipsis solutionis exemplis insurgimus. Primi: Saltatoria, & Musica sunt artes activæ; sed earum forma artificiosa realiter à materia differt: Ergò pariter, dato, & non concesso, quod Logica sit ars actionis; forma artificiosa debet esse realiter ab actibus intellectus distincta. Prob. min.: Materia Saltatoria sunt pedum motus præcisivè à quolibet artificio; sed illi motus sunt realiter diversi ab artificio saltandi: Ergò. Prob. min.: Modus physicus realiter distinguitur à re, cuius est modus, ut patet in sessione, statione, & cursu; sed artificium saltationis est modus ipsius: Ergò.

9— Vrgetur: Quæ, divinitus saltem, valent separari, sunt realiter distincta; sed motus pedum, & artificium saltandi possunt divinitus separari: Ergò. Prob. min.: Idem numero saltus à saltatore productus, potuit, saltem divinitus, ab alio saltandi arte inscio produci; sed productus ab ignorantе non haberet artificium saltandi: Ergò, Maj. est certa; quia juxta Contrarios non repugnat, cunctem numero effectum du-

duplici causâ produci. Prob. min. : Licet ignorans artem possit operari opera artificiosa in actu primo, seu in potentia , non autem in actu secundo , ut nobiscum consentiunt Contrarii; (7) sed opera artificiosa tantum in actu primo non habent artis artificium , licet possint habere : Ergò. Idem argumentum fit de Musica, &c.

10—*Secundò impugnatur solutio :* Quod convenit materiae artis suâpte naturâ non est illi artificiale; sed repræsentatio actuum intellectus ipsis convenit naturâ suâ : Ergò. Maj. patet : quia naturale , & artificiale contraponuntur , ut dici solet secundo Physicorum. *Conf. :* Ars , sicut & natura , non nisi ex præsuppositâ materiâ quidquam facit , ut inquit P.Lossada; (8) sed in opere naturali præsupponitur materia realiter à formâ distincta : Ergò pariter. *Conf. 2. :* Repræsentatio actuum intellectus est eorum specifica vitalitas, quâ differunt ab actibus voluntatis ; sed specifica vitalitas actuum vitalium est ratio formalis Animisticæ: Ergò non est ratio formalis Logicæ.

11—*Impugnatur tertio :* Facultas practica debet introducere formam in materiam distinctam , ut patet in Domificatoria , Lignaria , Ferraria , &c. Sed Logica , per vos , est simpliciter practica: Ergò si artificium cognitionis esset ejus forma , deberet à cognitione distinguiri. *Nunc sic :* sed artificium actuum intellectus non est distinctum ab ipsis actibus : Ergò illud artificium non est forma Logicæ. *Conf. , & præoccupatur solutio :* Licet Grammatica , & Rhetorica sint artes actionis , artificium est à vocibus distinctum : Ergò pariter. *Conseq. tenet :* quia sicut actus intellectus sunt repræsentativi , ita voces sunt significativæ. *Ex quibus jam colliges , in potentiis naturalibus , & habitibus peculatoriis non requiri distinctionem realem*

(7)

Vide sup.
queſt. 1.
ar. 7. num
29. & Ser.
disp. 1. cap
9. n. 89.

(8)

P. Lossada
in Physica
tr. 2. disp.
1. c. 3. n. 2

320 Lib. I. Quæst. III. de Objecto formalis Logice.
inter objectum materiale, & formale; quia objecta
non faciunt, sed præsupponunt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

12 — RGVES 1. D. Thomas in proœmio Ethicæ

(9) **A** corum (9) docet, quod Logicæ pro ob-
jecto respondet Ordo, quem Ratio considerando facit in
Proprietate actus; putat cum ordinat conceptus suos ad invicem:
ibidem apud Sicut Ethicæ Ordo, quem Ratio considerando facit in ope-
rationibus voluntatis: Et sicut artibus mechanicis Or-
do, quem Ratio considerando facit in exterioribus rebus,
2. cap. 4. 28 quarum ipsa est causa; sicut in arca, & domo; sed or-
do actuum voluntatis est objectum formale Ethicæ,
31. & ordo, seu dispositio arcae, vel dominus est objectum
Lignariorum, & Architectonicæ: Ergo ordo actuum in-
tellectus est objectum formale Logice.

13 — In isto argumentum, positâ eadem majori; sed
ordo, seu dispositio arcae, vel dominus realiter est di-
stinctus ab illarum materia: Ergo pariter ordo actuum
intellectus realiter ab ipsis actibus distinguitur? Si di-
cant, eam paritatem non in omnibus tenere, quia:
Exemplorum non requiritur paritas in omni, ut jam fe-
re omnibus in proverbio est: Idem, & nos dicimus
ad argumentum. Sed directè dicimus, D. Thomas
per illa verba *in proprio actu*, intelligere conceptum
objectivum, qui, cum sit ab intellectu conceptus, fa-
ctusque Objectivus; propriè est ab ipso actus: Com-
mune est enim *actum sumi* pro re construeta; sicut vo-
cantur *Acta Apostolorum*, Apostolorum gesta.

14 — Neque firmo caret fundamento interpretatio
ista à littera D. Thomæ desumpto. Ibi enim docet;
quod, cum Ratio, seu Intellectus ordinat conceptus
suos, facit ordinem *in proprio actu*; satis innuens, se
aliud,

Art. IV. Vir. artif. actuum intellectus Object. &c. 323
actiones Artificis, ut medium, non ut finem, intueretur; artificium autem dominus, ut finem proximum, & intrinsecum respicit; & denique hominum immunitatem à temporum incommodis, ut finem extrinsecum, & remotum: Ita Logica actiones intellectus, quatenus factivas, & representativas objectorum, non ut finem, sed ut medium, dirigit; artificium autem objectorum, ipsorumque objectivam veritatem, ut finem intrinsecum construit, ac speculatur: Et denique obiecta ita constructa ordinat, tamquam ad finem extrinsecum, ad actus intellectus; at mediis illis, ceterarum Scientiarum objecta scientificè speculentur. Non secùs ac Frænofactoria frænum ordinat ad Equestrem; ut eo munus rectè equitandi assequatur.

20 Dices: Rectitudo actuum intellectus est finis intrinsecus Logicæ: Ergo. Prob. ant.: Finis intrinsecus Logicæ est, quem Logica immediatus respicit; sed Logica immediatus respicit actuum rectitudinem, quam objectorum artificium: Ergo. Min. patet; quia media actuum rectitudine objectorum construit artificium. Resp. 1., dist. min. probationis: Immediatus respicit actuum rectitudinem, tamquam finem, neg. min.; tamquam medium, ad finem ordinatum, conc. min., & nego conseq. Solutio ex dictis liquet. Resp. 2., dist. majorem probationis: Quem Logica immediatus respicit in intentione, conc. mai.; in executione, neg. mai.; & sic distincta min., neg. conseq.

21 Quod est priùs in intentione est posterius in executione, & è contrà. Cum ergo rectitudo actuum intellectus sit executio rectitudinis objectorum; illa debet esse prior, & hæc posterior in executione. Ceterum, & rectitudo ipsa actuum intellectus, cum non propter se, sed propter objectorum artificium intendatur, non est prior, sed posterior in intentione. De ratio-

324 Liber I Quest. III de Objecto formalis Logice.
tione autem finis non est, quod sit prior in executio-
ne, cum ita priora sint media quibus assequitur; sed
quod prior sit in intentione: quia prius intenditur fi-
nis, quam media ad illum assequendum intendan-
tur.

(11)

Ex Palan-
tr. 1. quæs/
4. d. n. 42.

22. *Inßab.*: Actus (11) intellectus perfectiores
sunt, quam objectorum artificium; hoc enim est ra-
tionis, illi vero reales; sed perfectius nequit, nisi in-
ordinatè, ad imperfectius, tamquam ad finem, ordi-
nari: Ergò actus intellectus non sunt media ad finem
Logicæ, sed ipse finis, & quidem primus in inten-
tione. *Conf. 1.*: Actus intellectus juxta Thomistas sunt
finis remotus Logicæ; finis remotus prior est in inten-
tione, quam proximus, hic enim est propter illum:
Ergò. *Conf. 2.*: Finis ultimus non comparatur, ut
via, & effectio finis proximi; sed actus intellectus, ut
objecta logicalia representantes, sunt finis ultimus
Logicæ: Ergò.

(12)

Lang. l. 1.
quæs. 3. ar
2. n. 489.

23. *Ad inst., resp. 1.* (12) concessà mai., dist. min.:
Tamquam ad finem *cujus gratia*, concedo min.; tam-
quam ad finem *cui*, seu effectus, nego min., & con-
seq. Non enim est inconveniens, quod perfectius or-
dinetur ad imperfectius, tamquam ad finem *cui*, ut
patet in Incarnatione Verbi Divini, quæ, cum perfe-
ctior sit hominum redemptione, ad hanc eo modo

(13)

Vid. Gonet
p. 3. tr. 1.
isp. 5. art
1. n. 52.

fuit ordinata; canitur enim in symbolo fidei: *Qui*
propter nos homines, & propter nostram salutem descen-
dit de Cœlis; & incarnatus est. (13) *Resp. 2.* (14) *dist.*
mai.: Sunt perfectiores sumpti signatè, & *ut quod,*
concedo mai.; sumpti exercitè, & *ut quo,* neg. mai.

(14)

Coll. Rip,
lib. 4. dub.
3. n. 22.

Vel aliter: Entitative, & de materiali, concedo mai.;
formaliter, & in esse medii, & actionis respectu arti-
ficii objectivi in esse finis, & termini, nego mai.; &
sic dist. min., neg. conseq.

Licer

24 Licet enim actus intellectus, utpote reales intentionales, entitative, seu *ut quod accepti*, sint perfectiores artificio objectorum, quod est ens rationis; at verò sumpti formaliter, ut actiones illius artificis productivæ, & quatenus media ad illud, imperfectiores sunt: Medium enim, ut tale, imperfectius est sine. Similem traddidimus doctrinam de signo respectu significati: (15) At præsens apud omnes, qui ens rationis ab actu intellectus factum admittunt, debet esse vera. *Ad 1. Conf.*, dist. maj.: Finis remotus in intentione, conc. maj.; in executione, nego maj.: Et dist. min.: Finis remotus in executione, & primus in intentione, concedo min.; remotus in intentione, nego min., & conseq. Actus intellectus dicuntur à nobis finis remotus in ordine intentivo; licet priores sint in ordine executivo.

25 *Vel aliter*: dist. maj. primæ *Conf.*: Actus intellectus, ut effectivi, & representativi artificii logici, nego maj.; sic enim sunt actiones, & media; non finis: ut representativi objectorum aliarum Scientiarum, concedo maj.; & concessa min.; nego conseq. Solutio ex dictis constat. Cum enim Logica sit Scientia ministerialis, ordinata ad alias Scientias, ut ad finem extrinsecum, & remotum; pariter ordinat artefacta ad actus intellectus, ut sine errore procedant circa objecta aliarum Scientiarum: Sed non ea ordinat ad predictos actus, ut objectorum ordinem representent; sed potius è contrà contingit.

26 *Ad 2. Conf.*, dist. maj.: Finis ultimus in executione, concedo maj.; ultimus in intentione, subdist. Si non sit aliunde exercitium, seu id quo finis primus in intentione executivè consequitur, concedo; si sit, ut sunt actus intellectus ad ponenda artefacta objectiva in executione, nego maj. *Vel aliter*: Finis ultimus,

(15)

Vide lib. I.
Dialect. q.
I. art. I. n.
8.

326 Liber I. Quæst. III. de Objecto formaali Logice.
ut talis, concedo; sub alia ratione, quæ non est finis ultimus, nego maj., & minorem. Actus enim intellectus, ut repræsentantes objecta logicalia, non sunt ultimus finis, sed media; ut diximus: Solùm itaque sunt finis ultimus, ut repræsentantes objecta aliarum Scientiarum.

27 Replic.: Sicut actus intellectus, ut practicè finientes objectorum artificium, sunt medium ad illud construendum; ita objecta ipsa artificiosè disposita sunt media, quibus actus intellectus veritatem illius artificii speculantur: Ergò actus intellectus sunt finis ultimus in executione; adeoque primus in intentione. Resp. dist. ant., quoad secundam partem: Ita objecta, ut practicè constructa, concedo ant.; ut speculata, nego ant., & conseq. Itaque actus intellectus, ut constructivi objectivorum artefactorum, sunt actiones, quibus sunt artefacta; ut speculativi veritatis objectivæ, sunt ipsorum speculationes: Quemadmodum ergò primo modo non sunt finis, sed medium Logice, quatenus practicæ secundum quid; ita secundo modo medium sunt, non finis, Logice speculativæ.

(16)

Vide M. Palano. tr. I.q.4. a. n. 40. usq; ad 48. ubi ingeniosè discurrit.

(16)

28 Pro aliis solvendis nota 1.: Repræsentationem actuum intellectus, quoad entitatem esse naturalem, quoad modum vero repræsentandi, per modum generis, & differentiæ, esse artificiale; sicut actiones scribendi, & domificandi sunt entitativæ naturales, & modaliter artificiales. (17) Nota 2.: Logicam, quippe quæ veritatis est Magistra, respicere veritatem formalem, ut finem extrinsecum; ut intrinsecum vero solam veritatem artificiosam objectivam, quæ stat in conformitate dispositionis objectorum cum regulis Logice. Vnde, cum D. Thomas (18) afferit, veritatem esse in actibus intellectus, velut in subjecto,

(17)

Vide Pal. uoi sup. n.

36. & 37.

(18)

D.Th. 1 p. q. 16. a. 1. & alibi.

Ar t. II. Vtr. artif. reale Concep. Object. &c. 327
loquitur de veritate formalis. Aliarum D. Thomæ Authorit. ex Opus. 55. & 56. desumptarum expositionem ad librum de Universalibus differimus: Interea loci dicimus, sub dubio esse, an ea opuscula sint D. Thom., nec ne? Quorum his tantum verbis fidem damus, quæ certis D. Thom. Doctrinis arrident; qualia non sunt, quæ ab Adversariis nobis opponuntur. (19)

(19)

P. Loffada
tra. I. disp
2. cap. 4. n.
33. & 34.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquid reale artificium Conceptuum Objectivorum sit Objectum formale Logicæ?

1. **E**X hucusque dictis satis infertur, aliquid objectorum artificium esse objectum formale Logicæ; Tum à sufficienti partium enumeratione: Seclusis enim vocum, & conceptuum formalium artificiis, solùm artificiosa objectorum dispositio superest, cui dignitas hæcine tribuatur. Tum etiam, quia, cum ex dictis quest. præced. art. 4. constet, conceptus objectivos esse objectum materiale Logicæ, necessaria doctrinæ connexione infertur, eorundem formam artificiosam esse objectum formale. Tum denique; quia, si solùm Conceptus objectivi sunt propriè artefactum logicum, propriè genus, & differentia, subjectum, & prædicatum, ut ibidem (1) diximus; solùm eorum forma erit forma artificiosa artefacti logici, generis, & differentiæ, aut subjecti, & prædicati, in quâ objectum formale Logicæ uno omnium consensu consistit.

(1)

Vide supr.
q. 2. art. 4.
à num. 5.
& seq.

2. Hisce consentiunt Contrariorum plurimi, qui Conceptus objectivos objectum materiale Logicæ inadæquatum dicunt. Ceterum, ubi illius artificii for-

mam assignant; per aliam viam à nostrâ revertuntur in regionem suam. Dicunt etenim, artificium illud objectivum formaliter consistere in extrinsecâ denominatione *cogniti*, cuius forma est cognitio ipsa denominans; sive Genus nihil esse aliud, quām naturam cognitam, ut communem multis, quæ importat de materiali naturam, & de formalis cognitionem; idemque docent de reliquis Logicæ artefactis. Nos autem dicimus, formam illius artificii, non esse cognitionem, sed aliam formam, vi practicæ cognitionis efformatam; quæ, cum re verâ non sit in objectis, eam, dicimus, esse fictam, maximo licet cum fundamento.

3 Pro clarâ dicendorum intelligentiâ, *nota 1.*; quod ens (id est habens esse) est duplex; alterum reale, rationis alterum. Ens reale est, quod habet esse independenter ab intellectu fictione; quod, si habeat illud esse extra intellectum, ut Petrus, dicitur reale physicum; si illud habeat intra intellectum, dicitur ens reale intentionale; v. gr. operationes, & habitus intellectus. Ens rationis est illud, quod habet esse fictum ab intellectu; quod, si absque fundamento fingatur; ens rationis ratiocinantis dicitur, tenui chimæricum; v. gr. *Alter Deus*: *Mons aureus*: Si tamen cum fundamento fingatur, ut fingitur relatio generis ad differentiam; cum tamen ibi nulla sit vera relatio; dicitur ens rationis ratiocinatae. *Sed nota 2.*: Quod ens reale intentionale, eo quod ab intellectu habeat esse, licet absque ulla fictione, vocatur *Ens rationis subjectivum*; ens vero fictum *Ens rationis objectivum* dicitur, de quibus in Metaphysica.

Nostra Conclusio.

4 *DICIMVS*: Objectum formale Logicae non est aliquod

aliquid realis objectorum artificium, seu eorum passiva directio extrinseca. Haec conclusio, quae illos ad certamen revocat, quibuscum aliquando⁽²⁾ pacem habuimus ex parte compositam, constat ex D. Thoma,
 (3) docente: Logicam agere de illis intentionibus, quas ratio adiunxit in rebus consideratis, tamquam de objecto proprio. Sed cognitio, ut extrinsecè terminata ad objectum, non est aliqua intentio à ratione inventa in rebus consideratis: Ergò. Prob. min. 1.: Illa cognitio est adiunctio illarum intentionum: Er.
 gò. Secundò: Cognitio, extrinsecè terminata ad objectum, est objecti consideratio; sed illæ intentiones D. Thomæ adiunxitur in rebus jam consideratis: Ergò. Sed de hac autoritate iterum redibit sermo.

5 PROB. Conclusio: Objectum formale Logicæ debet esse forma artificiosa, intrinsecè recepta in materiâ Logicæ; sed directio passiva extrinseca conceptuum objectivorum non recipitur intrinsecè in conceptibus objectivis: Ergò. Min. patet; quia cognitio, quæ natura animalis extrinsecè denominatur cognita, non in natura, sed in intellectu recipitur intrinsecè. Prob. mai.: Objectum formale Logicæ debet esse forma artefacti logici; sed forma artefacti logici debet intrinsecè in materiâ Logicæ recipi: Ergò. Prob. min.: Forma domus debet intrinsecè recipi in materiâ; forma imaginis debet intrinsecè recipi in coloribus, &c. Ergò pariter: Constat enim, ita comparari Logicam ad sua artefacta; sicut Architectonica, & Pictoria ad propria opera constructa.

6 PROB. 2. Conclusio: Objectum formale Logicæ debet esse forma artefacti logici, ut nemo dubitat; sed extrinseca denominatio cogniti non est forma artefacti logici: Ergò. Prob. min.: Objecta, ut extrinsecè cognita, non sunt logica artefacta: Ergò.

⁽²⁾ Vide supr. q. 2. art. 4 num. 14. ⁽³⁾ D. Th. 4. Metaphys. lect. 4.

330 Liber I. Quæst. III. de Objecto materiali Logicæ.
Prob. ant. : Objecta , ut extrinsecè cognita , solùm
important de formalí cognitionem ad ipsa termina-
tam ; sed objecta , ut extrinsecè cognitionem termi-
nantia, non sunt logicalia artefacta: Ergò. Prob. min.:
Cognitio terminata àd objecta non denominat ipsa
formaliter artefacta : Ergò. Prob. ant. : Cognitio àd
objecta terminata est actio , quà intellectus practicè
conficit artefacta ; sed actio , quà intellectus practicè
construit artefacta , non denominat formaliter arte-
facta : Ergò.

7 Prob. min. : Actio , quà Pictor efficit imaginem
practicè artefactam , seu artificiosam , non constituit
formaliter artificium imaginis : Ergò pariter. conseq.
tenet à paritate : quia sicut Ars pictoria est simplici-
ter practica ; ita Logica , juxta Contrarios ; sed Pi-
ctoria non constituit formaliter artefactum pictum
per actionem , sed per formam distinctam in mate-
riam artis introductam : Ergò. Vrgetur : Sicut conce-
ptus objectivi sunt materia Logicæ ; ita conceptus
formales , juxta Adversarios , cum quibus agimus in
præsenti ; sed conceptus formales non denominantur
formaliter artefacta per extrinsecam denominatio-
nem à logicà directione desumptam , sed per formam
intrinsecam : Ergò pariter.

(4) 8 Respondere solent Adversarii , (4) imaginem
P. Loffada domum , aliaque hujusmodi denominari , & constituī
tr. i. disp. formaliter artefacta per actionem , quà fiunt ab Artifi-
2.c.4.num ce ; licet denominantur artificia à forma ipsis intrinse-
| 22. ca. Hæc Solutio verum tenet , si nomen *artefactum*
id sonet , quod est factum ab arte , quacumque alià
formalitate præcisà ; sed , si *artefactum* accipiatur , ut
solet , pro composito ex materia , & forma artificia-
li; nulla erit solutio. Sic argumentor: Per vos licet ima-
go denominetur artefacta ab ipsa actione artificiosa;

ut

Art. II. Vtr. artif. reale Concep. Object. &c. 331
ut denominetur in se artificiosa , indiget formà intrinsecà ab illà actione distinctà : Ergò. pariter. Conseq. tenet à paritate , ut suprà. (5)

(5)

Vide alias prob. apud Irrib. q. 2. art. 5. & apud Coll. Rip. lib. 4. dub. 4. a. n. 2.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

9 **A** RGVES i. : Objectum formale Logicæ est forma artificiosa definiti, divisi, subiecti, & prædicati ; sed hæc forma est extrinseca realis denominatio : Ergò. Prob. min. : Forma definiti, divisi, subiecti, & prædicati est realis intellectus cognitio; sed hæc solùm extrinsecè denominat objecta : Ergò. Prob. mai. : Per eamdem formam, per quam intellectus denominatur formaliter definiens , dividens, subjiciens, & prædicans , denominantur objecta formaliter defi- nita , divisa , subiecta , & prædicata ; sed intellectus per suam ipsius cognitionem denominatur formaliter definiens, dividens , subjiciens , & prædicans : Ergò. Prob. mai. : Per eamdem formam , per quam intellectus denominatur formaliter cognoscens , denominatur objectum formaliter cognitum; & per eamdem, quà voluntas amans, objectum denominatur amatum: Ergò.

10 *In 8o argumentum* : Per eamdem formam, quà intellectus denominatur formaliter cognoscens , objectum denominatur formaliter cognitum : Ergò per eamdem activam directionem , per quam Logica denominatur formaliter artificiosè dirigens definitio nem formalem, definitio formalis denominatur formaliter passivè directa ? Ergò directio passiva conceptuum formalium, in qua stat per vos artificium logicum erit extrinseca denominatio indistincta à regula dirigente ? Iterum : Ergò per eamdem actionem , quà agens denominatur formaliter artificiosè dealbans, siæd:

332 Lib. I Quæſt. II. de Objeto materiali Logice.
ædificans , calefaciens , denominatur res formaliter
artificioſe dealbata , ædificata , calefacta ? Audebunt
(6) fortassis concedere secundam consequentiam ; in-
P.Loffada quientes , rem ab actione denominari formaliter de-
tr. 1. disp. albatam , ædificatam , calefactam ; ab artificio verò
2. cap. 4. n. intrinſeco denominari albam , ædificium , calidam.
22. Sed quatenus hoc verum sit , vide sup. num. 8.

11 Et , si ita licet discurrere , resp. , neg. min. ;
ad prob. , neg. mai. ; ad alteram probationem , nego
mai. ; imò , & ſuppoſitum ; quòd nempe intellectus ſit
formaliter definiens , dividens , prædicans , &c. Deno-
minatio enim formalis ſolum formæ tribuitur , non
cauſæ efficienti ; intellectus autem , licet ſit cauſa ef-
ficiens definiti , divisi , ſubiecti , & prædicati , non ta-
men cauſa formalis. Dicimus ergò , intellectum eſſe
formaliter producentem , aut repræſentantem defini-
tionem , divisionem , ſubjectionem , & prædicationem
objectionam ; & , his mediis , effectivè definire , &c.

12 Pro cuius intelligentiā , ſcias oportet , forma-
le munus definiendi , dividendi , &c. , non eſſe de ge-
nere effectivo , ſed de genere relativo , & repræſentati-
vo ; in hoc autem genere formalis donominatio non
tribuitur agenti , qui repræſentationis instrumentum ,
aut relationem producit ; ſed repræſentationis , aut re-
lationis ſubjecto. Patet exemplis doctrina noſtra : Eſt
hominis beneplacitum producat ſignum ad placitum ,
cuius eſt formaliter significare ; non dicitur , homi-
nem , illud producentem , formaliter significare , ſed
effectivè ad summum : Quamvis agens producat al-
bum relativè ſimile alteri albo ; non dicitur agens ,
formaliter album ad album referre , ſed effectivè , ut
plurimum : Pariter ergò quamvis intellectus formaliter
producat definitionem , & divisionem ; non dicitur
formaliter , ſed effectivè , definire , dividere , &c.

Nec

13. Nec dicas; agens denominari formaliter agens ab actione, cuius est causa efficiens: Ergo & intellectus formaliter definiens, etsi sit causa efficiens definitionis. Nam in *isto*: Ergo & homines dicuntur, formaliter significare, & referre, quia producunt signum, & relativum? Discremen enim inter utrumque est; quod actio est ab agente, & in agente, saltem *egressivè*, quia immediatè ab illo dimanat; at vero definitio, & divisio sunt ab intellectu medià actione, neque in ipso sunt, nisi objectivè tantùm: Sicut relatio, & signum sunt ab agente, & non in agente: ideoque, sicut ista non denominant agens formaliter significans, & referens; ita definitio, & divisio non denominant intellectum formaliter definientem, &c.

14. Ex quibus jam intelliges, solam definitionem, & divisionem objectivam formaliter definire, & dividere; quia solum objectivi conceptus recipiunt intrinsecè formam definitionis, & divisionis, ut patet à paritate de signo, & de subjecto relativi. Si quando autem D. Thomas asserit, intellectum definire, dividere, &c.; intelligendus est in sensu effectivo, quatenus sua formali actione producit definitionem, & divisionem objectivam: Sicut dici potest, Deum vivificare corpora, quatenus effectivè producit animas corporum formaliter vivificativas; sed Deum formaliter vivificare, neutquam dici potest. Si dicas: Intellectus est formaliter intellectivus objecti: Ergo etiam formaliter definitivus, & divisivus. In *sto*: Homo est formaliter productivus relationis ad terminum: Ergo etiam formaliter relativus? Solutio satis constat.

15. Dices: Licet intellectus non sit formaliter definiens, est tamen per suum actum formaliter producens, & dirigens definitionem: Ergo per eundem actum

334 Liber I. Quest. II. de Objecto materiali Logice.
actum denominatur definitio formaliter facta, & directa; sed forma Logice est illa, per quam artefacta
denominantur formaliter directa, cum sit eorum passiva directio: Ergò. Prima conseq. prob.: Per eamdem
formam, qua intellectus denominatur formaliter cognoscens, denominatur objectum formaliter cognitum: Ergò. Resp., concessio ant., neg. conseq.: Quia cognitio objecti est actio speculativa, nullam introducens formam in objectum, per quam denominatur; ideoque denominatur formaliter cognitum per cognitionem: At verò effectio, seu directio activa artefacti logici est secundum quid practica; ac proinde introducens in artefactis aliquam formam, quā denominantur formaliter directa. Quod parificari potest
actione dealbandi, ædificandi, &c. (7)

(7)
*Vide Irribib.
bīc. art. I.
per tot.*

(8)
*P. Loffada
ubi suprà.*

16 *In statibus:* (8) Licet actus, quo intellectus Logicæ artefacta dirigit, sit practicus, per eumdem actum, quo intellectus denominatur formaliter dirigenς, denominatur artefactum formaliter directum: Ergò. Prob. ant.: Scientia Dei practica, physica rei productio, dictamen practicum prudentiae sunt actiones practicæ; sed ab illa scientia, utpote causa rerum, denominantur res practicè à Deo formaliter factæ, à physica productione formaliter productæ, & à dictamine prudentiae formaliter prudenter regulatae: Ergò. Conf.: Ed ipso, quod albedo denominet parietem coloratum, ipsum denominat formaliter album; sed cognitio directiva intellectus, denominat objecta cognita: Ergò etiam formaliter directa.

17 *Ad inst. resp., neg. ant.; ad prob. neg. ant.*
quoad omnes ejus partes: Quia denominantur per Scientiam Dei practicam effectivè, & vialiter causatæ; per suam autem existentias, ut productionem terminantes, intrinsecè, & formaliter factæ: Ita res

pro-

productæ denominantur effectivè à physicà productione ; formaliter autem ab existentiis, illam terminantibus. Et hujus ratio clara est : Quia, res esse physicè productas, est formalissimè habere suum esse extra causas; constituantur autem formaliter extra causas, per ipsarum existentias, ut suo loco videbimus.(9)

Pariter asserimus, dictamen practicum prudentiæ, seu practicam Philosophiæ Moralis directionem non denominare formaliter, sed effectivè, & vialiter directas actiones humanas ; hæ autem constituuntur formaliter directæ per conformitatem ad regulas morum, ipsis quidem intrinsecam.

18 *Pari modo* dicimus, Logicæ artefacta extrinsecè, vialiter, effectivè, & in fieri denominari facta, & directa ab actu intellectus dirigente ; formaliter verò, intrinsecè, & in facto esse per rationis formam in eis intrinsecè productam. *Ad Conf.*, resp., concesso antec., nego conseq. : Quia denominationes *colorati*, & *albi* sunt intrinsecæ ambæ ; quarum altera est alterà superior in eodem genere ; ideoque possunt ab eadem formâ intrinsecâ sub conceptu communi, & particulari formaliter provenire : *Enim verò cognitio directiva intellectus est conceptibus extrinseca*; propterea ab illa capere possunt extrinsecam *cogniti* denominationem, non verò intrinsecam *directi*: *Quod patet à paritate directionis passivæ cōceptuum formâlium respectu regulæ dirigentis, ut supra num. 7. & locorum alibi.*

19 *R̄pliс.* : Activa intellectus directio non producit in objectis formam fictam: Ergò. *Prob. ant. 1.* : Si illa forma esset ficta, objecta non denominarentur verè, & realiter directa, sed fictè; sed hoc est falsum : Ergò. *Prob. 2. ant.* : Illa rationis forma supponit objecta ordinata, cum ex objectorum ordinatione resultet: Ergò

(9)

Vide Mag
Lang. l. 1.
q. 3. ar. 2.
num. 547.

336 Liber I Quest. III. de Objecto formalis Logicae.
non denominat objecta formaliter ordinata. Prob. 3.:
Volitio ordinativa voluntatis, licet si practica, nullam
in objectis ponit formam ordinativam: Ergò.

20 Ad replic. resp., neg. ant. : Ad 1. prob., dist.
mai. : Non denominarentur verè, & realiter directa,
in sensu formalis, & exercito, concedo mai.; in sensu
effectivo, & fundamentali, nego mai.; & sic distin-
ctà min., nego conseq. Itaque denominatio subjecti, &
prædicati, generis, & differentiæ, aliæque similes, sunt
denominationes secundæ intentionis, quarum nihil ex-
tat reale, nisi fundamentum, & actio productiva : Pro-
pterea à parte rei non datur subjectum, nec prædica-
tum, genus, nec differentia, nisi fundamentaliter tan-
tum, & effectivè. Idem intellige de denominationibus
definiti, divisi, &c. Dicimus autem hominem realiter
definiri, & dividi, quia extat fundamentum reale defi-
nitionis, & divisionis : Quia in his, quorum denomina-
tio est rationis denominatio absoluta sumitur à funda-
mento. Non aliter, ac signum ad placitum dicitur rea-
liter signare, cum ejus forma sit rationis. (10)

(10)
Vide Lang
l. 1. q. 3. a.
2. n. 543.

21 Ad 2. ejusdem ant. prob., dist. ant. : Supponit
objecta ordinata inchoative, & in genere causæ effi-
cientis, concedo; complete, & in genere causæ for-
malis, neg. antec., & conseq. Licet enim objecta pro-
priori ad rationis formam supponantur effectivè at-
tracta, & disposita in formam artefacti; formaliter de-
nominantur disposita per formam rationis : Sicut la-
pides, & ligna pro priori ad artificiosam domùs dispo-
sitionem, denominantur effectivè disposita per actio-
nes manuum; formaliter autem per illam disposicio-
nem disponuntur. (11) Imò ipsa rationis forma, spe-
culativè attracta, ut introducibilis in objecta, dirigit
intellectum, ejusque actus; ut exercitè, & practicè eam-
dem formam in objectis producant; sicut forma idœa-
lis

(11)
Vide Irrib
ubi supr.

lis domus ad domum construendam. (12)

22 *Ad 3. prob.*, nego conseq.: Quia inter intellectum, & voluntatem hæc est differentia: Quia voluntas trahitur ad res, siveque in eis nihil producit, sed totum productum supponit; dicitur tamen ejus actio practica, quia in exteriorem materiam transit: Ceterum. Intellectus suà natura trahit res ad se, ut habeant esse objectivum, quod ex se non habent; ideoque hoc esse objectivum, sive extrinsecum, si cognitione speculativa fiat, sive intrinsecum, si practica cognitione producatur, efformat.

23. ARGVES 2.: Artefactum logicum resultat ex partibus realibus, ut patet in hac propositione: *Petrus est homo*: Ergo ejus forma debet esse realis. *Si dicas*, resultare ex partibus realibus, quæ munus matetiæ gerunt, & ex forma ficta. *Contrà*: Causa ordinans illas partes materiales, est realis: Ergo producit formam realem. *Conf.*: Forma rationis artificiosa, cum sit umbra entis realis, attingitur à Logica in ordine ad ens reale: Ergo hoc ens reale est objectum formale Logice, & illud ens rationis objectum secundarium.

24 *Ad argum. resp.*, approbando solutionem ibi insertam; ad hujus impugnationem dist. ant.: Est realis, realiter influens, neg. ant.; influens metaphoricè, & pure intentionaliter; conced. ant., & neg. conseq. Licer enim causalitas, quæ sit rationis forma logicalis, sit realis in esse actionis; non vero in esse influxus; quia nihil reale influit. Sed de hoc iterum lib. 2. artic. 1. *Ad Conf.*, dist. ant.: Forma rationis in esse entis, & materialiter, conced. ant.; formaliter, & in esse objecti, seu formæ artificiosæ, neg. ant., & conseq. Intellectu itaque fингit formam rationis; idque facit in ordine ad ens reale; sed hoc de materiali se habet in objecto Logica: Et eam construit artificiosam; idque

(12) Vide Coll.
Rip. lib. 4
dub. 3. à
n. 31. ad
finem usq;

præstat in quantum Ars : Et denique de illa proprietates demonstrat ; quod est ejus munus scientificum, sed hæc duo munia importantur de formalis ; neque præstantur in ordine ad ens reale , sed ex logica directio-
ne. (13)

(13)

ARTICVLVS III.

Vide Coll.

Ripen. ubi Vtrum aliquod rationis artificium sit Objectum formale
sup. à num

7. usq; ad

12.

PErvenimus tandem ad nostram mentem aperiendam : Et ut clarius appareat , suppono , quod neque nos , sicut & Thomistarum nullus , prætendimus , ens rationis in tota sua latitudine , esse objectum formale Logicæ ; sic enim acceptum est objectum secundarium Metaphysicæ . Neque intendimus , esse objectum formale Logicæ ens rationis cum fundamento , quoad totam suam generalitatem ; plurima namque sunt entia rationis , cum fundamento , quorum Logica non recordatur , ut est distinctio inter Di- vina Attributa reperta . Inquirimus tantum , utrum aliquod ex entibus rationis cum fundamento sit for- ma artificiosa Logicæ ? Vel : Vtrum forma artificiosa Logicæ sit quoddam ens rationis cum fundamento ?

Nostra Conclusio.

DICIMVS : Objectum formale Logicæ est for-
ma rationis artificiosa conceptuum objectivorum , seu
eorum passiva directio , quæ in secunda intentione
rationis consistit . Ita expressè docet D. Thomas : (1)

(1) *Ens est duplex , ens rationis , & ens naturæ : Ens ratio-*
nis dicitur propriè de illis intentionibus , quas ratio ad-
4. Methap invenit in rebus consideratis , sicut intentio generis , spe-
lett. 4. ciei , & similium ; quæ quidem non inveniuntur in rerum
natu-

Art. III. Vtr. aliquod rat. artif. sit object. &c. 339
naturā , sed considerationem rationis consequuntur : Et
busmodi , scilicet Ens rationis , est propriè subjectum
Logicæ. Accommodare tentant Adversarii verba D.
Thomæ formalibus Conceptibus , qui ens rationis
effectivum , seu subjectivum dici solent. Sed eorum ex-
positio , attentis D. Thomæ verbis , propria debilita-
te ruit. (2)

3 PROB. Conclusio ratione : Objectum formale
Logicæ est forma constitutiva artefacti logici; sed hæc
forma rationis est : Ergò. Prob. min. : Forma consti-
tutiva subjecti , & prædicati in hac propositione: Petrus
est homo , est rationis; sed eadem ratio de omnibus mi-
litat artefactis : Ergò. Prob. maj. : Forma constitutiva
subjecti , & prædicati est formalis subjectio , &
prædicatio ; sed formalis subjectio , & prædicatio est
forma rationis : Ergò. Prob. min. : Subjectio est re-
latio , quà Petrus respicit hominem , ut id , cui sub-
jicitur ; & prædicatio est relatio , quà homo respicit
Petrum , ut id , de quo prædicatur ; sed hujusmodi
relationes sunt rationis : Ergò. Min. patet; quia unius
ad se ipsum non datur relatio realis : homo autem , &
Petrus sunt idem realiter.

4— Conf.: In artificio definitionis forma , constituens
genus , & differentiam , est mutua relatio utriusque , vñ
cajus denominantur partes formaliter componentes;
sed inter genus , & differentiam , v. gr. animal , & ra-
tionale , nullus datur realis respectus , nulla realis
compositio : Ergò. Prob. min. : Inter animal , & ra-
tionale non datur realis distinctio , ut videbimus lib. 3.;
sed realis relatio , realisque compositio realem postu-
lant inter extrema distinctionem : Ergò. Conf. 2.:For-
ma syllogistica stare debet in respectibus extremorum
adinvicem , & ad medium ; sed hi respectus sunt ra-
tionis ; quippe qui inter extrema realiter identifica-
ta reperiuntur : Ergo,

(2)
Vide Pal.
quest. 5. n
10. Gabr.
à Concept.
lib. 4. Log.
dub. 1. Cof
13. &
Irrib. in
presenti.

Resp.

(3) 5—*Resp. Contrarii*, (3) ad totum argumentum:
P. Loffada Respectum subjecti ad prædicatum, generis ad diffe-
tr. i. disp. rentiam, & extremorum ad invicem, non esse ra-
2. cap. 5. n. tionis facta, neque realem intrinsecum, ut sunt rela-
30. & ali- bi. tiones physicae; sed realem intentionalem, & extrin-
 secum, indistinctum ab actibus intellectus. Cum enim
 intellectus noster suis actibus æquivalenter, seu for-
 maliter diversis attingat repræsentative objecta, des-
 niendo, enuntiando, aut demonstrando; rerum con-
 ceptus in se ipso format, & componit; iique direc-
 tè repræsentant objecta, prout in se identificata, vel
 distincta: Quia tamen compositivo, aut divisivo mo-
 do procedit; exercitè, idest exercitio sui modi ten-
 dendi, extremum utrumque denominat extrinsece
 distinctum, compositum, aut relatum.

6—Ex quibus inferunt, modum tendendi intelle-
 ctus compositivum, aut distinctivum, licet intrinse-
 cum actibus, esse extrinsecum objectis, quatenus uti-
 tur distinctis expressionibus, quas invicem necit, &
 componit; ita, ut una veluti compleat, ac determi-
 net alteram; quæ tamen denominant objecta artifi-
 ciōsē repræsentata, *animal* scilicet, ut genus; *ratio-*
nale, ut differentiam: *Petrum*, ut subjectum; & *ho-*
mīnem, ut prædicatum: Consequenter in his repræ-
 sentationibus realibus intentionalibus consistere rela-
 tiones generis, & differentiarum, subjecti, & prædicati.

7—*Impugnatur 1.*: Hæc cognitio: *Petrus est homo*,
 licet directè attingat Petrum, & hominem, prout
 sunt in se, exercitè non solum repræsentat Petrum,
 relatum ad hominem, & è contraria, sed fingit in Pe-
 tro, & homine relationem: Ergo. Prob. ant.: Ille actus
 exercitè repræsentat Petrum, & hominem ad invicem
 relatim, cum in re relati non sint; sed hoc ipso exer-
 citè fingit in ipsis relationem rationis: Ergo. Prob.

min.:

min. : Attingere , ut relata , quæ relata non sunt , est fingere relationem ; neque aliud nomine fictionis intelligimus ; sed actus repræsentans Petrum , & hominem invicem relatos , cum in re non sint relati , attingit , ut relata , quæ relata non sunt : Ergò.

8—Conf. : Per vos (4) hæc propositio directa: *Homo est animal* , ex parte subjecti formalis distinguit animal ab homine , quatenus hominem , & non animal , repræsentat ; & ex parte prædicati , exercitè distinguit hominem ab animali , prout animal , & non hominem , repræsentat ; sed cognitio , ex parte repræsentans *hominem non animal* , & ex parte *animal non-hominem* , repræsentat animal , ut distinctum ab homine ; & è contrà : Ergò singit distinctionem , repræsentando distincta , quæ distincta non sunt : Ergò referendo exercitè hominem ad animal , & è contrà singit pariter mutuam inter ipsos relationem.

9 Vrg. : Tunc efficitur ens rationis , quando intellectus nititur apprehendere id , quod non est , ac si esset , & ideo singit .—(5) Ergò tunc efficitur relatio rationis , quando intellectus nititur apprehendere , ut relatum , quod relatum non est . Sed intellectus vi cognitionis *animal* nititur exercitè apprehendere animal , ac si esset relatum ad rationale , cum in re non sit : Ergo . Min. subsumpta prob. : Cognitio *animal* repræsentat animal exercitè relatum , & distinctum à rationali , cum ei per vos extrinsecam utriusque præbeat denominationem ; sed intellectus non aliter apprehendit , quam objectorum in se formans representationem : Ergò .

10.—*Impugnatur 2.* , & prævenitur Contrariorum evasio : Cognitio , dicens: *Petrus est homo* , non solum repræsentat Petrum in ordine ad hominem , sed etiam cum ordine ad hominem : Ergò ille ordo se habet ex parte

(4)

P. Loffada
ubi suprà
n. 31.

(5)

D. Thom.
opusc. 42.
cap. I.

parte objecti. Prob. ant. : Cognitio repræsentans Petrum in ordine ad hominem, sicut exercitè repræsentat Petrum, ut subjectum relationis , sive intrinsecæ, sive extrinsecæ , & hominem , ut ejus terminum ; ita repræsentat relationem ; sed ita repræsentat Petrum, vel ut subjectum, & hominem , tamquam terminum; ut Petrus , & homo sint objecta repræsentata , & objectiva : Ergò ita repræsentat relationem , ut haec se habeat ex parte objecti ; sed non realiter : Ergò sic.

11.—*Conf.* : Illa cognitio directa exercitè refert Petrum ad hominem, & è contrà ; sed exercitium cognitionis nihil est aliud , quam repræsentare : Ergò repræsentat Petrum relativè ad hominem ; sed Petrus in re non se habet relativè ad hominem, cum identificantur realiter : Ergò fingit esse relativum. *Conf.* 2. : Juxta plures ex Adversariis, actus , quo intellectus repræsentat artefacta objectiva, est simpliciter practicus: Ergò aliquid ponit intrinsecum in objectis. Prob. conseq. : Si regula Logicæ, dirigens actus intellectus, nihil intrinsecum artificiosum dirigeret in ipsis, nō esset directio practica : Ergò pariter.

12.—*Impugnat.* 3. : Cognitio , definitivè repræsentans objecta , ordinatè , & practicè illa repræsentat: Ergò repræsentat objecta sub ordine definitionis; & consequenter ipsi ordinem , sub quo objecta attingit, repræsentat. Prob. conseq. : Implicat ordinativè practicè attingere objecta , & non attingere ordinem aliquem ex parte objectorum : Ergò. Ant. patet , primò à paritate actionum dominicantis ; quæ , quia dispositivè practicè attingunt lapides , attingunt aliquā ipso-rum dispositionem. Secundo : Ideo attingentia intuitiva , & comprehensiva objecti non attingit aliquam ejus intuitionem , aut comprehensionem ab ipso di-

stinctam, quia est actio purè speculativa; sed attingentia objectorum per actus intellectus est, per vos, practica, & quidem simpliciter: Ergo.

13—*Dicunt*, (6) cognitionem, objecta ordinative repräsentantem, quæ est artefactum mentale, non esse definitivam, neque ordinativam, propriè loquendo; sed ordinatam, & definitionem ipsam: consequenter non esse practicam, sed præximam; cum opus sit Logicæ, non ejus operatio. Hæc solutio non faveit illico, qui nobiscum sentiunt, artefactum objectivum esse propriè objectum Logicæ. *Impugnatur*: Ideo regula Logicæ, dirigens artefactum mentale, est practica per vos, quia modo practico dirigit, & ex fine operis construendi; sed definitio mentalis modo practico repräsentat objecta, & ex fine operis construendi: Ergo ea definitio est practica. Minor patet; quia modo artificiose logico repräsentat objecta, & ex fine artificii mentalis, ut vos ipsi non diffitemini. (7)

14—*PROB.* 2. *Conclusio*: Logica non solum dirigit representationem objectorum ex parte actuum intellectus, sed in ipsis objectis intrinsecè regulat formam artificiosam; sed non realem: Ergo rationis. *Prob.* mai.: Logica nedum repräsentat objectorum distinctionem, sed ipsa objecta distinguit: Ergo. *Prob.* ant.: Vi hujus cognitionis: *Homo est animal*, homo est ex parte objecti ab animali distinctus: Ergo. *Prob.* ant.: Ea cognitio affirmat animal de homine, tamquam unum de alio, hoc enim est proprium affirmativa propositionis: Ergo cognoscit hominem, & animal, tamquam unum, & aliud; consequenter, ut inter se distincta objectivè.

15—*Respondent*. I.: (8) Per illam cognitionem affirmari unum de alio; non ita, ut signatè cognoscatur dualitas; sed ita, ut exercitè constituatur in objecto

(6)
P. Loffada
tr. i. disp.
2. cap. 5. n.
38. & 39

(7)
Vide Pat.
Loffad. tr.
i. disp. 2.
cap. 3. n.
15.

(8)
P. Loffada
tr. i. disp.
2. cap. 5. n.
43.

per extrinsecam denominationem à diversis conce-
ptuum expressionibus desumptam. Secundo dicunt,
cognitionem illam judicativam supponere apprehe-
siones ; v.gr. *hominis*, & *animalis*, per quas objectum
est jam unum, & aliud; consequenter objectum unius
apprehensionis attribuit objecto alterius, quin efficiat
distinctionem ullam.

16—*Impug.* prima solutio : Per cognitionem judi-
cativam , licet non signatè , exercitè tamen constitui-
tur dualitas in objecto , ut annuit solutio ipsa ; sed
cognitio exercita non aliter constituit in objecto dua-
litem , quām cognoscendo , seu representando , ut
per se patet : Ergò cognoscit , seu representat dua-
litem in objecto , quæ realiter non datur. *Vrgetur*:
Si cognitio judicativa signatè attingeret , seu consti-
tueret dualitatem in objecto , quæ physicè non datur;
in eo esset intrinseca objectivè ficta dualitas , ut in
hac propositione : *Petrus non est homo* ; & non solum
extrinseca: Ergò si exercitè , & per resultantiam con-
stituit in objecto dualitatem , quæ physicè non datur,
dualitatem intrinsecam fingit exercitè.

17—*Impug.* jam secunda solutio : Si illa cognitio
judicativa supponit hominem , & animal , ut unum , &
aliud vi apprehensionum præcedentium ; apprehensio
animal attingit animal , ut objectum exercitè distin-
ctum ab homine ; & apprehensio *homo* hominem re-
presentat , ut exercitè distinctum ab animali : Ergò
homo , & animal sunt objecta inter se distincta : sed
non physicè , & realiter : Ergò objectivè , & per ratio-
nem. *Vrg.* : Dum illa cognitio judicativa affirmat
unum de alio non affirmat unum *unitate* extrinseca
de alio *alietate* extrinseca : Ergò sunt unum , & aliud
intrinsecè vi formæ rationis. *Prob. aut.* : Affirmare
unum de alio *unitate* , & *alietate* extrinseca , est pro-
prium.

Art. III. Vir. aliquod rat. artif. sit Object. &c. 345
primum cognitionis naturalis , & non artificiosæ: Ergo cognitionis artificiosa affirmat unum de alio , unitate , & alietate intrinseca , & artificiosa. Ant. patet ; quia cognitionis præcisa ab omni artificio illas extrinsecas denominationes causaret.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

18

ARGVES 1.: Actus intellectus , construens artefactum logicum , v. gr. cognitionis dicens: *Homo est animal* , nullam rationis formam effingit in objecto ; sed tribuit objectis formam artificiosam : Ergo. Prob. mai.: D. Thomas (9) afferit: *Cum autem formatio generis , aut speciei , que est actio intellectus , non sit fictitia , sicut est quando fingit non entia*, &c.: Ergo. Resp.; explicando S. Doctorem: Non est fictitia sine fundamento , conc. ant. ; non est fictitia cum fundamento , nego ant. , & conseq. Neque hac indiger expositione littera D. Thomæ , cum ea satis se ipsam ostendat , dum prosequitur: *Sicut est quando fingit non-entia , ut montem aureum , cui nihil respondet extra in re*. Docet itaque , quod formatio generis non est fictitia sine fundamento.

19—Quid autem fingat cum fundamento formam generis , suptius satis perspicue docet , inquiens: *Necessariò in re ipsa corporeâ aliquid erit , super quod intellectus formet utrumque genus , substantiam scilicet , & corpus , que inter se solum ordinem prioritatis , & posterioritatis , ab intellectu conceptum , habent ; à quo habent rationem generum*. En. ubi ordo , à quo genus habet rationem formalem generis , est ab intellectu conceptus , non illius conceptio , aut representatio : non qui se tenet ex parte actus ; sed potius , quem inter se habent objecta logice ordinata.

Yy 2

Dices:

(9)
D. Thomas
opusc. 42.
cap. 8. ap.
Servera.
disp. 3. c.
2. num. 14.

(10)

P. Loffada
tr. 1. disp.
2. cap. 4. &
num. 24.

20 Dices: (10) Hec cognitio: *Homo est animal*, nullum ens rationis in objecto singit, etiam cum fundamento: Ergo. Prob. ant.: Si aliquid fingeret, maximè relationem, ac distinctionem intrinsecam inter hominem, & animal; sed has non singit: Ergo. Prob. min.: Actus ille concipit ex parte objecti identitatem hominis, & animalis; cum illam expressè affirmet, ut omnis affirmativa propositio juxta D. Thomam:

(11)

D. Thom.
1. p. q. 13.
art. 12. ap
P. Loffada
ubi suprà.

(11) Ergo. Consequentia tenet: alias, concipiens intrinsecam hominis, & animalis identitatem, & distinctionem; conciperet ex parte objecti insignem chymaram. Vrg.: Actus ille, si singit, necessariò est falsus. Prob. sequel. ex D. Thomà, (12) dicente: *Cum dicitur: Intellectus est falsus, qui intelligit rem aliter, quam sit.; verum est, si ly aliter referatur ad rem intellectam: Ergo.*

(12)

D. Thom.
1. p. q. 85.
ar. 1. ad 1

21 Ad inst. resp. (13) neg. ant.; ad prob. neg. min., & dist. ant. prob.: Actus ille concipit signatè, & judicativè identitatem, concedo ant.; exercitè, & appre-

(13)
Vide P. Pa-
lanç. tr. 1.
q. 5. n. 31.
Colleg. D.
Thom. q. 1
num. 130.
Edit. 5.

hensivè, neg. ant.: & dist. conseq.: Ergo non singit si-
gnatè, concedo conseq.; exercitè, nego Conseq. Et
hoc intendit D. Thomas ubivis affirmet, propositio-
nem affirmativam identitatem repræsentare; etsi eò
loco nihil simile producat. Itaque, ille actus: *Homo est
animal*, signatè, judicativè, seu affirmativè, & spe-
culativè concipit, identificari hominem cum anima-
li; quod cum in re ita sit, actus est simpliciter ve-
rus: Neque in hoc sensu concipit, aut attingit utrius-
que distinctionem; quod necessum erat, ut elegan-
tem conciceret chymaram.

(14)

D. Thom.
1. p. q. 85.
art. 5. in
corpore,

21 *Enim verò: idem actus, signatè affirmans ani-
mal de homine, sapit naturam intellectus, cuius pro-
prium est res cognoscere componendo: (14) Atque
ad eò, ut perfectè eam identitatem noverit, artificio-
ritur*

utitur compositionis, exercitè denominando, & præticè constituendo partes in objecto cognito, quarum alteram facit subjectum, alteram constituit prædicatum, &c.: Et, cum proprium sit partium, modo, quo partes sunt, inter se distingui, & mutuò respici; dum partes objectivas constituit, easdem distinguit, & refert objectivè. Intellectus siquidem, logicum constructurus artefactum; priùs terminos, ut tales apprehendit; dehinc unum de altero affimat, simulque, quasi per resultantiam, alterum præticè denominat subjectum, alterum prædicatum.

23. Ad urg., resp., explicando D. Thomam, interprete D. Thoma: Si ly aliter referatur ad rem intellectam judicativè, & signatè, conc. ant.; ad rem intellectam exercitè, & apprehensivè, nego ant., & conseq. Audiatur D. Thomas paulò ante objectam sententiam: *Dicendum, quòd abstrahere contingit dupliciter: Vno modo per modum compositionis, & divisionis; sicut cum intelligimus, aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo: Alio modo per modum simplicitatis; sicut, cum intelligimus unum, nihil considerando de alio. Abstrahere igitur per intellectum ea, quæ secundum rem non sunt abstracta, secundum primum modum abstrahendi, non est absque falsitate; sed secundo modo abstrahere per intellectum, quæ non sunt abstracta secundum rem, non habet falsitatem.*

24. En, ubi S. Doct. affirmat, abstrahere rem, quæ in se non est abstracta, per actum componentem, aut dividentem, ut quando negatur aliquid de alio, cum quo identificatur, non esse absque falsitate; id autem est rem attingere judicativè aliter, quām est: *Abstrahere verò rem, quæ abstracta non est, per modum simplicitatis, quod est apprehensivè attingere, non habere falsitatem.* Cum itaque hic actus: *Homo est animal, non ab-*

348 Liber I. Quest. III. de Objecto formalis Logicae.
abstrahat, aut distinguat animal ab homine judicative, & signatè, sed apprehensivè tantum, & exercitè, per modum simplicitatis; ideo non est falsus, et si prædicè attingat rem aliter, ac est in se.

25—Sed contra hanc solutionem insurgunt Contrarii (15) multipliciter. Primo: Juxta D. Thomam, (16) non solum in judicio, sed etiam in apprehensione contingit falsitas, dum sociantur objecta, quæ sociari non possunt; v. gr. *Animal rationale quadrupes*: Ergo, licet purè apprehensivè societur distinctio cum identitate, falsus evadet actus. Secundo: Si quis affirmet animal de homine, quem cum equo identificatum apprehendit, falso judicabit, quia reale prædicatum affirmat de homine chymérico; sed homo etiam apprehenditur chyméricus, dum apprehenditur intrinsecè distinctus ab animali: Ergo de homine sic apprehenso non verè affirmatur animal.

26—Tertiò: Mentalis enuntiatio, si cognoscit ens rationis, debet illud cognoscere judicative: Ergo. Probat. ant. : Enuntiatio cognoscit ens rationis, quatenus est formaliter judicium, & mentis operatio condistincta ab apprehensione pura; sed enuntiatio sic accepta judicative tendit in objectum, & non purè apprehensivè: Ergo. Prob. maj. 1.: Enuntiatio, per vos, cognoscit ens rationis, quatenus format subjectum, & prædicatum, ea distinguendo, & referendo, seu quatenus dicit unum de alio; sed enuntiatio, quatenus hoc præstat, est formalissimè judicium: Ergo. Prob. 2. ex maj.: Enuntiatio mentalis, vel cognoscit ens rationis secundum tendentiam judicativam, vel non? Si primum: Ergo ens rationis cognoscitur judicative. Si secundum: Ergo, cum tendentia judicativa sit formatio subjecti, & prædicati, ista nihil fingit.

27—Aliter: Per vos, judicium, quatenus judicative

(15)
P. Loffada
ubi suprà
à num. 17
& seq.
(16)
D. Thom.
I. p. q. 17.
ar. 3. apud
Loffad. ubi
sup.

Art. III. Vtr. aliquid rat. artif. sit Object. &c. 349
tivè cognoscens, nihil singit; sed, quatenùs judicativè cognoscens, est formaliter judicium: Ergò sic nihil singit: Atqui judicium, ut formaliter tale, est à Logica dirigibile, ut conceditis: Ergò, prout nihil singens, est à Logica dirigibile. *Adde 1.*: Quod judicium, ut à Thomistis ponitur, reddit hunc sensum: *Homo distinctus ab animali est animal distinctum ab homine*: Ergò cognoscitur judicativè distinctio. *Adde 2.*: Quòd, si illa doctrina esset vera; hic actus: *Deus est Sanctus*, fingeret relationem, & distinctionem inter Deum, & ejus sanctitatem: Ex quo sequeretur, Deum esse auctorem illius fictionis, utpote resultantis ab habitu Fidei, cuius actus nihil attingunt, nisi ut à prima veritate revelatum.

28—Ad 1. inst. resp. ex eodem D. Thomà, (17) dist. ant.: In apprehensione contingit falsitas, dum sociantur objecta realia, quæ in re sociari non possunt, concedo ant.; dum sociantur objecta, quorum alterum est reale, rationis alterum, subdistingo: Si id sine fundamento fiat, concedo ant.; si fiat cum fundamento, neg. ant., & conseq. Sensus enim Angel. Doct. est: Quòd si Apprehensio definitionem unius attribuat alteri, ut si definitionem circuli attribuat homini, vel si componat partes definitionis, quæ simul sociari non possunt, ut in hac definitione: *Animal rationale quadrupes*, falsus est intellectus, sic definiendo; non quidem per se, & formaliter, quia apprehensio incapax est falsitatis, sicut & veritatis; sed per accidens, & aequivalenter, quatenùs ea definitio aequivalet huic compositioni: *Aliquod animal rationale est quadrupes*. Vide D. Thomam.

29—Cæterūm, quando apprehensio ex nativā intellectus imperfectione rem simplicem compositivo modo percipit, partes in ea concipiens solā ratione di-

(17)

*D. Thom.
ubi sup. n.*

25.

stinctio-

350 Lib. I Quest. III. de Objecto formalis Logicae.
stinctas, atque relatas; solum tribuit ipsis rationis relationem, quam ipsa rei praedicata essentialia postulant, ut artificiosè cognoscantur. Non ergò datur falsitas in eo, quod intellectus ex propriâ indeole, & obiecto res simplices, ut compositas, non relatas, ut relatas, apprehendat; Est enim absque falsitate, ut alius sit modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in essendo. (18)

(18)
D.Th. 1.p
q. 85. ar. 1
ad 1.
Vide infr.
num. 38.

30. Ad 2. in isto argumentum: Si quis affirmet animal de homine, quem simul ex parte actus apprehendit identificatum cum equo, falso judicabit, quia affirmaret illud de homine chymæricè apprehenso; sed homo etiam chymæricè apprehenditur, dum apprehenditur, ut ex parte actus distinctus ab animali. Ergò de homine ita apprehenso falso affirmatur animal. Negabunt procul dubio min. Pariter negamus min. argumenti, quam non facile probabunt.

31. Ad 3. nego ant., ad prob. dist. maj.: Ut distincta ab apprehensione, & continens eminenter apprehensionem ipsam, concedo maj.; & non continens eam eminenter, nego mai. Quamvis sit proprium apprehensionis merè percipere; judicii tamen est percipere, & aliquid aliud, scilicet affirmare, vel negare. Licet ergò mentalis enuntiatio ex directo munere habeat judicare, ex munere tamen indirecto percipit id quod, & id de quo enuntiat. Ad 1. maj. prob. dist. mai.: quatenus format subjectum, & prædicatum formaliter, concedo mai.; fundamentaliter, neg. mai. Judicium enim, concipiens signatè identitatem hominis, & animalis, solum invenit fundamentum, ut ex consequenti exercitè, & apprehensivè distinguat unum ab alio, illaque mutuò referat: Sub munere signato solum format subjectum, & prædicatum fundamentaliter; sub exercito, formaliter.

Ad

32—*Ad 2. ejusdem maj. prob.*, dicimus, enuntiationem mentalem, non secundum tendentiam iudicativam, ut talem, sed secundum tendentiam apprehensivam exercitam, & practicam, cognoscere ens rationis. Neque tendentia iudicativa format subiectum, & praedicatum plus, quam fundamentaliter, ut diximus; formaliter enim ex consequenti format per tendentiam apprehensivam. *Ad alteram prob.*, concesso toto syllogismo de judicio vero; dist. min. subsumptam: Est à Logica dirigibile, ut purè speculativè tendens, nego min.; quia id est purè naturale judicio, ad quod non indiget artis directione, cognitæ objecti naturæ: ut tendens practicè, & artificiosè, concedo minorem, & nego conseq.

33—*Itaque.*, sicut Logica non dirigit apprehensionem puram, ut naturam animalis secundum suam entitatem, & purè speculativè cognoscat, quia id naturaliter præstat; sed solum, ut in animali sic concepto, ulterius apprehendat unitatem, & relationem ad plura, quibus fit universale: Ita non dirigit Judicium, ut purè speculativè cognoscatur rerum identitatem, aut distinctionem, quia hæc est natura judicii; sed, ut id præstet practicè, & modo artificioso, consistente in eo, quod identitatem, aut distinctionem enuntiet, partes objectivas denominando, media formæ objectiva, & artificiosa, quam practicè in objectis effingit.

34—*Ad 1. Addit.* nego ant.: Licet enim termini, ut tales, presupponantur per simplicissimas apprehensiones attacti, atque adeò negativè distincti, eò quod alterum, altero non attacto, attingatur; non tamen attinguntur per meras apprehensiones, ut subiectum, & praedicatum, ut genus, & differentia; quia ita constituuntur per relationes rationis, quæ singun-

362 Liber I. Quest III. de Objecto formalis Logice.
tur exercitè per actum ipsum , quo sit compositio ob-
jectiva. Sensus enim illius propositionis hic est : *Homo*
objectivè distinctus ab animali , est realiter animal ob-
jectivè distinctum ab homine. In quo actu solum judi-
cative cognoscitur realis identitas; distinctio vero ra-
tionis tantum apprehenditur , tum ex parte subjecti,
tum ex parte prædicati. *Ad 2. Addit.* , concessò ant.,
nego sequelam , ejusque implicitam probationem;
Fictio enim relationum subjecti , & prædicati in hac
propositione : *Deus est Sanctus* , non est ab habitu
Fidei ; sed ab intellectu , habitu logico ipsum diri-
gente.

35 ARGVES 2.: Logica inventa est , ut intelle-
ctus in ipso actu rationis ordinatè , & sine errore proce-
dat ; (19) sed fingere non est ordinatè , & sine erro-
re procedere , sed inordinatè , falli , & errare : Ergò
Logica non respicit pro objecto formalis aliquod ens
rationis. Prob. min. : Fingere est intelligere rem ali-
ter , quām est ; sed quisquis ullam rem aliter , quām ea
res est , intelligit , fallitur ; at omnis , qui fallitur , id in
quo fallitur , non intelligit , judice Augustino : (20) Er-
gò. Resp. (21) dist. min. : Fingere sine fundamento,
concedo min. ; fingere cum fundamento , & modo
ad scientiarum acquisitionem utilissimo , nego min.,
& conseq.

(19)
D. Thom.
1. poster.
lect. I.

(20)
D. August.
lib. 8 3. q. 4.
32.

(21)
P. Palanco
tr. 1. q. 5.
num. 33.

36 Logica enim non quælibet entia rationis do-
cet effingere , aut pro objecto respicit ; sed tantum
illa , in quibus artificiosa objectorum dispositio con-
sistit ; ut diximus num. 1. Hæc autem dispositio est
ens rationis cum fundamento desumpto ex imperfe-
cta intellectus virtute , & ex ipsis objectis artificiosè
repræsentabilibus. Et valde quidem utile ad verita-
tem scientificam acquirendam : Per illam enim ordi-
natam dispositionem patet rei essentia , partes , & pro-
priet-

Art. III. Vir. aliquod rat. artif. sit Object. &c. 363
prietas, quæ aliæ occultæ persisterent. Hoc igitur fingendi genus non est errare, aut falli, sed forma-liter scire. *Ad authoritatem D. Augustini patet ex dictis num. 28.: Quisquis ullam rem aliter, quam est, intelligit judicative, & sine fundamento, fallitur quidem; non verò si intelligat apprehensivè, & cum fundamento modo ibi explicato.*

37 *Dices: Quòd fictio cum fundamento fiat non tollit errorem: Ergò. Prob. ant. 1. ex D. Thoma:* (22) *D. Thom. Veritas intellectus in hoc consistit, quòd intelligatur res esse, sicuti est; sed, dum fingitur cum fundamento, res intelligitur esse aliter, ac est: Ergò. Prob. 2. idem ant.: Tunc fingitur cum fundamento, quando objectum invitat, aut occasionem prebet ad fingendum; sed hæc occasio non tollit errorem: Ergò. Prob. min.: Qui cognoscit judicative, seu assertivè rem aliter, ac est in se, licet occasione magni fundamenti, verè errat: Qui Romam pergens, rectam viam deserit ex testimonio viri gravis, aberrat pariter: Qui peccat vehementer invitatus ab objecto, simpliciter peccat: Ergò. Conf.: Philosophia Moralis nec intendit, nec approbat peccatum, licet cum magna occasione commissum: Ergò neque Logica fictionem cum fundamento.*

38 *Resp. neg. ant. Ad 1. prob., dist. mai.: In eo, quòd intelligatur res esse physicè, sicuti physicè est, concedo mai.; logicè esse, sicuti physicè est, nego mai.; & sic distinct. min., nego conseq. Veritas enim intellectus consistit in eo, quòd res, prout in se, cognoscatur esse, prout re vera est; quo modo cognoscitur esse per fictionem artificiosam cum fundamento; at verò non consistit in eo, quòd res, prout artificiosè disposita, cognoscatur esse prout in se est, præcisivè ab artificio; sed cognosci debet de materiali prout in se, &*

364 Liber I. Quæst. III. de Objecto formalis Logice.

de formalis sub artificio, quod secundum se non habebat; in quo nullus involvitur error, quia illud rationis artificium potius se habet ex parte modi artificiosi, sub quo res cognoscitur, quam ex parte rei artificiosè cognita: *Alietas* autem ex parte modi cognoscendi, sive activi, sive passivi, non causat errorem. (23)

(23) D. Thom.

1. p. q. 86.

ar. 1. ad 1

Vide Coll.

Rip. lib. 5.

lib. 6. n.

22. & 23

39 Ad 2. illius ant. prob. dist. mai.: Quando objectum invitat, aut occasionem præbet tantum, nego mai., quando invitat, & præsupponit directè cognitionem, prout est in se, concedo mai.; & sic distincta minoratio consequentiam. Incitamentum enim, aut occasio, quam objectum præbet, ut aliter, ac est in se, attingatur, est fundamentum remotum ad ens rationis: Proximum autem est directa cognitione ejusdem obiecti, illam occasionem præbentis, prout est in se. Pro cuius intelligentia, nota, (24) quod intellectus ab objecto incitatus, potest illud attingere aliter ac est in se, directè; quando scilicet *alietas* directè fingitur in objecto per modum compositionis, aut divisionis formalis, aut virtualis, ut in hoc actu: *Luna est major Stellarum: Cælum ceruleum;* in quo fingendi modo semper est error, semper chymæra ob defectum proximi fundamenti.

40— Potest iterum attingere objectum aliter, ac est in se indirectè, quando *alietas* non importatur ex parte objecti signata, & ut *quod*, sed exercitè tantum, & ut *quo*; non, ut directè intenta; sed indirectè posita, ut veritas directa appareat artificiosa: In hoc autem fingendi genere nulla est falsitas, vel fallacia. Propterea

D. Thomas docet, (25) *ens rationis*, in quo intentiones generis, & speciei consistunt, inveniri in rebus, non utcumque, sed *consideratis*, idemque consequitur rationis considerationem. Requiritur ergo ad artificium rationis cum fundamento, quod objecta occa-

Art. III. Vtr. aliquod rat.artif. sit Object. &c. 365
sionem præbeant, & quod directè, prout sunt in se,
cognoscantur.

41 *Nunc patet solutio ad primum, & secundum exemplum. Judicativè enim rem aliter, ac in se est, attingere, est rem aliter, ac est, directè, & sine proximo fundamento attingere; sicque nihil mirum, quòd hoc sit errare. Item: Qui viam rectam deserit, et si alicujus testimonio motus, directè viam arripit irrestam; sicque aberrat, et si inculpabiliter. Ad 3. exemplum, nego conseq. Disparitas est: quia neque voluntas exigit attingere objectum modo, aut medio rationi, & æternæ legi dissono, in quo peccatum consistit; neque ita à voluntate objecta petunt attingi; ideoque, licet voluntas ad peccandum vehementer ab objecto incitetur, simpliciter peccat: At verò intellectus petit cognoscere per compositionem, aut divisionem; & eodem modo exigunt objecta cognosci: Ex quo resultat rei attingentia aliter, ac est in se.*

42 *Ad Conf., nego conseq. ob similem disparitatem: Quia Philosophia Moralis moralem non assequitur honestatem, medià objectorum difformitate cum regulis Moralitatis, in qua peccatum formaliter consistit; sed medià conformitate: ideo neque intendit, neque peccatum approbat: Logica autem veritatem scientificam, & proprii, & aliarum scientiarum objecti per rationis artificium assequitur, ut ex dictis liquet, & ex dicendis constabit. Nec dicas: Quòd Logica directè attingit suum objectum: Ergò, si per nos actus à Logica directi non fingunt directè ens rationis, hoc non erit formale objectum Logicæ. Resp. enim, neg. conseq.: Quia Logica non dirigit actus intellectus circa objectum istius primarium, sed circa secundarium; ideo ens, quod actus intellectus indirectè attingunt, respicit Logica directè. (26)*

(26)

Vide Palii.

tr. i quest.

3.n.46.

In fab.

43 *Instab.* : Logica directè intendit logica instrumenta ad assequendam veritatem ; sed figura, quibus res attingitur aliter , quām ēst , sub quovis fundamento, nequeunt esse assequendæ veritatis instrumenta : Ergò. Min. patet ; quia tenebræ nequeunt esse lucis instrumenta, nec virtutis vitia , aut morbi instrumenta sanitatis. *Conf.* : Per vos illa rationis forma resultat ex directa veritatis attingentiâ , & ex objectorum ordinatione : Ergò ad neutrum exigitur à Logica. *Resp.* , (27) neg. min. : Quia , sicut ex debilitate visus queruntur vitrea conspicillia , litteras parvas, ut magnas repræsentantia , & objectum distans , ut propinquum , ad verè , & benè legendum, erroresque vitandos : ita intellectus humanus ex naturali imperfectione indiget Logicæ instrumentis , quæ objecta aliter , ac sunt in se, repræsentet cum fundamento, ad objectorum sine errore veritatem assequendam.

44 *Ad probat.* minoris , nego conseq. Et *insto argumentum* , positis eisdem exemplis : Ergò neque distinctionis formalis, qua ex parte actus apparet objectum, aliter , quām ēst in se, est instrumentum ad obiectorum manifestandam identitatem ? *Deinde* : Disparitas est: Quia ea, à quibus sumitur exemplum , privativè opponuntur unumque importat negationem alterius. At

(28) verò forma artificiosa rationis est amica veritatis
Coll. Rip. scientificæ, medià compositione , quæ realis esse non
lib. 4. dub. potest , assequendæ. *Ad Conf.* ; (28) dist. ant. : Resul-
4. n. 24. tat exercitè , & sub existentia, concedo; signatè , & sub
Irrib. lib. idæli speculatione , neg. ant.: Et dist. cons.: Ad neu-
q 2 art. 6. trum requiritur , ut practicè existens , concedo; ut spe-
argum. 1. culativè cognita ad modum idæi , nego conseq. Itaque
Palanc. tr. Logica in ordinando , & speculando veritatem, atten-
1. quest. 5 dit ad formam rationis signatè conceptam; sicut arti-
num. 39. fex idæam : Ex ordinacione autem resultat illa for-
ma,

ma, ut in actu secundo objecta sint artificiosa, & capacia assequendi veritatem aliarum scientiarum. Pater doctrina in arte domesticandi.

45 *Replie.* contra solutionem : Vitrea specillia, quæ repræsentant duplex, quod est unum ; vel, ut unum, quod est duplex ; vel figuram invertunt, re. præsentando litteram A, ut B, vel artificium domus, ubi non est ; procul dubio sunt instrumenta errandi, non melius videndi ; sed talia sunt vestra entia rationis : Ergo. *Vrgetur* : Quòd homo per vitrea specillia videat objectum, ut grande, sive illud apprehendat, nequit esse conditio necessaria, vel utilis, ut homo videat, objectum esse parvum, atque ita judicet. Ergo, quòd mens per ficta specillia apprehendat hominem, ut ab animali distinctum, nequit esse conditio utilis, ut mens judicet, hominem esse animal, seu ab animali indistinctum.

46 — *In primis* insto arg., posità èadem mai. : Sed tales sunt vestræ formæ intentionales, dum ex parte actus in natura animalis repræsentant, ut unum, quod in se est multiplex; in enuntiatione subiectum, & prædicatum, ut duo, cum in se sint unum : Ergo sunt instrumenta errandi ? *Similiter* urgen. instamus, posito ipso ant. : Ergo quod mens per intentionalia specillia repræsentet hominem, ut ab animali distinctum, nequit esse conditio utilis, ut mens judicet, hominem esse animal, seu ab animali indistinctum ? Quidquid dicant, facile faciet pro nobis.

47 *Deinde resp.* ad replie., nego min.: Quia ejusmodi vitrea specillia, quod est in re unum, repræsentant in se, & prout in se duplex ; & quod est duplex, in se, & prout in se unum, &c ; sive visum non adjuvent ad rectè videndum, sed fallerent : At verò nostra entia rationis repræsentant, quod in se est unum,

ut

363 Liber I. Quest. III. de Objecto formalis Logice.
ut duplex, & quod est duplex, ut unum; sed non prout
in se, sed prout in intellectu: quia ita disposita obje-
cta requirit intellectus, eò quod modo compositivo, &
divisivo cognoscat. *Ad urg. neg. conseq.*: Quia visus
debilis solum eget apparenti objectorum granditate,
ut eorum figuram discernat; quod optimè assequitur
per conspicillia: intellectus verò, ut objectorum ju-
dicet identitatem, debet illa cognoscere componendo;
compositio autem partes distinctas requirit.

48 *Adde*: Quod distinctio rationis non opponitur
identitati reali; sicut realis granditas objecti, ejusdem
parvitat reali: Sicque, licet granditas non condu-
cat ad videndam, & judicandam parvitatem objecti;
distinctio rationis conducere valet, & plurimum, ad
cognoscendam realem identitatem. *Adde iterum*:
Quod visus ex sua debilitate non requirit grandita-
tem apparentem, nisi ad melius percipiendum colo-
rem, & figuram, quae sunt ejus objecta propria; gran-
ditas autem, & parvitas sunt ejus objecta per accidens,
& de materiali. Intellectus verò requirit artificium
compositionis, & divisionis ad cognoscenda objecta
artificiosa, quae cadunt sub ejus objecto proprio: Com-
positio autem sine partium distinctione, & mutua re-
latione stare non potest.

49 *ARGVES* 3.: Artificium demonstrationis non
est ens rationis: Ergo neque aliorum Logice artefa-
ctorum artificium. *Prob. ant.*: Artificium demonstra-
tionis causat scientiam; sed ens rationis nequit scien-
tiā causare: Ergo. *Min. patet*; alioquin verus, &
realis effectus penderet à causa ficta. *Resp., neg. ant.*,
ad prob. dist. mai.: Causat scientiam effectivè, nego
mai; objectivè, subdist., per modum causæ formalis,
nego mai; per modum conditionis valdè cunducen-
tis, conc. mai; & sic distinc. min., neg. conseq. *Li-*
cet

et enim ens rationis nequeat scientiam causare per modum principii effectivi; quo modo actus intellectus illum causant: benè verò per modum objecti: at non ita, ut forma rationis sit ratio formalis causandi scientiam objectivè; sed ita, ut sit pura conditio artificiosa: Ratio autem formalis est veritas objectiva demonstrationis.

50 Exemplum habemus in ordinato exercitu, qui vincit inimicum, ita, ut ratio formalis vincendi sit valor, viresque militum; ordo verò militaris pura conditio utilissima ad vincendum. Aptius adhuc exemplum (29) est in signo ad placitum, cuius forma, cum sit rationis, est conditio, ut vox causet speciem, & notitiam objecti, quæ est ens reale intentionale; non secùs, ac scientia.

51 Dices: Objecta artificiosa realiter causant scientiam; sed nulla causa realis indiget ente rationis, ut conditione, ad causandum effectum realem, alias ens reale ab ente rationis dependeret: Ergò. Conf. 1. Per nos forma artificiosa rationis tantum est conditio in objectis ad causandam scientiam: Ergò non est forma constitutiva artefacti, & specificativa Logicæ. Conf. 2.: Conditio causæ debet cum ea proportionari: Ergò ens rationis nequit esse conditio, ut demonstratio causet scientiam; cum ea sit causa realis.

52 Resp. ad inst., dist. mai.: Causant scientiam realiter physicè, nego mai.; realiter intentionaliter, & objectivè, conc. mai.; & sic distinc. min., neg. conseq. Licet enim causa physica, quæ physicè, & prout à parte rei causat, ente rationis indigere non possit; tamen causa, quæ est purè objectiva, solumque causans, ut objectivè existens, & objectivè movens intellectum, indigere valet ente rationis. Neque est inconveniens, quod ens reale intentionale, qualis est scientia, de-

(29)

Coll. Comp.
Carmelit.
disput. I.
Proœm. q.
2. §. 4. n.
25.

pendet, ut à conditione, ab ente rationis. Ad 1. conf., resp., concessò ant. de scientiis à Logica distinctis (Logicam enim, extrinsecè causat, & specificat) nego conseq. : Licet enim forma rationis sit pura conditio ad causandam scientiam ; est tamen ratio formalis constitutiva instrumenti, quo scientia acquiritur.

53 Cum enim ratio formalis causandi scientiam sit veritas objectiva demonstrationis sub artificio dispositæ ; hæc artificiosa dispositio constituit demonstrationem sub artificio requisito, ut scientiam causet. Quemadmodum ordo militaris constituit milites sub dispositione requisita, ut vincant, licet sit pura conditio ad vincendum. *Præterea* : Quāvis forma rationis sit pura conditio respectu objectorum aliarum scientiarum, quarum non est objectum formale ; respectu autem objecti Logice est ratio formalis extrinseca. (30) Ad 2. conf. resp., antecedens verum esse de proportione in esse causæ, non verò in esse entis. Causa itaque intentionalis requirit conditionem intentionalem sive realem, sive rationalis. (31)

54 *Inßab.* : Si forma rationis esset conditio, ut demonstratio causaret scientiam, esset ratio formalis specificativa Logice; sed forma rationis nequit ens realis, qualis est Logica, specificare: Ergò. Resp., dist. mai.: Specificativa extrinsecè, cōc. mai.: intrinsecè, neg. mai.; & sic dist. min., neg. cōf. Specificare intrinsecè est constituere per modū formæ intrinsecæ, ut anima constituit hominem: hoc modo Logica specificatur ab ordine transcendentali ad objectum, ab ipsa Logica indistincto. Specificare extrinsecè, est esse mensuram perfectionis alterius proportionali modo ; ita, ut tanta sit perfectio intrinseca specificati, quanta satis est ad attingendum suum specificativum: & hoc modo for-

(30)

Vide Palac
tract. 1. q.

5. nu. 43.

(31)

Vide Irrib
ubi sup. ad
Vrg. 1. arg

Art. III. Vtr. aliquod rat.artif. sit Object. &c. 371
forma rationis specificat Logicam; sicut cæteras scien-
tias sua objecta.

55 *Nec dicas ordinem realem, qualis est ordo Lo-*
gicæ ad suum objectum, petere terminum realem:
Nam verum est de ordine prædicamentali, qui ex po-
sitione fundamenti, & termini resultat; non verò de
ordine transcendentali, qualis est ordo Logicæ ad ob-
jectum. At verò: quid foret dicendum casu, quo Deus
infunderet Petro Logicam in primo instanti usus ra-
tionis: infunderet ne cum ente rationis à Deo facta?
Minime: sed infunderet habitum respicientem ens
rationis, ut possibile, & factibile à creatura. Sed quid,
si Petrus in primo illo instanti faceret ens rationis?
Nonne tribueretur Deo, ut authori; sicut tribueretur
Angelorum peccatum, si in primo instanti creationis
peccassent? Negamus, Petrum tunc posse facere ens
rationis ex defectu plenæ discretionis inter id, quod
est, & quod non est.

56 *Aliter instant.* (32) *Contra 1. solutionem ar-*
gum.: Conclusio scientifica nihil aliud prærequirit,
quam, quod convincatur intellectus de identitate ex-
tremorum cum medio; sed convincitur sola præmis-
sarum evidentiâ: Ergò non requiritur ea conditio,
*Deinde: Ex ea solutione sequeretur, objectum cuius-
vis scientiæ constitui proximè scibile ab ente ratio-*
nis. Resp., dist. mai.: Nihil aliud requiritur, ut ratio
formalis, concedo mai.; ut conditio ad facilius ad-
quirendam scientiam, nego mai.; & sic dist. min., ne-
go conseq. Ex quibus patet ad aliud: Requiritur enim
in objectis scientiarum, ut pura conditio, non ut ratio
formalis. Solutio constat ex dictis.

132^v
P. Loffada
ubi suprad.
num. 43.

Corollaria.

57 *Cum Scientiarum omnium ratio formalis sub*
Aaa 2 *qua*

372 Liber I. Quæst. III. de Objecto formalis Logice.
qua sit aliqua abstractio à materia : revocanda sunt in
memoriā, quæ de abstractione à materia diximus in hoc
lib. quæst. 1. art. 6. num. 6. & seq.; ut ratio sub qua Logi-
cæ facilè intelligatur , ne acta iterum agamus. Ratio
igitur formalis sub qua Logicæ est abstractio negati-
va ab omni materia ob imperfectionem. Et ratio est:
Quia illa est ratio formalis sub qua , quæ coaptat ra-
tionem formalem quæ, & ratione cuius hæc cincè à scien-
tia attingitur ; forma autem rationis , quæ est ratio
quæ, seu objectum formale quod, coaptatur , ut à Lo-
gica attingitur , per illam abstractionem ; attingitur
enim , ut immaterialis negativè. Quid autem sit im-
materialitas negativa, seu negativa abstractio, vide ubi
suprà.

58 Nunc examinari solet, quodnam sit Objectum
Logicæ Attributionis? Breviter resolvimus : Objectum
Attributionis Logicæ esse modum sciendi latè sum-
ptum, ut comprehendit Definitionem, Divisionem, Pro-
positionem, & Argumentationem. Et ratio est: Quia Ob-
jectum attributionis est illud , quod per se primò at-
tingit Logica, & ad quod cætera, quæ ab ipsa attingun-
tur , ordinantur ; sed quamlibet modi sciendi speciem
per se Logica attingit , & non ratione alterius ; ea
enim , utpote completa , ad alia per se ordinari non,
possunt; cætera autē, quæ attingit, ad alias species ordi-
nat, puta *subjectum, prædicatum, genus, differentiam, &c.* :
Ergo. Quæ contra hanc resolutionem opponi possunt,
vide apud nostros Authores. (33)

(33)
Vide Coll.
Rip.lib.4.
dub.4.n.5
& 7. & n.
13. & se-
quentibus.
Palanc.tr.
1. quæst. 6
n. 3. 9. &
sequentib.

59 Tandem: Ex dictis per totam quæstionem sum-
mam accipe doctrinæ. Sunt voces artificiosè dispositæ
objectum Logicæ materiale secundarium; quia sunt si-
gna instrumentorum sciendi : non secùs ac pulsus, &
urina, ob similem rationem , sunt objectum secunda-
rium Medicinæ. Actus intellectus sunt objectum secun-
das

darium à Logica dirigibile , non verò simpliciter denominabile : quia à Logica , veluti actiones , diriguntur; sed non recipiunt objectum formale: Eorum artificium non aliter comparatur ad Logicam , quam actionum dispositio ad artem domicatoriam. Totum igitur objectum primarium Logicæ est in artefactis objectivis , quæ sunt objectum Attributionis : Eorum partes objectum attributum ; eorum forma objectum formale ; entitates , ut primò cognitæ , objectum materiale. Hic agi solet de Ente rationis:

Sed commodiūs agemus in Metaphysicā.



LIBER II.

DE VΝIVERSALIBVS.

QUÆSTIO I.

DE SVPERIORVM, INFERIORVMQVE
GRADUUM DISTINCTIONE,

ARTICULUS I.

*Præmonentur ea, quæ ad questionis intelligentiam
desiderantur.*

I



RADVS superiores, & inferiores sunt ea prædicata metaphysica, quibus res metaphysicè constituitur per modum generis, & differentiarum, qui eò superiores dicuntur, quò sunt communiores, & universaliores; eoque inferiores, quò minus communes, & particulariores:
Exem. grat. in homine gradatim ab infimo gradu, velut à basi, ad supræmum usque, tamquam ad summum culmen, ascendimus ita: *Petrus, homo, animal, vivens, corpus, substantia.* E quibus *homo*, est superior Petro, & inferior animali; *animal* superior est homine, & inferior vivente; & sic de reliquis. Ex his gradibus sua unicui-

Art. I. Premonent ea, quæ ad quest. intellig. &c. 375
unicuique correspondet differentia, ac proinde dantur differentiæ superiores, & inferiores, non secùs, ac species, & genera, in qualibet natura.

2 Quoniam autem inquirimus, qua Distinctio gradus illi distinguuntur; sciendum est, quòd cum distinctio sit opposita identitati, opposito modo constitui debet. Est itaque *Identitas* unitas in entitate; quia illa identificari dicimus, quorum una est entitas seu quorum unum est aliud: Ea verò dicimus, esse distincta, quorum unum non est aliud, vel quorum non est una, sed diversa entitas: Quarè non melius Distinctionem describes, quām si eam dixeris: *Carentiam unitatis in entitate*, seu *Multiplicitatem entitativam*. Quam ergò de Distinctione doctrinam dabimus, eandem è contrario sensu accomoda Identitati; quia: *Contrariorum eadem est ratio, & disciplina*.

3 Distinctio dividitur in *realem*, & *rationis*. Distinctio realis est, quæ reperitur inter extrema, quorum unum independenter ab intellectū consideratione, non est aliud; ut ea, quæ datur inter Petrum, & Paulum, inter hominem, & lapidem. Distinctio rationis est, quæ beneficio, & influxu intellectū datur inter extrema, alias realiter indistincta; qualis est distinctio inter animal hominis, & rationale, de quā postea. Nunc adverte, inter esse distinctum, & esse diversum latum esse discrimen, licet aliquoties pro eodem sumantur: Nam esse distinctum dicit puram exclusionem identitatis; sed verò esse diversum addit insuper carentiam similitudinis, aut convenientiae; Petrus itaque, & Paulus in esse hominis sunt distincti, at non diversi.

4 Subdividitur primò Distinctio realis in *positivam*, & *negativam*. Positiva est, quæ inter extrema positiva versatur; ut distinctio realis inter Petrum, &

lapidem. Negativa est , quæ extremis interest realiter negativis , cuiusmodi est distinctio inter duo entia rationis , aut duas carentias ; ut inter cæcitatem , & surditatem. Si autem Distinctio sit inter extrema , quorum alterum est positivum , negativum alterum , appellanda est positiva ex parte extremi positivi , & negativa ex parte negativi ; aut , si velis , eam dicito *Mixtam*: Hujusmodi est distinctio reperta inter lucem , & nebras.

5 Subdividitur secundò realis Distinctio in *adæquatam* , & *inadæquatam*. Adæquata est , quæ inter extrema se totis distincta reperitur ; ut inter hominem , & Angelum. Inadæquata est , quæ datur inter extrema , quæ nec sunt omnino unum , nec penes totum distinguuntur vicissim; cuiusmodi est distinctio inter totum , & quamlibet ejus partem divisim acceptam ; ut inter hominem , & ejus animam. *Insuper* Distinctio realis positiva altera est *absoluta* , altera *modalis*. Prima versatur inter duas res absolutas , quarum neutra est modus alterius , ut inter Petrum , & Paulum. Secunda ponitur inter rem , ejusque modum , ut inter Petrum , & ejus sessionem , inter Paulum , & ejus cursum.

6 Præter has divisiones Distinctionis realis , quibus omnes consentiunt , alias nonnullas admittunt aliqui , ut suam quisque sententiam ferat in dubiis , sequentibus articulis proponendis , quas suis respectivè locis declarabimus. Circumferuntur communiter tria signa Distinctionis realis. Primum est *realis separabilitas* : Ea enim , quæ , vel solùm divinitùs , separari valent , realiter distinguuntur. Enim verò *Inseparabilitas* non est signum identitatis ; cum possint ratione connexionis esse inseparabilia , quæ realiter distinguuntur , ut patet in Personis Sanctissimæ Trinitatis. Secundum signum est *Relatio producentis* , & produ-

Eti: quia nemo potest semetipsum producere. Tertium denique; est Relatio æqualitatis, similitudinis, & quævis alia prædicamentalis.

7 Jam Distinctio rationis est duplex; altera *rationis ratiocinantis*, altera *rationis ratiocinatæ*. Prima est, quæ nullum in re habet fundamentum, sed ab intellectu singitur, vel pro libito, & tunc est purè Chymærica, ut si Divinam Omnipotentiam, quæ leonis productivam, distinguat à se ipsâ, ut productivâ hominis; vel solùm fundatus in suo imperfecto cognoscendi modo; at hæc Distinctio non est chymærica. Secunda est, quæ fundamentum habet in re, cuiusmodi est Distinctio rationis inter animal hominis, & rationale postea stabilienda.

8 Rursus Distinctio rationis ratiocinatæ altera est *inclusiva*, *exclusiva* altera. Prima est, qua distinguuntur ea prædicata, quorum unum involvitur, seu includitur in conceptu alterius, etsi per ejus conceptum non exprimatur; v.gr. Conceptus *homo*, & conceptus *animal rationale*. Secunda est, qua distinguuntur illa prædicata, quorum unum non includit alterum in suo formalí conceptu, sed omnino excludit; v. gr. Distinctio reperta inter *animal*, & *rationale*. Cæterum tunc dicitur unum de formalí conceptu alterius, quando alterum neque concipi, neque explicari aut definiri valet, quin alterum, adminùs confusè, concipiatur: Vnde, quia differentia nulla explicari, aut concipi valet, quin concipiatur *Ens*, istud est de conceptu formalí differentiarum.

9 Præterea Distinctio rationis ratiocinatæ altera est *fundamentalis*, altera *formalis*, seu *actualis*. Fundamentalis est ea virtus, aut fundamentum illud, quod intellectus agnoscit in rebus, ut formalem distinctiōnem effingat. Formalis est, quam actualiter statuit

378 *Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinctione.*
intellectus inter prædicata realiter identificata. Distin-
ctio actualis alia dicitur *positiva*, alia *præcisiva*, seu
negativa. Prima fit, quando utrumque prædicatum
realiter identificatum cognoscitur, ut diversum; v. gr.
animal, & rationale per hanc definitionem: *Animal ra-
tionale*. Secunda fit, quando unum ex prædicatis iden-
tificatis cognoscitur, cæceris ignotis; v. gr. dum cog-
noscitur animal, ignoto rationali.

10 Denique Distinctio rationis una est *subjectiva*,
& formalis, altera *objectiva*, & facta. Prima consistit
in actibus intellectus, repræsentantibus prædicata rea-
liter identificata, ac si essent diversa; ita tamen, ut
nulla diversitas se habeat ex parte objecti repræsen-
ti; sed tota ex parte modi repræsentandi. Secunda
consistit in quādam multiplicitate ex parte objecti, vi
cujus prædicata objectiva realiter identificata, sunt in
se ipsis per rationem distincta. Sed de his fusius in-
frā. Nunc ad quæstionem accedimus; ut, qua Distin-
ctione superiores, & inferiores gradus ejusdem rei
creatæ distinguantur, investigemus.

ARTICVLVS II.

*Vtrum Gradus superiores, & inferiores ejusdem rei crea-
tæ distinguantur ex natura rei?*

i **P**ræter eas divisiones Distinctionis realis,
quas articulo antecedenti retulimus, alia
(1) est familiaris Scotistis cum suo Subili Doctore, di-
Scotus in vidente (1) Distinctionem realem in Realem entitati-
1. dist. 8. q vam, seu absolutam, & Realem formalem ex natura
4. & alibi rei. Primam appellant, quæ datur inter duo entia
sep̄. quorum unum realiter absolute non est aliud, atque
adeo inter rem, & rem intercedere, dicunt; v. gr. Di-
stinctio

Indio inter Petrum, & Paulum. Secundam esse assertunt, quæ reperitur inter duas formalitates ejusdem rei realiter absolute identificatas, diversas tamen habentes quidditates; atque objectivas conceptibilitates. Hanc Distinctionem describunt ad mentem Scoti: (2)

Exclusio formalis unius à concepsu alterius.

(2)

2. Suam Distinctionem variis honorant titulis Scotti Discipuli. Primo eam appellant *realem*; quia ipsis rerum naturis inest independenter ab intellectu consideratione. Secundo illam nominant *formalem*; quia non intervenit inter res, sed inter formalitates ejusdem rei. Tertio ipsam dicunt *medium*; non, quia non sit propriè realis; sed quoniam minor est, quam realis absoluta, major autem distinctione rationis; cum detur ante operationem intellectus actualiter in rebus, adeoque *actualis* etiam dici solet. Quartò eam esse dicunt *ex natura rei*; quia ex ipsa utriusque formalitatis natura dimanat. Tandem eam vocant *Scotiam*; quia ab Scoto circumfertur inventa.

Scotus in
1. diß. 2.
quæst. 7.

3. Si autem ab Scotistis inquiras, quatenus differant res, & formalitates? Resp.: (3) Tunc extrema vocari *res*, cùm sunt entia, ita completa, ut possit unum sine alio, vel naturaliter, vel divinitùs, sive mutuo, sive non mutuo, existere; ut duo homines: Tunc autem vocari *formalitates*, cùm sunt prædicata ejusdem individualis rei penitus inseparabilia, diversimode tamen definiabilia. Has formalitates appellant etiam *realitates*, seu *aliquitates* ejusdem rei. Ex triplici capite suam Distinctionem inferunt Scotistæ. Primo ex definitione: cum enim prædicata realiter identificata diversis definitionibus definiuntur, scoticè apud ipsos distinguuntur. Secundo ex contradictione: ut, si de his, quæ realiter absolute identificantur verificantur contradictionia absque ulla intellectu operatione. Tertiò

(3)
Meriner.
disp. 1. de
Vniver.q.
2. sect. 1.

380 Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinct. ex reali reduplicatione; ut, si quod uni, ut tali, convenit, non convenit alteri in sensu reali.

Nostra Conclusio.

4 DICIMVS ergo: Inter prædicata metaphysica superiora, & inferiora ejusdem rei creatæ non intervenit Distinctio realis ex natura rei. Hanc conclusiō nem tenent Thomistæ omnes, & Jesuitæ, contra universos Scotistas, cum quibus jam omnes supponunt, ea prædicata non distingui realiter absolutè: Et meritò; quia ex his prædicatis alterum de altero absolutè, & verè prædicatur, cum dicimus: *Rationale est animal: Petrus est homo, &c.*: Ergo absolutè identificantur. Sed hæc suppositione egent, non probatione; licet Caramuel, suo ingenio sisus, (4) oppositum senserit.

(4)
Caram. in
Metalogia
6.4. dis. 8.

5 PROB. Conclusio: Distinctio formalis ex natura rei est distinctio realis entitativa, & absoluta; sed inter prædicata metaphysica; v.gr. *animal*, & *rationale*, non datur distinctio realis entitativa, & absoluta: Ergo. Prob. mai.: Distinctio formalis ex natura rei est ea, vi cuius animalitas, & rationalitas ante omnem intellectus considerationem actu distinguuntur; sed distinctio, qua animalitas, & rationalitas ante omnem intellectus considerationem distinguuntur, est realis entitativa, & absoluta: Ergo. Prob. min.: Ea distinctio, quatenus ab intellectus consideratione independens, est realis, ut Contrarii fatentur; sed quatenus inest animalitati, & rationalitati à parte rei, est entitativa, & absoluta: Ergo.

6 Prob. min. i.: Distinctio, quæ à parte rei intervenit inter animal, & rationale, verè, & absolutè facit, ut animal, & rationale sint duo extrema positiva, quorum unum non est realiter entitativè aliud; sed

Art. II. Vtr. grad. sup. & inf. dist. ex natura rei? 381
se, à parte rei unum non esse aliud entitativè,
et realiter entitativè ab eo distingui: Ergò. Prob.
mai.: Animal, & rationale, prout distincta à par-
te rei, sunt verè, & simpliciter entitatis; sed
distinctio inter entitates verè, & absolutè facit,
ut sint extrema entitativè distincta: Ergò. Prob.
mai.: Animal, & rationale, prout distincta à parte
rei, includunt realiter rationem entis; non enim
sunt formalitates abstractissimæ, ut ab ente præscin-
dant: Ergò.

7 *Pro 2. illa min.*: Distinctio, quæ independenter
ab intellectu, à parte rei existit, est realis absoluta;
sed talis est illa distinctio: Ergò. Prob. mai.: Ens, à
parte rei existens, & independens ab intellectu, est
ens reale absolutum: Ergò pariter. *Prob. 3 ipsa min.*:
Formalitates, quæ à parte rei distinguuntur, sunt for-
maliter entitatis; sed distinctio realis inter entitates
est entitativa: Ergò distinctio, quæ datur inter forma-
litates animalis, & rationalis à parte rei, est entitati-
va, & absoluta. Prob. mai.: Prædicata, quæ formaliter
constituunt id, quod est formaliter ens, debent
esse formaliter entitatis, saltem incompletæ; alias
ens formaliter tale per nullam entitatem constituere-
tur; sed formalitates, apud Contrarios à parte rei
distinctæ, constituunt, quod est formaliter ens, ut
patet: Ergò.

8 *Vrgetur, & præveniuntur Contrariorum effu-*
gia: Si Distinctio Scotica non esset realis absoluta; ideo
esset, quia non versatur inter res, sed inter formalita-
tes ejusdem rei; sed hæc solutio, & falsa est, & nulla:
Ergò. *Prob. min.*, quoad primam partem: Animalita-
ti, & rationalitati ex natura rei distinctis nihil deficit,
ut sint res propriæ, & simpliciter: Ergò distinctio ex
naturæ rei versatur inter res. *Prob. ant.*; In eo maxi-
mè

mē dignoscitur, aliqua prædicta esse res, quod dicunt ordinem ad suam specialem existentiam, ut Contrarii dicunt; (5) sed, supposita Distinctione ex natura rei inter animal, & rationale, utrumque dicit ordinem ad suam specialem existentiam: Ergo.

- (5) *Mistrius, dis. 1. Log. n. 63. & dis. 6. Metaph. num. 160. 161. & 178.*
- 9 Prob. min.: Supposita illa Distinctione inter animal, & rationale, eadem omnino admittenda est Distinctio inter existentiam animalis, & existentiam rationalis; sed hoc ipso animal, & rationale dicunt ordinem ad suam specialem existentiam: Ergo. Majorem admittunt ex Scotistis plures; (6) & meritò, cum inter hominis essentiam ex animali, & rationali constitutam, ejusdemque existentiam nullam realem distinctionem admittant. *Prob. insuper:* Sicut in animali, & rationali apparent signa distinctionis formalis ex natura rei, ita inter existentiam animalis, & rationalis: Ergo.

- (6) *Aliqui Scoto. tiste apud Mast. dis. 6. Metaph. num. 179. & 180.*

ro Prob. ant.: Non minus de existentiā animalis, quam de ipso animali, verificatur à parte rei, esse rationem conveniendi cum existentiā leonis; & non esse rationem conveniendi cum existentiā leonis verificatur de existentiā rationalis, non secùs, ac de ipso rationali: Ergo non minus de existentiā animalis, & existentiā rationalis, quam de ipso animali, & rationali, verificantur contradictionia à parte rei. *Item:* Alter definiri, & objectivè concipi potest existentia, in quantum animalis est, ac in quantum est rationalis; sed hæc sunt signa distinctionis ex natura rei: Ergo. *Additum:* omnia Scotistarum argumenta æquè probare suam Distinctionem inter animal, & rationale, ac inter eorum existentias.

- 11 *Prob. jam quoad secundam partem minor illa num. 8. : Sicut formalitates ejusdem rei non sunt propriæ res, ita modi ejusdem individui; v. gr. sessio, & quies,*

quies, non sunt propriè res; sed inter modos ejusdem individui intervenit distinctio entitativa, & absoluta: Ergò, quod distinctio Scotica sit inter formalitates ejusdem rei, nihil obest, quo minus sit absoluta. *Nec dicas*: Modos esse separabiles, tūm inter se, tūm à re, cujus sunt modi; secùs formalitates. *Contra enim*: Totum, & partes simùl sumptæ nullà potentia separari valent, Paternitas, & Filiatio in divinis sunt formalitates prorsùs inseparabiles; sed totum, & partes simùl sumptæ; Paternitas, & Filiatio realiter absolute distinguuntur, ut ipsi non negant: Ergò inseparabilitas formalitatum non obest illarum reali absolute distinctioni.

12 *Si dicant*, ut solent, inter totum, & partes intercedere causalitatem, & inter Paternitatem, & Filiationem intervenire productionem; quia partes sunt causa totius, & Paternitas, vel est principium quo, vel connotatum administris principii productivi Filii; causalitatem autem, & productionem esse signa distinctionis realis absolute. *Contra*: Per vos, licet Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab illo distingueretur; sed tunc casus, neque productio, neque separabilitas interveniret: Ergò pariter est discurrendum de formalitatibus ex natura rei distinctis. *Deinde*: In quovis composito physico dantur, per vos, duæ uniones inseparabiles, quarum neutra causatur ab altera: Ergò.

13 *PROB.* 2. *Conclusio*: Si animalitas, & rationalitas distinguerentur ex natura rei, etiam rationalitas, & ratio differentiæ specificæ rationalitatis distinguerentur ex natura rei; sed hoc est absurdum: Ergò. Minor jure concedi solet ab Adversariis; alias rationalitas præcisa à ratione specificæ differentiæ componeretur ex alia ratione differentiæ, & ex taleitate differentiæ, & hæc ex alia usque in infinitum. Maior prob.

384 Liber II. Quest. I. de sup. & inf. grad. distinct.

prob. : Ideo animalitas , & rationalitas distinguuntur ex natura rei , quia diversimodè definiuntur , & quia prima est ratio conveniendi , non secunda ; sed hæc , & alia quævis signa Distinctionis ex natura rei apparent in rationalitate , & ratione differentiæ specificæ rationalitatis : Ergo.

14 Prob. min. : Ratio differentiæ specificæ definiatur : *Formalitas contractiva generis* ; rationalitas vero : *Principium discurrendi* : Item rationalitas sub ratione differentiæ specificæ convenit cum cæteris differentiis specificis , quibus non convenit , in quantum est principium discursus : Ergo. Idem argumentum fieri potest de Petreitate , & quavis alia simplicissima formalitate. Respondent Contrarii ; (7) non temper ex diversis definitionibus argui Distinctionem ex natura rei ; sed solum , quandò definitiones traduntur per conceptus adæquatos , & per prædicata essentialia ; non per ordinem ad extrinseca connotata , aut operationes.

15 Contra 1. : Quando animal , & rationale definiuntur à Contrariis per esse : *Principium sensationis* , & *principium discursus* definiuntur per ordinem ad operationes , aut extrinseca connotata ; sed diversitas harum definitionum arguit apud ipsos Distinctionem ex natura rei : Ergo. Contra 2. : Per vos , (8) tunc definitiones traduntur per conceptus adæquatos , & essentiales , cum ex illis altera potest alicui competere , cui nequit altera convenire , ut patet in definitione animalis , quæ convenit bruto , cui definitio rationalis non convenit ; sed definitio differentiæ specificæ convenit omnibus differentiis specificis , quibus non convenit definitio rationalitatis ; definitio itidem differentiæ individualis omnibus differentiis individualibus , quibus non convenit definitio Petreitatis : Ergo.

(7) *Mastr. disf. 6. Metapo. b. num. 214.*

(8) *Mastr. disf. 8. Metapo. num. 214.*

PROB.

16 PROB. 3. Conclusio: Natura Petri non distinguitur ex natura rei à Petreitate: Ergò neque animal à rationali. Prob. ant.: Natura Petri est formaliter ex natura rei completere, & perfecte singularis; sed non per aliud, quām per Petreitatem, quæ est Petri *ecceitas*; alias darentur in Petro plures ecceitates: Ergò includit ex natura rei Petreitatem. Conf.: Natura Petri, ut talis, individualiter differt, & ex natura rei à natura Pauli, ut tali; alias illæ naturæ individuales in statu contradictionis haberent, nedum unitatem formalem, sed identitatem individualem; atqui non differt nisi per Petreitatem, cum cætera prædicata habeat communia utraque natura: Ergo.

17 PROB. ultimò Conclusio: Si daretur distinctione ex natura rei inter animal, & rationale, id inferretur ex diversitate definitionum, & ex verificatio-ne contradictionis independenter ab intellectu; sed hæ rationes sunt prorsùs insufficientes, ut eam distinctionem inferant: Ergò. *Prob. min. quoad 1. partem.* Ratio *differentiae*, & ratio *ultimæ* diversis definitionibus definiuntur; Ratio *distinctionis*, & ratio *formalitatis* ex natura rei diversis pariter definitionibus defini-ri valent; sed illæ rationes non distinguuntur in ultima differentia, alias non esset ultima; neque istæ in distinctione ex natura rei, alias distinctio, qua illæ rationes distinctionis distinguerentur, importaret aliam distinctionem, hæc aliam, &c.: Ergò.

18 *Prob. illa min. quoad secundam partem* eisdem exemplis: In ultima differentia formalitas *differentiae* est ratio conveniendi cum differentiis non ultimis, & formalitas *ultime* non est ejusmodi ratio convenien-di; sed nihilominus ex natura rei non distinguuntur: Ergò verificatio contradictionis non infert distinctionem ex natura rei. Conf.: Verificatio contradictionis

in sensu reali absoluto non infert distinctionem realēm absolutam: Ergo pariter. Prob. ant.: De Divina Essentia, prout in Patre, verificatur, realiter absolute communicari Filio, secūs de Paternitate; sed Essentia, & Paternitas non distinguuntur realiter absolute: Ergo. *Vide alia in Colleg. Rip.*

SOLVUNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

18 **A**RGVES I.: Animal, & rationale sunt gra-

dus metaphysici superiores, & inferiores
ejusdem rei; sed his convenit distinctio ex natura rei:
Ergo. Prob. min.: Animali, & rationali convenient
à parte rei prædicata contradictoria; sed prædicata
contradictoria nequeunt convenire uni, & eidem sub-
jecto: Ergo animal, & rationale ante operationem
intellectus distinguuntur, non absolute, ut omnibus
est inconfessò, sed ex natura rei. Min. est certa; quia
aliás verificaretur affirmatio, & negatio ejusdē de co-
dem; quod repugnat. Prob. mai.: Animal à parte rei
est ratio assimilandi hominem equo; rationale non est
ejusdem ratio assimilandi; sed potius dissimilandi:
atqui esse, & non esse rationem assimilandi hominem
equo sunt prædicata contradictoria: Ergo.

20 Major, quoad primam partem est omnibus
evidens; quoad secundam prob. I.: Idem nequit esse ra-
tio assimilandi hominem equo; & simul dissimilandi
hominem equo; sed rationale à parte rei est ratio dis-
similandi hominem equo: Ergo. Prob. 2. eadem pars:
Ratio assimilandi unum alteri debet utriusque extremo
convenire, ut patet in animali; sed rationale non
convenit equo: Ergo. Hoc est præcipuum Adversario-
rum fundamentum; sed retorquetur in ipsis primò
exemplis positis num. 13. & 14. Secundò: Animal à
parte

parte rei est realiter absolute ratio assimilandi, & rationale realiter absolute non est ratio assimilandi, quod æquè suadent eorum probationes, ac in sensu formalis ex natura rei: Ergo de animali, & rationali verificantur contradictionia in sensu reali absoluto, atque adeò realiter absoltè distinguuntur?

21 Ad argumenti solutionem nota duo. Primum; (9) quod, cum noster intellectus ex propria indole præcisivus sit in cognoscendo; res quælibet concipi potest conceptu adæquato, exprimente omnes rationes, quæ in re ipsa realiter inveniuntur; ut si hominis essentiam exprimas hoc conceptu: *Animal rationale*: Vel concipi potest conceptu inadæquato ex se ipso præcisivo, & non exprimente omnes rationes, quæ ipsi rei competunt realiter; ut, si Deum concipiias infinitè Sanctum, & Justum. Vnde, cum res nominemus modo, quo eas concipimus, rebus adæquatè conceptis imponere solemus nomina, eas adæquatè exprimentia; ut essentiaz hominis voces istas: *Animal rationale*; inadæquatè verò conceptis nomina imponimus pariter inadæquata; ut cum dicimus: *Rationalitas realis*.

22 Secundum nota, (10) quod purissima similitudo numquam invenitur in rebus realiter distinctis; sed semper est aliquà dissimilitudine mixta; namque ipsum animal hominis est dissimile animali bruti in eo, quod animal hominis exigit non separari à rationali, quod animal bruti non postulat: Vnde imperfecta similitudo non excludit omnino dissimilitudinem, sed aliquam secum admittit; neque dissimilitudo destruit id, quod adstruit similitudo, quando utraque est aliqualiter imperfecta. Quare, animal esse rationem assimilandi hominem equo, idem est, ac dari duo animalia, alterum in homine, alterum in equo; scilicet hominem, & equum

(9)

Coll. Rip.
lib. 6. dub.
3. num. 10
& 11.

(10)

P. Loff. tra
2. dif. 1. c.
3. n. 5. &
6.
V. D. Thom
3 p q. 5. a.
1. ad 3.

388 Liber II. Quæst. I. de super. & inf. grad. dist.
esse duo animalia: Et, rationale non esse rationem
assimilandi, est, rationale non reperiri in equo, sicut
in homine; seu eos non esse duos rationales.

23 Ad formam argumenti, resp., neg. min.; ad
prob., neg. mai.; ad ejus prob., nego mai. quoad se-
cundam partem, quod scilicet rationale à parte rei non
sit ratio assimilandi hominem equo. *Ad ejus primam*
prob., dist. mai.: Idem nequit esse ratio perfectè assi-
milandi, & dissimilandi, concedo maj.; imperfectè
assimilandi, & dissimilandi, neg. mai.; & sic distinctè
min., nego conseq. Cum itaque animal, & rationale
à parte rei sint omnino idem; tam animal, quā rationale
est ratio assimilandi cum aliquā dissimilitudī-
ne; & utrumque est ratio dissimilandi cum aliquā si-
militudine: Vtrumque est ratio assimilandi, quatenus
in equo datur animal simile animali rationali; utrum-
que est ratio dissimilandi, quatenus in equo non da-
tur rationale simile animali rationali.

(11) 24 *Ad 2. probationem* (11) dist. mai.: Ratio assi-
Coll. Rip. milandi debet utriusque extremo convenire præcisè, ne-
ub. sup. v. go mai.; Ratio assimilandi, vel aliquid ei simile, con-
26. cedo mai.; & dist. min.: Rationale non convenit equo,
neque aliud rationali simile, nego min.; & convenit
aliud, quod est rationali simile, concedo min., & ne-
go conseq. Sicut animal hominis est simile leoni, quin
leoni conveniat, ex eo solùm, quod leoni conveniat
aliud animal simile animali hominis; ita rationale
realiter sumptum est simile leoni; non, quod leoni
conveniat; sed quia leoni convenit animal simile ra-
tionali: Cum enim animal leonis simile sit animali ho-
minis cum rationali realiter identificato, pariter est si-
miles rationali.

25 Dices: Ergo homo verè dicitur equo similis in
rationalitate, sicut verè dicitur equo similis in anima-

lita-

litate. Neganda est absolute hæc consequentia ; quia procedit in sensu præcisivo, & formali, cum *animalitas*, & *rationalitas* sint ex se conceptus præcisi, & formales; in sensu autem formali animalitas, non rationalitas, est equo similis : *At vero*, si consequentia procedat de animalitate in sensu reali, & similiter de rationalitate; *dicimus*, hominem esse æquè similem bruto in realitate rationalis, ac in realitate animalis, & æquè illi dissimilem in realitate animalis, ac in realitate rationalis ; quia est una indivisibilis realitas, cui est aliqualiter similis, & aliqualiter dissimilis realitas bruti ; ut diximus num. 23.

26 *Dices iterum* : Quia homo, & equus similes sunt in animalitate reali, homo, & equus sunt duo animalia : Ergo, si essent similes in rationalitate reali, essent duo rationalia. *Aliter* : Quia homo, & equus, sunt realiter duo animalia, homo est similis equo in animalitate reali : Ergo quia homo, & equus non sunt realiter duo rationalia, homo non est similis equo in rationalitate reali. *Resp.*, (12) dist. ant. : Quia sunt similes in animalitate, utcumque, neg. ant. : Quia sunt similes in animalitate, fundante similitudinem ex parte utriusque extremi, conc. ant. ; & dist. conseq. : Si essent similes in rationalitate, fundante similitudinem tam ex parte equi, quam ex parte hominis, concedo conseq. ; si essent similes in rationalitate, fundante solum similitudinem ex parte hominis, nego consequiam.

27 *Ad alteram formam* similiter dist. ant. : Est similis equo in animalitate, fundante similitudinem ex parte utriusque extremi, concedo ant. ; fundante solum ex parte alterius, neg. ant. : Et dist. consequens : Homo non est similis equo in rationalitate, quæ fundet similitudinem ex parte equi, concedo ; quæ fundet

(12)

Vide Coll.
Rip. ubi
sup. n. 18.
19. & 20.

det ex parte hominis, nego conseq.: Itaque animalitas altera reperitur in homine, altera in equo; rationalitas solum in homine, sed cum ejus animalitate eadem omnino; hinnibilitas solum in equo cum ejus animalitate realiter identificata: Igitur una animalitas est ratio assimilandi hominem equo, & altera equum homini, quia in utroque reperitur: rationalitas est ratio assimilandi hominem equo; sed non equum homini, quia in equo non datur rationalitas, sed aliud simile: & hinnibilitas est ratio assimilandi equum homini; sed non hominem equo, ob similem rationem.

28 *Pariter* animalitas hominis est ratio dissimilandi hominem equo, quia illa est aliquid, quod non est equus, scilicet *rationalis*; animalitas equi est ratio dissimilandi equum homini, quia ista est hinnibilis, non autem homo; idemque discurrendum est de rationalitate respectu hominis, & de hinnibilitate respectu equi. *Si discas*: Nequit idem extrellum esse aequale, & inaequale alteri: Ergo neque simile, & dissimile. *Nego conseq.*: Quia aequalitas consistit in indivisiibili in eodem scilicet, quod alterum nihil plus, minus, & habeat, quam alterum, sed tantumdem praeceps: similitudo vero recipit magis, & minus; ideoque potest unum esse alteri aliqualiter simile, & aliqualiter dissimile; ut patet in colore fusco respectu albi, & nigri, & in tepido respectu frigidi, & calidi.

29 *Replie.*: Si tam animal, quam rationale, esset ratio assimilandi, ac dissimilandi hominem equo, Petrus esset aequaliter similis equo, ac Paulo, & aequaliter dissimilis Paulo, ac equo; sed hoc est plus, quam aperte, falsum: Ergo. *Prob. mai.*: Petrus nequit esse similis Paulo, nisi in animalitate, & rationalitate, neque in aliis valet esse dissimilis; sed in eisdem, per vos, est similis, & dissimilis equo: Ergo. *Aliter*: Petrus a parte

Art. II. Vtr. grad sup. & inf. dist. ex natura rei? 391
te rei est similior Paulo, quam equo: Ergò est similior in pluribus formalitatibus, sive sunt plures formalitates. Hęc replica instari potest, sicut argumentum, in sensu reali absoluto juxta dicta num. 20.

30 *Ad replic. dist. mai.* : Eset æquè similis, & dissimilis extensivè, conc. mai.; intensivè, nego mai.: Est æquè similis, & dissimilis extensivè; quia in omnibus, quibus Petrus est similis, & dissimilis equo, est similis, & dissimilis Paulo à parte rei, cùm utriusque sit similis, ac dissimilis in entitate prorsus indivisibili: *Ceterum* intensivè est similior Paulo, quam equo; quia licet ratio assimilandi, prout ex parte Petri, sit eadem, nimirūm entitas animalis rationalis Petri; at verò ex parte Pauli est altera ratio assimilandi entitati Petri similior, quam ratio assimilandi ex parte equi; quia ex parte hujus est animal irrationale; ex parte illius animal rationale: Contrarium militat in rationibus dissimilandi. Major enim similitudo, aut dissimilitudo intensiva ex majori, aut minori extre- morum proportione consurgit.

31 Ex quibus patet solutio ad alteram formam:
Distin. enim ant. : Petrus à parte rei est similior Paulo, quam equo, intensivè, concedo ant.; extensivè, nego ant., & consequent. Petrus est plus similis Paulo, quam equo; sed non in pluribus, ut satis constat. Pro solvendis aliis instantiis *adverte*, (13) quod aliqualis conformitas essentiæ Petri cum essentia equi fundat utriusque similitudinem; & utriusque essentiæ dif- formitas aliqualis fundat inter utramque dissimilitudinem: At verò illa similitudo, & dissimilitudo ista realiter distinguuntur, cùm sint duæ relatio- nes diversæ; unde, licet inter Petrum, & Paulum, sit major similitudo, quam inter Petrum, & equum, non ideo est etiam major dissimilitudo, sed è contrà.

(13)
Vide. Pat.
Loff. tr. 2.
disp. I. cap
3. à n. 12.
& seq.

32 ARGVS 2. : Prædicata metaphysica realiter absolutè idenſificata , quæ diversis definitionibus definiuntur , distinguuntur ex natura rei ; sed animal , & rationale sunt prædicata metaphysica realiter absolutè idenſificata , quæ diversis definitionibus definiuntur: Ergò. Minor certa est , cum animal definiatur : *Principium sensationis* ; rationale verò : *Principium discursus*. Prob. mai. : Prædicata , quæ diversis definitionibus definiuntur , habent diversas quidditates formales: Ergò. Hoc argumentum instari potest exemplis positis num. 17. Insuper : Animal , & ejus cognoscibilitas , Petreitas , & ejus ratio differentiæ individualis diversis definitionibus definiuntur : Ergò distinguuntur ex natura rei?

33 Resp. directè , dist. mai.: Quæ diversis definitionibus adæquatis definiuntur , concedo mai. ; inadæquatis , nego mai. ; & distinctà min. , nego conseq. Itaque diversitas definitionum tunc solum infert diversas quidditates reales , cùm definitiones sunt objecto , prout à parte rei existenti , adæquatæ; idest quando explicant totam quidditatem realem objecti: sed nō cū sunt inadæquatæ , totā objecti quidditatē nō explicates; sed eam , prout per rationem divisam in duos conceptus , altera explicat quoad unum , altera quoad alterum. Cū autem animal à parte rei , nedum sit principiū sensationis , sed etiam discursus , rationale , nedum principiū discursus sed etiam sensationis ; fit inde , ut objectæ definitiones sunt inadæquatæ.

34 Dives : Bona definitio adæquari debet cum suo definito , ut est regula Dialeticæ ; sed hæc definitio : *Principium sensationis* , est optima animalis definitio : Ergò est adæquata. Pari ratione probatur de definitione rationalis. Resp. , dist. mai. : Debet adæquari cum definito , modo , quo definitum est , concedo

Art. II. Vtr. grad. sup. & inf. dist. ex natura rei? 393
cedo mai. ; modo , quo non est definitum, nego mai. ;
& dist. min.: Est optima definitio animalis realiter
sumpti , nego min. ; formaliter , & præcisivè accepti ,
concedo min. , & nego consequent. Eo enim modo
res definiuntur , quo ab intellectu concipiuntur , cum
definitio sit rationis opus : Cum autem intellectus
animal , & rationale apprehendat , ut vicissim inter
se distincta per rationem ; ea, ut sic distincta , illis de-
finitionibus definit. Quòd si adæquatam animalis , aut
rationalis , prout in re , exoptes definitionem , hæc
est utriusque : *Principium sensationis, & discursus.*

35 *Dices adbuc* : Vnius realitatis nequit dari du-
plex conceptus; sed animalis , & rationalis dantur duo
conceptus per eas definitiones definiti : Ergò animal,
& rationale , non sunt unica , sed duplex realitas for-
malis. Prob. mai. : distinctio conceptum sumitur à
distinctione rei , seu objecti , aliàs sine fundamento
fingitur: Ergò. *Resp.* , dist. ant. probationis: A distin-
ctione fundamentali rei , seu à fundamento distinctio-
nis in objecto reperto, conc. ant.; à distinctione actuali ,
nego ant. , & conseq. In realitate animalis ratio-
nalis , etsi non inveniatur actualis distinctio , datur
fundamentalis ; quia intellectui præbet ad distinctio-
nem rationis sufficiens fundamentum , suo loco ex-
plicandum. (14)

36 *Instab.* : Animal , & rationale , ut definita per
illas definitiones differunt essentialiter , cum differant
definitione; sed nequeunt differre essentialiter vi præ-
cisionis intellectus: Ergò differunt realiter ante quod-
cumque rationis opus. Prob. min. : Præcisio intelle-
ctus advenit accidentaliter animali , & rationali , cum
ea præcisio sit accidens rationis: Ergò. *Resp.* dist. min.:
Nequeunt differre essentialiter in re , concedo min. ;
nequeunt differre essentialiter per rationem , nego

(14)
*Vide art.
sequent. à
num. II.*

Ddd

min.

394 *Liber II. Quæst. I. de sup. & inf. grad. dist.*
min. , & conseq. Itaque intellectus præcindit , & di-
vidit essentiam hominis in essentiam animalis , & ra-
tionalis : Vnde licet hæc distinctione adveniat illis acci-
dentaliter ; semel , ac ipsis convenit , habent essentias
per rationem diversas. (15)

(15) *Vide Palæ*
hic n. 18.
Langa ib.
n. 293. &
Ripen. hic
num. 34.

37 *Repli. aliter contra primam solutionem ar-*
gumenti : Ergò diversitas definitionis adæquata ar-
guit distinctionem ex natura rei ; sed hæc definitio:
Animal rationale , est adæquata naturæ humanæ Pe-
tri , & non definit ejus Petreitatem : Ergò inter na-
turam humanam , & Petreitatem datur distinctio *ex*
natura rei. *Resp.* , dist. min. : Est adæquata naturæ hu-
manæ Petri adæquatione logica , & in sensu præcisi-
vo , concedo min. ; adæquatione physicæ , & in sensu
reali , neg. min. & conseq. Quando definimus speciem
aliquam , eam definimus præcisivè ab ecceitatibus ;
quia intellectus in definiendo est præcisivus. *Si dicas:*
Ergò , ut homo definiatur adæquatè adæquatione reali , debent omnes ejus gradus definiri. *Concedimus*
conseq. ; licet communiter ita non fiat , quia defini-
tur res , prout conductit ad Scientiam , quæ non datur
de singularibus. (16)

(16) *Vide Irrib*
hic, arg. 1.
§. Dices.
P. Loffada
tr. 2. disp.
I. cap. 3. n.
18.

38 *ARGVES 3.:* Inter animal , & rationale datur
aliqua distinctione realis ; sed non absoluta : Ergò ex na-
tura rei. *Prob. mai.* : Inter animal , & rationale datur
aliqua compositio realis ; sed compositio realis postu-
lat realem extremorum distinctionem : Ergo. *Prob.*
maj. : Compositio metaphysica est compositio realis ;
sed hæcne datur inter animal , & rationale : Ergò.
Prob. maj. : Compositio , quæ excluditur per simpi-
citetatem realem , est compositio realis ; sed compo-
sitio metaphysica à Deo excluditur vi simplicitatis rea-
lis : Ergò. *Conf.* : Ecceitas , seu individualitas est ex-
tra essentiam hominis : Ergò essentia hominis disti-
n-
guitur

Art. II. Vir. grad. sup. & inf. dist. ex natura rei? 395
guitur ex natura rei ab esseitate. Ant. patet; nam es-
sentialia hominis non est essentialiter singularis.

39 *Ad arg. dist. mai. ultimi syllogismi*: Quæ di-
rectè, & formaliter excluditur per simplicitatem rea-
lem, concedo maj.; quæ indirectè, & illativè exclu-
ditur, neg. maj.; & sic distincta min., nego conseq.
Inter animal, & rationale à parte rei nulla datur com-
positio, adhuc metaphysica; quia hæc non est realis,
sed rationis. At verò hæc compositio metaphysica ex-
cluditur à Deo; radicaliter, & illativè, quia Deus
est simplicissima, & purissima entitas actualis nullam
dicens compositionem ex materia, & formâ, aut ex
essentiali, & existentiâ; formaliter verò, quia datur
mutua inclusio conceptuum in Deo, nec dari valet
conceptus ullus ab aliis perfectè præcisus, ut petit
metaphysica compositio.

40 *Ad Conf.*, dist. ant.: Ecceitas est extrâ essen-
tiam metaphysicam hominis, concedo. ant.; extrâ
essentiam physicam, & in statu reali acceptam, ne-
go ant., & conseq. *Ad prob. dist. illam*: Non est essen-
tialiter singularis, secundum se, aut in statu præci-
sionis, concedo ant.; non est essentialiter singularis,
ut contracta, seu in statu reali contractionis, nego
ant., & consequent. Quilibet natura secundum se,
aut præcisa, præscindit ab esseitate; contracta verò
secum identificat esseitatem, estque essentialiter sin-
gularis. Vnde jam differt à Naturâ Divinâ, quæ secun-
dum se postulat singularitatem, neque ab istâ valet
perfectè præscindi.

41 *ARGVES 4.*: Animal ex natura rei non est ra-
tionale: Ergo distinguitur, ex natura rei à rationali.
Prob. ant.: Animal ex natura rei non est totus homo;
sed, si esset rationale, esset totus homo: Ergo. *Prob.*
maj.: Homo non bene definitur per *animal*: Ergo.

Dddz

Conf.

Conf. 1. : Hæc propositio est falsa : *Homo à parte rei tantum est animal* : Ergò est à parte rei aliquid præter animal , scilicet rationale. *Conf. 2.* : Animal ex suo conceptu formalis non est rationale ; aliás etiam animal bruti , participans conceptum animalis, esset rationale : Ergò.

42 *Ad arg.*, concessso ultimo ant., nego conseq. : Quia conceptus *animal* ex se præcisivus est , non explicans animal adæquatè, prout à parte rei , sed inadæquatè , ut præcisum à rationali; ideo non explicat totum hominem , neque valet esse hominis definitio. Sed verò conceptus explicans totum animal , prout à parte rei , explicat etiam rationale, cum animal à parte rei sit rationale ; qui quidem conceptus alius non est , nisi *Animal rationale* , optima hominis definitio. *Ad Conf.*, concessso ant., nego conseq. : Quia propositio ex parte prædicati præscindit à subjecto , ut fiat rationis compositio ; sicque sumitur animal præcisum, quod non solum , sed contractum cum rationali , est homo.

43 Hæc autem propositio : *Homo à parte rei solum est animal hominis* , vera est ob oppositam rationem. *Ad secundam Conf.*, dist. ant. : Ex suo conceptu formalis objectivo , concedo ant. ; ex suo conceptu formalis reali , nego ant. , & suppositum ; quia conceptus formalis nullus est à parte rei. Omni advertentiâ observa, à parte rei non dari conceptus, nec formaliter es, neque reduplicationem ullam; v.gr. *animal*, ut *animal* , vel *rationale* , in quantum *tale* , aut *animal secundum se* ; omnes enim locutiones istæ , & aliæ consimiles , sunt ex se præcisivæ , & pro statu intentionalí inventæ , & ab statu reali rejiciendæ. Si autem his aliquando utimur in sensu reali ; id præstitimus, ut Contrariorum more loqueremur , suoque nos idiomate audirent.

AR.

ARTICVLVS III.

Vtrum inter Gradus superiores, & inferiores ejusdem
rei detur Distinctio virtualis?

1 **D**istinctio realis (alias sufficienter divisa art. 1.) dividit se in realem *actualēm*, & realem *virtualēm*. Prima est, quæ inest prædicatis, quorum unum à parte rei actualiter non est aliud. Secunda est, quæ non facit, ut unum actū non sit aliud; sed præstat, ut extrema actū indistincta, æquivalent rebus realiter diversis in aliquo munere. Sed quia hæc æquivalentia esse potest, vel *in causando*; ut cum res una producit effectus, qui à multis præstari solent: Vel *in continendo*; ut cum aliquid diversarum rerum continet perfectiones; v. gr. anima rationalis, continens perfectiones sensitivæ, & vegetativæ: pro neutra ex his æquivalentiis sumimus Distinctionem Virtualēm in præsenti.

2 Consistit ergo Distinctio Virtualis in æquivalētia unius rei, quæ multis æquivalēt in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria sine repugnātia, & contradictione: Itaque definiri valet: *Capacitas unius entitatis ad suscipienda prædicata contradictoria*. Et est duplex: Altera *Virtualis maxima*, consistens in virtute, seu capacitate unius entitatis ad recipienda prædicata contradictoria independenter ab intellectū consideratione: Altera *Virtualis minima*, consistens in virtute, & capacitate unius rei, ut præveniente intellectū consideratione, verificantur de ipsa prædicata contradictoria. Hæc appellari solet *Distinctio fundamentalis*; quia est fundamentum ad Distinctionem rationis.

Prima Conclusio.

3 DICIMVS i. : Inter prædicata realiter identificata non datur Distinctio Virtualis maxima. PROB. conclusio : Distinctio Virtualis maxima consistit in capacitate intrinsecâ unius entitatis, ut de ipsâ , citrâ omnem intellectus operationem , verificantur à parte rei prædicata contradictoria ; sed hujusmodi capacitas non datur in prædicatis realiter identificatis : Ergo. Prob. min. : Capacitas , ut de eadem re verificantur prædicata contradictoria à parte rei , est capacitas ad hoc , ut idem realiter prædicatum verè affirmetur , & verè negetur de eodem reali subjecto ; sed hujusmodi capacitas repugnat : Ergo. Prob. min. : Prædicatum , quod verè affirmatur de subjecto reali , realiter cum ipso identificatur ; & quod verè negatur , realiter ab illo distinguitur ; sed implicat , idem prædicatum reale verè identificari realiter , & distinguiri realiter ab eodem subjecto : Ergo.

4 Min. patet; aliàs nedum prædicata contradictoria , sed & propositiones contradictoriarum verificantur; nam verificantur affirmatio , & negatio ejusdem de eodem secundum idem. Prob. mai. : Tunc prædicatum verè affirmatur de subjecto reali , quando istud subjectum est realiter tale prædicatum ; & tunc verè negatur , quando illud subjectum non est realiter tale prædicatum ; ab eo enim , quod res est , vel non est , propositio dicitur vera , vel falsa ; sed quando illud subjectum est realiter tale prædicatum , cum illo realiter identificatur ; & quando non est realiter tale prædicatum , realiter ab illo distinguitur , ut evidens est: Ergo.

5 Conf. & explicatur hæc ratio : Si aliqua prædicata possent à parte rei de eadem entitate reali verificata-

ficari, maximè ista: *Animal à parte rei est ratio assimilandi hominem equo: Rationale à parte rei non est ratio assimilandi hominem equo;* atquì secundum ex his contradictoriis non verificatur: Ergò. Prob. min. 1. Si rationale non esset realiter ratio alsimilandi hominem equo, realiter distingueretur à ratione assimilandi hominem equo, nihil enim est, unum ab alio distingui, nisi non esse illud; sed rationale non distinguitur realiter à ratione assimilandi hominem equo: Ergò. Min. est certa; quia ratio assimilandi hominem equo est animal, à quo, fatentibus Adversariis, non distinguitur realiter rationale.

6—*Prob. 2. eadem min.: Rationalitas est realiter ratio assimilandi hominem equo: Ergò. Prob. antec.: Omne animal hominis est realiter ratio assimilandi hominem equo; sed omne rationale est realiter animal hominis, aliàs actualiter ab illo distingueretur, nedium virtualiter: Ergò. Nec dicas, ea prædicata contradictionia verificari de animali, & rationali, non præcisè, ut sunt unum omnino; sed, ut virtualiter distincta: seu verificari de animali, & rationali sub diversis virtualitatibus. Contrà; quia hoc est circulum virtiosum committere, dum statuis contradictionia de eadem re vi distinctionis virtualis, & distinctionem virtualem vi contradictionis.*

7—*Deinde: Rationale à parte rei est virtualiter quidquid virtualiter est animal: Ergò. Prob. ant. 1. Virtualitas animalis est realiter ipsa entitas animalis; sed rationale est ipsa entitas animalis: Ergò. Prob. 2. ant.: Virtualitas rationalis realiter est ipsa virtualitas animalis: Ergò. Prob. ant.: In animali rationali non dantur duæ virtualitates realiter distinctæ: Ergò. Ant. est certum; aliàs, cum virtualitates illæ sint prædicata realia ejusdem rei, jam essent prædicata realia*

8 *Vrgetur* : Si virtute Distinctionis Virtualis animal à parte rei esset ratio assimilandi hominem equo, & non rationale ; animal actualiter à parte rei non esset rationale ; sed hoc est falsum , ut Contrarii factentur : Ergò. Prob. mai. : Quæ actualiter distinguuntur in tertio , distinguuntur actualiter inter se ; sed per vos , animal , & rationale actualiter distinguuntur in ratione assimilandi hominem equo ; quia animal actu à parte rei est ea ratio , non verò rationale : Ergò. *Aliter* : Si rationale est formalissimè ratio assimilandi hominem equo, est virtualiter animal , quia jam non verificantur ea contradictoria ; sed rationale formalissimè , & actualiter est ea ratio assimilandi: Ergò.

9 *Prob. min.* : Quæ sunt eadem uni tertio indivisibili , sunt idem inter se ; sed rationale , & ea ratio assimilandi sunt idem formalissimè , & actualissimè cum animali indivisibili , adhuc virtualiter ; cum in animali reali hominis non sint plures animalitates virtualiter distinctæ : Ergò rationale , & ea ratio assimilandi sunt à parte rei idem formalissimè inter se. *Si dicant* ; rationale esse actualiter illam rationem assimilandi ; ab ea tamen virtualiter distingui. *Contra*: Ergò rationale actualiter est ratio assimilandi hominem equo : Ergò actu est virtus assimilativa hominis equo ; sed hoc est esse virtualiter rationem assimilandi; sicut esse virtutem ignis est esse virtualiter ignem, ut clarum est: Ergò rationale est virtualiter ratio assimilandi hominem equo.

Secunda Conclusio.

10 *DICIMVS* 2. : Inter prædicata realiter identificata datur Distinctio Virtualis minima , seu fundamen-

Art. III. Vtr. Grad. metaph. distinguant. virtual. 401
mental is. PROB. Conclusio : In animali , & rationali
à parte rei datur virtus, seu capacitas, ut , prævenien-
te intellectus consideratione , verificantur prædicata
contradicторia ; sed hoc intelligimus nomine Distin-
ctionis Virtualis minimæ , seu fundamentalis : Ergò.
Prob. mai. : Entitas animalis rationalis habet funda-
mentum , ut ab intellectu in duas formalitates , ani-
malis scilicet , & rationalis , dividatur ; quarum *ani-*
mal sit genus , *rationale* non sit genus; *rationale* sit dif-
ferentia , *animal* non sit differentia: Ergò. Conf. : In-
ter formalites animalis , & rationalis datur in statu
formal i distinctione rationis (vel ficta, vel ex parte actus)
cum fundamento in re; sed hoc fundamentum est Di-
stinctio Virtualis minima: Ergò.

11. *INQUIRES*: In quo stet capacitas ejusdem rei,
ut possit per intellectum distingui in plures formalit-
ates ; seu in quo consistat fundamentum sufficiens ad
illam distinctionem rationis? Et suppono, ad hoc fun-
damentum non sufficere æquivalentiam ejusdem rei,
qua in perfectione , aut modo operandi æquivaleret re-
bus quomodolibet diversis : quia Divina Omnipoten-
tia æquivaleret potentiae productivæ hominis , & leonis;
ipsam tamen , ut hominis productivam , à se ipsa , ut
productivam leonis , distinxit per rationem cum funda-
mento Theologorum nullus. Neque sufficit sola im-
perfectione mentis humanæ , non valentis rem unam
simplici conceptu percipere : Licet enim hæc fundet
distinctionem rationis ratiocinantis , quæ non est chy-
mærica , non tamen distinctionem rationis ratioci-
natæ.

12. Fundamentum itaque distinctionis rationis
ratiocinatarum est fecunditas objecti , connotans imper-
fectionem nostri intellectus : Illa tamen fecunditas
non est rebus omnibus una ; nam in Deo est intrinse-

(1) ca eminentia, qua simpliciter complectitur perfectio-
Vide Gon. nes ad diversas lineas pertinentes; (1) at in rebus crea-
in Clyp. i. tis modò est similis eminentia; ut in homine, qui ha-
p. tr. i. dis. bet esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire
3. art. 3. n. cum animalibus, & intelligere cum Angelis: modò
3. 2. & dis est mixtura similitudinis cum dissimilitudine rerum
2. art. 1. n. ad invicem: aut denique esse potest realis respectus ad
5. & 6. connotata ex sua ratione formali diversa; vel quid-
 piam simile. Horum aliquo innititur fundamento in-
 tellectus noster, dum prædicata metaphysica per ra-
 tionem cum fundamento distinguit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

13 RGVES 1. contra primam Conclusionem:

A (2) In actu contritionis realiter identi-

(2) fificantur amor Dei, & odium peccati; sed de his ve-
P. Lince ap rificantur prædicata contradictionia: Ergò de eadem
Loff ad. tr. entitate reali vi Distinctionis Virtualis possunt verifi-
2. disp. 1. cari à parte rei prædicata contradictionia. Prob. min.: In
cap. 5. n. 1. actu contritionis amor terminatur ad Deum, odium no-
 terminatur ad Deum; odium terminatur ad peccatum,
 amor non terminatur ad peccatum; sed terminari, &
 non terminari ad Deum, terminari, & non terminari
 ad peccatum, sunt prædicata contradictionia: Ergò.

14 Major, qua parte dicit, amorem terminari ad
 Deum, & odium terminari ad peccatum, est omni-
 bus certa: Quod verò odium non terminetur ad Deum,
 prob.: Si odium contriti terminaretur ad Deum, de-
 nominaret Deum odio-habitum; sed repugnat, Deum
 odio-haberi per actum contritionis: Ergò. Prob. mai.
 1.: Forma communicata subjecto capaci, ipsi tribuit
 suam denominationem; sed Deus est capax denomina-
 tionis odio-habiti: Ergò. Prob. 2. *etdem maj.*: Ideò
 amor

amor contriti denominat Deum amatum, quia terminatur ad Deum: Ergò pariter. Tertiò: Implicat, cognitionem, productionem, vel unionem terminari ad aliquod objectum, quin ipsum denominet cognitum, productum, vel unitum: Ergò à pari.

15 Èadem ratione probatur, peccatum *amatum* esse denominandum, si amor terminaretur ad peccatum. Hoc argumentum, si aliquid probat, nendum Virtualem, sed formalem ex natura rei, imò, & realē absolutam Distinctionem convincit; cum ea contradictoria, aut in sensu reali absoluto, aut in nullo verò sensu, verificantur. *Adverte*, (3) in actu contritionis dari amorem Dei, & odium peccati, non utcumque, sed in determinata specie: Nam illud odium non est peccati, utcumque, sed peccati propter Deum summè dilectum; similiter amor non est Dei, utcumque, sed Dei, tamquam motivi detestandi peccatum. Actus igitur contritionis est tendentia, seu terminatio quædam conversiva in Deum, & aversiva à peccato; ita, ut pœnitens convertatur in Deum, se avertingo à peccato; & avertat à peccato, se convertendo in Deum.

16 *Resp. jam. ad arg.*; (4) nego primam maj.; ad ejus prob. nego maj.: Quia sicut amor contriti terminatur ad Deum per modum accessus, & prosequutionis, ita terminatur ad peccatum per modum recessus, & aversionis; & sicut odium terminatur ad peccatum per modum recessus, & aversionis, ita ipsum odium terminatur ad Deum per modum accessus, & prosequutionis. Vnde amor, & odium terminantur ad Deum prosequutivè; at nec amor, nec odium terminatur ad Deum aversivè: Amor, & odium terminantur ad peccatum aversivè; at nec amor, nec odium terminatur ad peccatum conversivè, seu prosequuti-

Ecc 2

yè;

(3)
Vide Pat.
Loffad. tr.
2. disp. 1.
cap. 5. n. 4.

(4)
Vide Coll.
R'p.lib. 6.
dub. 3. n.
26. Palan.
bic num.
18. & 20.

404 Liber II. Quest. I. de sup. & inf. grad. distinct.
vè; atque adeò quidquid verificatur de amore con-
triti, verificatur de odio; & è contrà.

17 Exemplum habemus in motu locali à loco A
in locum B; qui simùl est accessùs ad locum B; & re-
cessùs à loco A; at verò tam accessus, quām recessus
terminatur ad locum A per modum termini à quo; &
uterq; terminatur ad locum B, tāquā ad terminum ad
quem. Ad prob. positam num. 14. dist. maj.: Si termi-
naretur ad Deum aversivè, & per modum recessus
ab ipso, concedo maj.; si terminaretur prosequuti-
vè, & per modum accessus ad ipsum, nego maj.: Ad
eius primam prob., dist. maj.: Ipsi tribuit denomina-
tionem, cuius est capax respectu talis formæ, conce-
do maj., cuius non est capax, nego maj.: Et dist.
min.: Deus est capax denominationis odio habitu ab
odio Dei, quale non est odium contriti, concedo
min.; ab odio peccati propter Deum summè dile-
ctum, quale est odium contriti, nego min., & conse-
quentiam.

18 Ad 2. prob. majoris, dist. ant.: Quia termina-
tur ad Deum, utcumque, nego ant; quia terminatur
ad Deum per modum accessus, & prosequutionis, con-
cedo ant.; & dist. consequens eodem modo. Ad 3.
concesso ant.; nego consequent.: Quia denomina-
tiones cogniti, producti, & uniti sunt quasi in genere res-
pectu cognitionis productionis, & unionis, quas pro-
inde suis terminis communicant; sicut affectus con-
triti Deum, & peccatum denominat affecta. At verò,
sicut affectus contriti est amor Dei, & odium pecca-
ti; non è contrà: ita unio inter materiam, & formam,

(5) Vide Pat. Loff ad. ubi sup. n. 6. &
est informatio formæ, & receptio materiae; non è
contrà: ita productio denominat effectum productum,
& causam producentem; non vice versa. (5)

7. 19 Dices 1.: Quia amor, & odium contriti sunt
in

A.t. III. Vtr. Grad.m taph. distinguant virtual. 405
in voluntate , hæc denominatur amans , & odio ha-
bens: Ergò si terminatur ad Deum , Deus utroque
modo denominatur. Secundò : effectus formalis odii
est denominare odio-habitum : Ergò si ad Deum ter-
minatur , denominat Deum odio-habitum. Tertiò:
Quia amor , & prosequutio ejusdem rei non distin-
guuntur virtualiter , amor illius est ejusdem prose-
quutio: Ergò cum amor , & odium contriti non di-
stinguantur virtualiter , si amor ille est Dei , etiam
odium erit Dei. Quartò : Hæc propositio est vera: Con-
tritio est amor Dei : Ergò , & ista : Contritio est odium
Dei. Prob consequent.: In contritione amor , & odium
idem sunt : Ergò.

20 Ad primam inst. resp.; neg. Conseq.: Quia vo-
luntas est capax utriusque denominationis respectu di-
versorum , Dei scilicet , & peccati ; cum actus con-
tritionis unicè respiciat pro subjecto voluntatem : At
verò respicit diversos terminos , alterum conversio-
nis , aversionis alterum , quorum quilibet suam ha-
bet denominationem. Ad 2. dist. ant.: (de odio contriti,
loquimur) Denominare odio-habitum terminum
aversionis , concedo ant. ; terminum conversionis, ne-
go ant. , & consequent. Quando odium habet solum
terminum aversionis , præstat solum denominationem
odio-habiti ; sed , cum habet etiam terminum conver-
sionis , ut in contrito , illum odio-habitum , istum
dilectum denominat. Ad 3. nego consequentiam:
Quia his terminis amor , & prosequutio significatur or-
do ad idem objectum ; his autem amor , & odium de-
signatur ordo ad diversa , modo explicato.

21 Ad 4. , nego consequent. ; ad ejus prob.; dist.
ant.: Idem sunt amor Dei , & odium peccati, conce-
do ant. ; amor Dei , & odium Dei, seu amor peccati,
& odium peccati , nego ant. ; & consequent. Dices:
Ergo

Ergò istæ sunt veræ : *Amor contriti est Dei ; odium contriti non est Dei* ; sed esse, & non esse Dei, sunt prædicata contradictoria : Ergò. *Resp.*, dist. maj. : Sunt veræ in diverso sensu, concedo maj. ; in eodem sensu, nego maj. ; & sic distincta min., nego consequent. Itaque prima vera est, prout *amor Dei* designat tendentiam conversivam in Deum : Secunda est vera, prout *odium Dei* designat tendentiam aversivam à Deo ; sed hoc modo non sunt contradictoriæ. At in eodem sensu, sive conversivo, sive aversivo, non sunt ambæ veræ, vel ambæ falsæ, ut meditanti patebit.

22 ARGVÆS 2. : In peccato identificantur realiter entitas, & malitia; sed de entitate verificatur *producere à Deo*, & de malitia *non producere à Deo*: Ergò verificantur prædicata cōtradictoria, sicq; distinguuntur virtualiter. Conf. : Lapis ejusque dependentia à Deo realiter identificantur ; sed de lapide verificatur terminare visionem, & de dependentiâ, non terminare visionem: Ergo. Min. patet : quia lapis videtur ; non verò dependentia illa. Argumentum continet grayem difficultatem Theologicam ; an scilicet malitia peccati consistat in positivo ab entitate indistincto, an in negativo ab illa diverso?

(6) M. Langa,
tom. 4. l. 3
Metaphy.
q. 2. art. 3
d. n. 323.
Et Palauz
bic, n. 23.

(7) Coll. Ripen
lib. 6. dub.
3. à n. 30.

23 Si vis facilè te ab hac difficultate expedire; dico, (6) malitiam peccati consistere in negativo ab entitate peccati distincto, scilicet in privatione rectitudinis actui debitæ ; atque adeò nihil mirum, si de ipsis contradictoria verificantur. Vel resp., (7) concessa mai. , dist. min. , quoad secundam partem : Verificantur de malitia *non producere à Deo*, sub ratione imperfectionis, & deformitatis, concedo min. ; sub ratione actualitatis, & perfectionis, nego min., & consequent. : Totum, quod verificantur de entitate peccati, verificantur de malitia, non absolute, sed sub ratione

Art. III. Vtr. Grad. m tapp. distinquant. virtual. 407
tione entis, & perfectionis; & totum, quod verificatur de malitia, verificatur de entitate, non absolute, sed sub ratione deformitatis, & imperfectionis.

24 Quemadmodum intellectus totum, quod est in objecto attingit sub ratione veri, & nihil ejus attingit sub ratione boni; Voluntas autem è contrà: Ica Deus totam entitatem peccati producit sub ratione aetatis, & perfectionis, nihil autem sub ratione deformitatis, & malitiae: Sicut etiam anima totum claudicationis motum causat, sub ratione motus; non vero sub defectu claudicationis, quæ non ab anima, sed à tibiæ imperfectione, & defectu provenit. Sed hæc Theologica Theologis relinquamus. (8)

25 ARGVES 3.: Prædicata Divina sunt realiter identificata, non secùs, ac prædicata metaphysica ejusdem rei creatæ; sed de prædicatis Divinis verificantur, ante omnem intellectus operationem, prædicata contradictoria, & consequenter Distinctio Virtualis maxima: Ergò pariter. Prob. min.: Essentia Divina communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio: Filius divinus procedit per intellectum, & non per voluntatem; Spiritus Sanctus per voluntatem, & non per intellectum: atqui communicari, & non communicari, procedere, & non procedere sunt prædicata contradictoria: Ergò.

26 Si hanc summam apud Theologos difficultatem fæliciter declinare velis; permitte pro nunc, de prædicatis Divinis, quorum alterum est de linea absolute, alterum de linea relativa, verificari prædicata contradictoria vi Distinctionis Virtualis maximæ, quæ probabiliter admitti solet inter illa: sed nega consequiam, ob claram, eamque latam disparitatem: (9) Tum; quia in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis prædicata realiter absolute identificata inter se, v. gr. 25.

(8)
Vide Gonet
in Clyp. tr
de peccatis
dis. 3. art.
I. à n. 54.
& seq.

(9)
P. Loffada
tr. 2. dis. 1
cap. 5. num.

Tum;

407 Liber II. Ques. I. de sup. & inf. grad. diffin.

(10) Essentia, & Paternitas, realiter distinguntur in tertio, nempe in Filio, cum quo identificatur Essentia, non Paternitas: *Tum etiam;* (10) quia in hoc Mysterio extremitates inter se realiter distincte, v. gr: Paternitas, & Filiatio, identificantur realiter in tertio, nempè in Essentiâ Divinâ. Hæc autem sunt in creatis inverificabilia.

(11) 27 Sed melius resp., (11) neg. min.; ad prob. dicimus, quod modo, quo Essentia Divina comunicatur Filio, Paternitas communicatur Filio; quia Essentia communicatur secundum esse absolutum essentiæ; dub. 3. Cof 4. per tota Paulum à Concept. in Curs. Theo log. tra. 1. disp. 3. du. 1. n. 12. non secundum esse relativum Paternitatis secum realiter identificatum: pariter Paternitas, licet non communicetur secundum esse relativum Paternitatis, communicatur verò secundum esse absolutum Essentiæ secum identificatum: Vnde, modo, quo communicatur Essentia, communicatur Paternitas; & modo, quo non Paternitas, neque Essentia communicatur; atque adeo non verificantur Contradictoria de Essentiâ, & Paternitate.

(12) 28 Si dicas: Ergo communicatur Filio absolutum Essentiæ, & non communicatur relativum Paternitatis; sed illud absolutum, & istud relativum realiter identificantur: Ergo de prædicatis realiter identificatis verificantur, communicari, & non communicari: Hæc instantia, & illud argumentum, æquè probant distinctionem actualēm absolutam, ac Virtualem; ideoque retorqueri possunt in Adversarios. Interim dicimus, relativum Paternitatis non communicari secundum explicitum hujus conceptus præcisivi relativum; communicari verò secundum implicitum, quod includit: absolutum verò è contrâ; quia implicitum unius est explicitum alterius. Ad hoc autem sufficit distinctio rationis inter utrumque. (12)

29 Pariter ad alterum exemplum positum num.
25. dicimus, (13) quod sicut Filius procedit per intellectum, ita in rei veritate procedit per voluntatem; & sicut Spiritus Sanctus à parte rei procedit per voluntatem, ita procedit per intellectum; quia intellectus, & voluntas sunt eadem indivisibilis realitas, quæ, cum respectu Filii sit formaliter assimilativa, secùs respectu Spiritus Sancti, processio Filii est generatio, at non processio Spiritus Sancti. *Si dicas: Concilium undecimum Toletanum definiisse, non esse credendum, quod Pater voluntate Filiū m̄ genuit.* *Resp., intelligendum de voluntate coactā, aut indifferenti; non verò de voluntate necessariā.* *Vide Colleg. Rip. ubi sup.*

30 Hæc omnia licet vera sint, diligenter adverte, hos conceptus: *Essentia, Paternitas, Intellectus, Voluntas*, aliosque consimiles, esse ex se præcisivos, exprimentes divinas perfectiones secundum conceptus explicitos, atque adeò in propositionibus reddere sensum formalem: quapropter hæc propositio: *Essentia communicatur Filio*, est absolute concedenda; & hæc: *Paternitas communicatur*, neganda. Pariter concedendæ sunt absolute istæ: *Filius procedit per intellectum*: *Spiritus Sanctus procedit per voluntatem*; at verò negandæ sunt istæ: *Filius procedit per voluntatem*; *Spiritus Sanctus procedit per intellectum.* (14) Cæterum, si ipsis addatur terminus determinans sensum realem, ut in ista: *Spiritus Sanctus procedit per entitatem, aut realitatem intellectus*; concedendæ sunt omnes.

31 ARGVES 4. contra secundam Conclusionem: Animal rationale à parte rei non habet capacitatem; ut, præveniente cognitione intellectus, verificetur, animal esse genus, & rationale non esse genus; rationale esse differentiam, & animal non esse differen-

(13)

*Paulus, ubi
sup. & Col
Ripen. ubi
sup. n. 33.*

(14)

*Vide Gonet
Clyp. 1.p.
tr. 1. def. 3
ar. 3.n. 29,
40. & 41
& tract. 6
dis. 3.art.
2. à n. 72.
& 77.
Item, art.
4.n. 129.*

410 *Liber II. Quest. I. de sup. & inf. grad. diff.*

tiam, sed in hoc stat Distinctio Virtualis minima, seu fundamentalis: Ergò. Prob. maj. : Si haberet illam capacitatem ; animal , prout à parte rei, haberet capacitatem , ut in statu formali sit genus, & rationale, prout à parte rei , eam capacitatem non haberet; sed hoc est falsum ; alias de animali , & rationali; prout à parte rei, verificarentur contradictoria, nimirum habere , & non habere illam capacitatem: Ergò.

32 Prob. maj. : Animal , prout à parte rei , habet capacitatem ad illud , quod est in statu formali, & rationale non habet capacitatem ad illud , quod nec est , nec esse potest in statu formali ; sed in statu formali animal est genus , non verò rationale : Ergò. Resp. , dist. ultimam min. quoad secundam partem : Rationale à parte rei non habet capacitatem, ut in statu formali sit genus , penes utramque formalitatem , animalis scilicet , & rationalis , in quas formaliter dividi potest , concedo min. ; penes alteram, scilicet animalis, neg. min., & conseq.

33 Cum animal , & rationale à parte rei sit una indivisibilis entitas , per intellectum formaliter partibilis in duas formalitates , nimirum *animalis* , & *rationalis* ; tam animal , quam rationale à parte rei habet capacitatem , ut beneficio intellectus sit genus secundum formalitatem animalis , & differentia secundum formalitatem rationalis. Vnde animal reale potest esse genus , & differentia in statu formali, media sui divisione formalis in duas formalitates, quarum altera sit genus , altera differentia ; & rationale reale pari modo potest esse genus , & differentia penes easdem formalitates.



ARTICVLVS IV.

Virum inter Gradus superiores, & inferiores detur Distinctio formalis ex parte actus?

1— **C**Vm nulla intercedat realis distinctio inter prædicata metaphysica ejusdem rei creatæ, ut ex præcedentibus constat: restat, ut aliqua rationis distinctione differant. Est autem rationis Distinctio duplex, altera formalis ex parte actus, altera objectiva, quas jam explicuimus art. 1. num. 10. Distinctio formalis, quam communiter amplectuntur Jesuitæ, eorumque Fautores, in eo stat, apud ipsos, (1) quod prædicata realiter identificata, absque ulla prorsus in se ipsis divisione, simul repræsententur diversis cognitionibus; ita tamen, ut quatenus repræsentata per unam, perinde apparet, ac si esset unicum; & quatenus repræsentata per aliam, apparent, quasi aliud prædicatum.

2— Exemplum ponunt in hac cognitione *animal*, per quam sit Præcisio Objectiva, si *animal* hominis cognoscatur, incognito rationali: Si tamen illa cognitione totam hominis entitatem attingat, sed adeò tenui claritate, ut homo apparet, ac si esset solum *animal*; erit Præcisio, seu Distinctio formalis. Sed, ut suam Distinctionem magis explicit, addunt 1.: (2) ad Distinctionem formalem propriam, & positivam, requiri duos saltē conceptus, ita dissimiles, ut redcant prædicata, quae repræsentant, diversimodè definibilia; non quidem definitione præcise stricta, sed latè administrū; ideo his conceptibus *animal*, rationale verè sit distinctio formalis, quia tota entitas hominis expressa hoc conceptu *animal*, apparet definibilis hac

(1)

P. Loffada
tr. 2. disp.
1. c. 7. n. 1.

(2)

P. Poffada
ubi suprà,
cap. 6. num
7. 8. & 17.

412 Liber II. Quæst. I. de sup. & inf. grad. dist.
definiitione : Principium sensationis ; & eadem, expre-
sa hoc conceptu rationale, est definibilis per istam: Prin-
cipium discursus.

- (3) 3 Addunt 2., (3) sinistrè intelligi Distinctionem
Serv. disp. formalem ab aliquibus Thomistis, putantibus, illam
5. cap. 9. n. consistere in eo, quod ex prædicatis realiter identifi-
68. & 69 catis cognoscatur unum clarè, & aliud confusè; cùm
imò potius vi Distinctionis formalis omnia prædicata
intrinseca objecti cognoscantur eodem conceptu, ipsa
(4) tenui claritate. Addunt 3. (4) Distinctionem forma-
P. Loffada lem non esse propriè talem in genere Distinctionis;
tr. 2. disp. sed quamdam veræ Distinctionis imitationem; ideo-
2. cap. 8. n. què illa distinctio passim ab ipsis appellatur *apparens*
3. & 9. eo sensu, quo florida pratorum amænitas dicitur *ri-
sus apparens*. Ex quibus suam Distinctionem ita defi-
niunt: *Duplex cognitio inadæquata ejusdem objecti, per
quam fit objectum, quasi duplex, dum redditur diver-
simè definibile*. Seu breviè: *Forma intentionalis,
qua realiter identificata apparent definitivè diver-*
(5) sa. (5).

- P. Loffada* Nostra Conclusio.
ubi sup. n. 4. — *DICIMVS*: Inter gradus metaphysicos superio-
9. & plu- res, & inferiores non datur Distinctio formalis, que tā-
res alii in tūm se habeat ex parte actūs. Hæc cōclusio probari po-
manuscri- test rationibus ijsdē, quibus præcisio objectiva articulo
ptis. sequenti convincitur: Quia, si Distinctio, quæ prædicati-
tis metaphysicis beneficio intellectus convenit, objec-
tiva sit, seù se teneat ex parte objecti; plus, quam
(6) evidenter infertur, eam non se habere solum ex par-
D. Thom. te actūs. At verò illam colligimus ex D. Thomā, (6)
in 1. dis. 2 de divinis attributis afferente: *Sunt diversa ratione non*
q. I. art. 2 *tantum ex parte ipsius ratiocinantis* (seù ex parte actūs),
sed ex proprietate ipsius rei. Sed potior est ratiode præ-
dicatis metaphysicis: Ergo.

5—PROB. ratione conclusio : Prædicata metaphysica realiter identificata nequeunt formaliter ex parte actus præscindi , quin præscindantur ex parte objecti: Ergò inter ea prædicata non datur Distinctio formalis, quæ tantum se habeat ex parte actus. Prob. ant.: Si prædicata metaphysica , v. gr. animal , & rationale , non præscindantur ex parte objecti , eadem cognitione, & eadem claritate, qua cognoscitur animal , cognoscitur rationale; sed hoc ipso non præscinduntur ex parte actus: Ergò. Maj. est communis apud Contrarios: quia , ut ex dictis constat , per cognitionem *animal* æquè cognoscitur rationale , ac animal ; & per cognitionem *rationale* , æquè animal , ac rationale.

6—Prob. min. : Si eadem cognitione , eademque claritate , quibus cognoscitur animal , cognoscitur rationale , animal , & rationale eodem omnino apparent modo vi cuiusque cognitionis , nec aliter appareat animal , quam rationale , aut è contrà ; sed hoc ipso non præscinduntur ex parte actus : Ergò. Major ex se ipsa patet: Quia, si vi cognitionis *animal* , eadem claritate appetit animal , ac rationale , & pariter vi cognitionis *rationale*; vi harum cognitionum apparent eodem modo , absque ulla apparente diversitate. Prob. min.: Hoc ipso , quod eodem modo appareant vi cognitionis *animal* , & vi cognitionis *rationale* ; apparent , ut unum , & idem; quia, si non datur distinctio in modo apprendi , datur identitas in eodem apprendi modo: Ergò, si æquè apparent , & quidem , eadem claritate, animal , & rationale vi cognitionis *animal* , & vi cognitionis *rationale* ; vi harum cognitionum potius identificantur , quam distinguuntur ex parte actus.

7—Respondent Contrarii , (7) Animal , & rationale per cognitionem unicam sic adunari , ut nulla in eis resultet alietas , & diversitas ; quod probat, cognitionem

(7)

P. Loffada
tr. 2. disp.
1.c. 8. num
5. & 11.

414 Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinct.
nem unicam non sufficere Distinctioni formalis. Ceterum per cognitiones diversas non ita adunantur, ut excludant alietatem, seu diversitatem apparentem. Unde per solum conceptum *animal* eodem modo apparet *animal*, ac *rationale*; neque per illum fit distinctione ulla animalis à rationali, nisi relativè ad conceptum *rationale*; quatenus tam *animal*, quam *rationale* sunt aliter repræsentabilia per conceptum *rationale*. Quarè inter *animal* repræsentatum hoc conceptu *animal*, & *rationale* repræsentatum hoc conceptu *rationale*, apparet diversitas.

8—*Contra*: Inter *animal*, & *rationale*, ut repræsentata hoc unico conceptu *animal*, nulla apparet diversitas, ut conceditis: Ergò neque apparet diversitas inter *animal* repræsentatum hoc conceptu *animal*, & inter *rationale* repræsentatum hoc conceptu *rationale*. Prob. Consequent.: Ideo primum est verum, quia conceptus *animal* èdem tenui claritate, qua repræsentat *animal*, repræsentat *rationale*; sed, sicut conceptus *animal* tenui claritate repræsentat *animal*, ita conceptus *rationale* tenui claritate repræsentat *rationale*, cum uterque conceptus sit per vos imperfectus, & inadæquatus, tam respectu *animalis*, quam respectu *rationalis*: Ergò.

9—*Dicunt*: Conceptum *animal* repræsentare tam *animal*, quam *rationale* tenui claritate, sed omnino èdem, quia videlicet tam *animal*, quam *rationale* apparet definibile per *Principium sensationis*, & non per *Principium discursus*; & è contrà apparet per hunc conceptum *rationale*. At verò, quamvis *animal* apparet tenui claritate per conceptum *animal*, & similiiter *rationale* per conceptum *rationale*, diversimode tamen; quia primo conceptu apparet *animal* ea claritate, qua definiri possit per *Principium sensationis*, & non per *Principium discursus*; *rationale* verò per conceptum

Art. IV. Vtr. inter Grad. metaph. disting formolit. 455
ceptum rationale appareat ea tenui claritate, quā defini-
niri valet per *Principium discursus*, non verò per *Prin-
cipium sensationis*; ideoque appareat inter utrumque
diversitas.

10.—*Contrà*: Per conceptum animal, si tām ratio-
nale, quām animal cognoscitur, utrumque appareat
definibile, vel per *Principium sensationis*, vel per *Prin-
cipium discursus*; sed eādem ratione apparent eodem
omniō modo per conceptum rationale: Ergo, sive re-
präsententur solo conceptu animal, aut solo conce-
ptu rationale, aut utroque simul, si utrumque eādem
cognitione cognoscitur, apparent eodem omniō mo-
do. Min. est certa; quia, si per conceptum animal ap-
paret utrumque ea dupli definitione definibile, ut
major prætendit, non est cur denegetur conceptui
rationale; quia hic eodem modo animal, ac rationale
pariter repräsentat; sicut eodem modo illa represen-
tat conceptus animal.

11.—Major igitur, quæ sola difficultas est, proba-
tur: Vi conceptū animal tām animal, quām rationa-
le appareat definibile per illud, quod videtur esse, aut
per conceptus explicantes eorum esse apprens; sed
per conceptum animal tām animal, quām rationale
apparet, aut videtur esse principium sensationis, &
principium discursus: Ergo. Major patet: Quia, si lo-
quamur de definitione objectivā; cum hæc tradatur
per prædicata essentialia rei, per id debet quælibet
res apparere definibilis, quod videtur esse: Si de for-
mali sit sermo; cum hæc debeat explicare prædicata es-
sentialia, per illos conceptus formales appareat res, vi
alicujus conceptū, definibilis, qui explicant rei essen-
tiā, per illum conceptum apparentem.

12.—*Prob. min. 1.*: Per conceptum animal, animal, &
rationale apparent esse totū id, quod in re sunt, et si te-
nui

416 Liber II. Quest. I. de sup. & inf. grad. diffin.
nui claritate ; sed in re animal, & rationale sunt principium sensationis, & principium discursus : Ergo. Major est certa Contrariis, quibus per conceptum animal totum animal, totumque rationale appetet. Prob. 2. illa min. : Per conceptum animal cognoscitur à Contrariis tenui luce principium sensationis, & principium discursus ; alias vi illius conceptus daretur præcisio objectiva inter utrumque principium ; sed utrumque principium cognoscitur per conceptum animal, ut constitutivum animalis, & rationalis : Ergo.

13—Vrgetur : Nisi animal aliter appareat ex parte objecti, quam rationale, nequit aliter apparere animal per conceptum animal, quam rationale per conceptum rationale : Ergo Præcisio formalis nequit esse tantum ex parte actus. Prob. ant. : Eo modo intellectus format conceptus de animali, & rationali, quo animal, & rationale se offerunt intellectui, mediæ specie impressa ; sed nisi appareant aliter, & aliter ex parte objecti, non se offerunt cum alietate ullâ per speciem impressam : Ergo. Major constat ex communi axiomate : Ex objecto, & potentia paritur notitia. Min. prob. : Species impressa est perfecta, & adæquata similitudo objecti : Ergo, nisi objectum appareat cum diversitate, per speciem nulla diversitas elucabit : Ergo neque per actum.

14—Vrgetur iterum : Si animal, & rationale solum ex parte actus distinguerentur, rationale aquè se extenderet, ac animal, atque adeò non essent gradus superior, & inferior ; sed hoc est falsum : Ergo. Prob. maj. : Si distinguerentur solum ex parte actus, sicut animal per conceptum animal confunditur cum bruto, ita rationale confunderetur cum bruto per conceptum rationale : Ergo. Prob. ant. : Ideo animal confunditur cum bruto per conceptum animal, quia hic

con-

conceptus explicat tenui claritate animal rationale simile bruto ; sed per vos etiam in hic conceptus rationale explicat tenuè animal rationale simile bruto : Ergò. Nec valet recursus ad diversas definibilitates ; quia hujus effugii clausa est janua suprà num. 10. Alias probationes vide apud Mag. Langa. (8)

(8)

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

Langalib:

3.metaph.

q.2.art.3

a n.352.

(9)

P.Lossada

tr.2. disp.

1.cap.7. §.

3. per tot.

(10)

D. Thom.

in.1.dist.

2.art.3.

15.—**A**RGVES unicè aliquibus D. Thomæ autho-
ritatibus, quas pro sua distinctione alle-
gant Contrarii. (9) Et primò : D. Thomas afferit: (10)
quod intellectus noster diversas conceptiones de Deo ha-
bet, quæ sunt diverse rationis. Et posteà addit , quod
pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, non
quidem pluralitas rei : Et denique concludit, quod ea
pluralitas est ex parte ipsius Dei, in quantum est aliquid
in Deo, correspondens omnibus istis conceptionibus , scili-
cer plena , & omnimoda ipsius perfectio ; non autem ita,
quod aliqua diversitas, aut multiplicitas ponatur in re, quæ
Deus est, ratione istorum Attributorū. Ergò multiplicitas,
seu distinctio Divinorum Attributorum non se habet
ex parte objecti , sed ex parte conceptionis, quæ, juxta
D. Thomam ibidem , est in anima , ut in subjecto.

16.—Secundò : Idem Doctor Ang. (11) ait, loquen-
do de Divinis Attributis : Variis , & multiplicibus con-
ceptibus intellectus nostri respondet unum omnino simplex,
secundum hujusmodi conceptiones imperfectè intellectum.
En klarè delineatam Præcisionem formalem , & ex-
clusam patenter Objectivam , inquit P. Lossada. Ter-
tiò : Ipsemet Ang. Mag. (12) hæc docet : Intellectus D. Thom.
noster secundum diversas conceptiones representat Divi- q.2.de ve-
nam perfectionem , quia unaqueque imperfecta est : Sunt
ergò plures conceptiones in intellectu nostro , representan- ritate ar.
tes.

(11)

D. Thom.

1.p.q. 33

art.4.

(12)

D. Thom.

q.2.de ve-

ritate ar.

I.

418 Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinct.
tes Essentiam Divinam; unde Essentia Divina unicuique
illarum respondet, sicut res suae imagini imperfectae.

(13)
D. Thom.
q. 2. de ve-
ritate, ar.
1. ad 3.

(14)
P. Loffada
ubi suprad.
num. 25.

17—Quartò: Docet pariter, (13) quod intellectus
noster totum Deum intelligere potest, sed non totaliter
totum :: Sed dico non totaliter; quia non perfectè cognoscit
ipsum, secundum, quod ipse est in sua natura cognosci-
bilis. His autoritatibus ad longum productis, & fu-
siis expositis contendit P. Loffada, Distinctionem ex
parte actus esse de mente D. Thomæ; non vero Ob-
jectivam: Quia, inquit, (14) Distinctio rationis in-
ter Attributa Divina non sit, nisi per conceptus for-
maliter præscindentes: Ergo nulla distinctio rationis
inter prædicata, quæ realiter identificantur, aliter fit.
Ant. prob. ex D. Thomà locis citatis; & consequen-
tiam legitimam dicit à paritate rationis.

18—His facile occurses, si advertas primò, nullum
Thomistarum prætendere inter Divinas perfectiones
distinctiōnēm objectivam perfectam, & exclusivam,
sed imperfectam valde, & purè inclusivam; adeo, ut
una Divina perfectio, v. gr. *Sapientia*, non differat,
nisi penes explicitum, à *Misericordia*, quatenus Sapien-
tia non exprimit Misericordiam, quam implicitè in
suo conceptu objectivo identificat, & includit. Ex quo
fit, ut neganda sit ex parte Dei prout in re, seu in re,
quæ Deus est, omnis omnino pluralitas, multiplici-
tas, ac diversitas; & pariter neganda est omnis pro-
pria diversitas, aut multiplicitas in Deo objectivè con-
cepto; non vero ea diversitas, aut multiplicitas im-
propria, quæ solum versatur penes explicitum, & im-
plicitum.

19—Secundò advertè; quod conceptio, seu conceptus
rei indifferenter sumitur à D. Thomà; aliquando pro
actione intellectus concipientis, quæ dici solet conce-
ptio, seu conceptus formalis; quandoque pro re con-
cepta

cepta, quæ dicitur conceptus objectivus. (15) Tertio adverte, quod ratio cuiuscumque rei nonumquam sumitur apud D. Thomam pro actu rationis ipsam attinente; sèpè etiam pro formalí esse objicibili rei attachæ, ut multis in locis videri potest. (16)

(15)

Vide lib.
1. q. 3. ar.
3. n. 19.

(16)

20.—*Respon.* jam ad singulas authoritates. *Ad primam resp.*, explicando D. Thomam: Pluralitati conceptionum, seu rationum formalium non correspondet pluralitas, diversitas, aut multiplicitas realis, seu in re, ut ait D. Thomas, concedo; objectiva, & ficta; subdistinguo: Propria, & exclusiva, concedo; impropria, & inclusiva, nego ant., & conseq. In re enim quæ Deus est, non correspondet pluralitas, sed plena perfectio, quæ est fundamentalis, seu virtualis distinctio, in qua fundat intellectus distinctionem objectivam imperfectam inter Attributa Divina; quia, ut ait D. Bernardus: (17) *Nobis, quia non possumus cum Dei simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum.*

(17)

D. Bernar-
dus, lib. 5.
de Conside-
ratione.

21.—*Ad secundam*, concessâ libenter autoritate, neg. conseq.: Quia omnia Attributa in sensu reali sunt quid omnino simplex; in sensu objectivo pariter important omnimodam simplicitatem, cui non opponitur, sed amica est eorum distinctio objectiva imperfecta; hæc enim non infert, sed excludit compositionem, cum hæc requirat exclusionem unius à conceptu alterius. (18) *Ad tertiam*, concessâ autoritate, negamus, quidquid ex ea contra nos inferant: Nam verum est, omnes conceptiones, quibus intellectus noster Divinam Essentiam repræsentat, esse imperfectas: sed verò ita repræsentant imperfectè Divinas perfectiones, ut hæc, quatenus expressa una concepcione, non exprimat, licet includat, alias; in quo stat præcisio objectiva imperfecta.

(18)

Vide Go-
net 1. par.
Clyp. traz.
1. disp. 4.
ar. 1. n. 14.

22—Praeter igitur est verum, quod Divina Essentia respondet unicuique earum conceptionum; sed ita, ut quatenus representata per unam, non explicet in suo conceptu objectivo perfectionem, quam explicat, ut representata per aliam. *Ad quartam*, resp., concedendo authoritatem ad litteram: quia intellectus noster quocumque actu intelligit Deum, totum Deum intelligit, vel pro explicito, vel pro implicito conceptus objectivi; quia perfectio Dei, quæ explicitè representatur, omnes Divinas perfectiones includit. Sed negamus perpetuò ex conceptionibus nostris diversis non resultare diversitatem imperfectam objectivam penes implicitum, & explicitum. Eadem doctrinæ exponi debent aliæ authoritates ex *Opusc. 9.*, licet dubio, quibus arguere solent Adversarii. (19)

(19)
*P. Hurtado, disp. 6.
Metab. sec. 4. subsect. 3. in edit. 6.*

(20)
*D. Thomas
l. p. q. 13.
art. 12. in
corp.*

23—Sed quia res magni momenti est, quod pro se velint D. Thomam, audiatur Angel. Doct., (20) inquirens: Vtrum propositiones affirmativæ possint formari de Deo, seu una perfectio divina de altera affirmari? Ait enim: *Sciendum est*, quod in qualibet propositione affirmativa vera, oportet, quod prædicatum, & subjectum significant idem secundum rem, & diversum secundum rationem... *Huic* vero diversitati, que est secundum rationem, respondet pluralitas prædicati, & subjecti. Ergo jam perfectio Divina, quæ subjicitur, & quæ prædicatur ex mente D. Thomæ sunt aliquo modo plures, pluralitate respondentे diversitatem rationis; sed diversitas rationis est per vos ex parte actus: Ergo illa pluralitas est ex parte objecti; alias non responderet, sed esset ipsa diversitas.

24—Et infra: *Hanc ergo pluralitatem, quæ est secundum rationem representat intellectus per pluralitatem prædicati, & subjecti.* Vel ergo loquitur D. Thomas

mas de subjecto , & prædicato formali , vel objectivo?
Si primum : Ergò præter pluralitatem formalem subjecti , & prædicati , quæ est repræsentans , datur pluralitas rationis repræsentata , quæ hoc ipso erit objectiva ; quia representatum per actum est objectum actus . *Si secundūm* : Ergò subjectum , & prædicatum objectivum habent in se ipsis diversitatem objectivam rationis . Videatur D. Thomas . Ex his jam vides , in Divinis etiam dari distinctionem objectivam , sed imperfectam : in creatis autem prædicatis metaphysicis est perfecta , & exclusiva .

Tandem : Ut indubia appareat mens D. Thomæ , apertis perspiciant oculis Adversarii clarissimum tanti Solis radium , in cuius aspectu illorum distinctio , claritate tenuis , prorsus evanescit : (21) *Potest intellectus noster intelligere Bonitatem , & Sapientiam Divinam , & alia hujusmodi , que dicuntur essentialia Attributa , non intellecta Paternitate , vel Filiatione . Et alibi :* (22) *Remotis proprietatibus , remanet in intellectu Essentia . Quid aliud à D. Thoma expectant , ut distinctionem objectivam adstruat inter prædicata Divina? Quid amplius dicimus Thomistæ de animali , & rationali , quam D. Thomas de Attributis , & Relationibus , de proprietatibus , & Essentia ? Componito nunc sententiam P. Loffada cum doctrina D. Thomæ ; & an re ipsa Thomista sit , ut ipse vellet , (23) judex esto .*

(21)
D. Thomas
3. p. q. 3.
artic. 3.
(22)
D. Thomas
1. p. quest.
40. art. 3.
(23)
P. Loffada
tractat. 2.
disp. 1. cap.
7. n. 33.

ARTICVLVS V.

Vtrum inter Gradus superiores , & inferiores detur Præcisio Objectivarum?

¹ **P**RÆCISIO Objectiva est idem , ac objectiva separatio unius formalitatis ab alia , cum quæ realiter identificatur , seu earum objectiva Distinctio ,

422 Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinct. stinctio, quæ sic explicari valet: *Multiplicitas ex parte objecti cum fundamento facta*, vi cuius prædicata realiter identificata sunt per rationem diversa. Intellectus enim noster, suāpte naturā præcisivus in cognoscendo, attingit rem creatam, quatenus pluribus aliis, aut diversæ lineæ, aut ex sua ratione distinctis æquivalentem, vel eas aliquomodò connotantem; adeoque in ipsis rebus invenit sufficiens fundamentum, ut diversitatem fingat prædicatorum essentialium, quorum alterum sit commune, alterum particolare; & hæc diversitas appellatur Præcisio, seu Distinctio Objectiva.

2 At verò notandum est, conceptus intellectus, quibus objectum attingit, alios esse adæquatos, alios inadæquatos. Conceptus adæquatus est ea cognitio, quo totum objectum (licet non totaliter, quia sic esset, nedum adæquata, sed comprehensiva) attingit, sicut implicitè; v. gr. hic conceptus *homo*, qui totam hominis naturam repræsentat. Inadæquatus est, qui totam rei objectæ naturam non percipit, sed aliquid ejus exprimit, aliquid intactum relinquit; v. gr. hic conceptus *animal*, qui naturam hominis solum ex parte notificat. Præcisio itaque objectiva non sit per conceptus adæquatos; sed accidit, vel vi unius conceptus inadæquati, unum prædicatum objectivum repræsentantis, cæteris intactis; & hæc Præcisio vocatur *negativa*: vel per plures inadæquatos, quorum quilibet suum prædicatum à cæteris condistinctum repræsentat; & hæc Præcisio dicitur *positiva*.

(1)

D.Thomas

1. contra Gent. cap. 45.

Nostra Conclusio.

3 Dicimus: Inter prædicata superiora, & inferiora ejusdem rei creatæ datur Præcisio Objectiva. Ita expressè docet D.Thomas, (1) afferens: *Intellectus ea,* que

Art. IV. Vtr. Grad. metaph. distinguant. object. 423
quæ sunt in esse conjuncta, interdum disjunctim accipere potest, quando unum eorum in alterius rationem non cadit; & propter hoc in ternario considerari potest binarium tantum; & in animali rationali id, quod est sensibile tantum. Et alibi: (2) Duplex est abstractio per intellectum: Una quidem secundum, quod universale abstractitur à particulari, ut animal ab homine :: In abstractione, que fit secundum universale, & particulare, non remanet id, à quo fit abstractio: Remota enim ab homine differentia rationali; non remanet in intellectu homo, sed solum animal.

(2)
D.Thomas
1.p.q. 40.
artic. 3.

4 Atqui intellectum in homine considerare quod est sensibile tantum, est sensibile cognosci, ceteris hominis praedicatis ignotis; & non remanere in intellectu homo, sed solum animal, est cognosci animal, ignoto rationali, ut ex terminis liquet: Ergo. Nec audiendi sunt Recentiores, D. Thomam interpretantes de distinctione ex parte actus. (3) Quomodo enim potest remanere in intellectu animal, & non homo, per illam distinctionem, qua cognoscitur æquè homo, ac animal, vi cuiuscumque conceptus, & æquali claritate?

(3)
P.Loffadæ
tractat. 2.
disput. 1.
cap. 8 nu.
30.

5 PROB. Conclusio ratione: Dum cognoscitur gradus superior, non cognito inferiori, datur inter ipsos Præcisio Objectiva; sed potest cognosci gradus superior, v.gr. animal, nullatenus cognito inferiori, v.gr. rationale: Ergo. Major est perspicua: quia dum cognoscitur gradus superior, non cognito inferiori, existit objectivè superior sine inferiori, quod objectivam convincit præcisionem: non secùs, ac realis existentia unius sine alio, probat realem utriusque præcisionem. Minor ratione, & experientia probanda est. Prob. primò ratione: Potest cognosci principium sensationis, quin cognoscatur principium discursus: Ergo. Conseq. tenet: quia animal est principium sensatio-

6 Prob. ant. : Non cognito discursu , non cognoscitur principium discursus ; sed potest cognosci principium sensationis , quin cognoscatur discursus : Ergo. Min. est certa : Nam cognosci potest sensatio , quin discursus cognoscatur , cum nullam inter se dicant , aut identitatem , aut necessariam connexionem ; at , cognita sensatione , cognoscitur ejus principium , cum sensatio sit motus naturalis , necessariò proveniens à principio intrinseco. Prob. maj. : Non cognito termino alicujus ordinis , aut habitudinis , non cognoscitur ordo , seu habitudo ; sed principium discursus constituitur per ordinem ad discursum : Ergo.

7—*Respondent Contrarii*:: Non posse cognosci ordinem , seu habitudinem ad terminum , non cognito termino , cognitione comparativa , qua referatur ad talem terminum ; benè tamen cognitione absoluta , aut etiam comparativa , qua referatur idem ordo ad alium terminum , si plures habeat. Cum autem rationale ex parte objecti sit indivisus ordo ad sensationem & discursum : per cognitionem *animal* cognoscitur rationale relatè , seu in ordine ad sensationem , licet non relatè , seu in ordine ad discursum ; quin cognoscatur discursus.

8—Hec solutio in primis falso supponit , posse cognosci ordinem , seu respectum cognitione purè absoluta ; cum ordo essentialiter dicat esse respectivum : Igitur , ut cognoscatur ordo , quà talis , præcisè cognosci debet cognitione respectiva , seu comparativa ex parte objecti. *Impugnatur* 1.: Rationale , ut tale , est principium discursus relatè , seu in ordine ad discursum ; sed per te , non cognito discursu , non cognoscitur principium discursus relatè ad discursum : Ergo , non cognito discursu , et si cognoscatur principium

Art. V. Vir. Grad. metaph. distinguant. object. 425
pium sensationis, non cognoscitur rationale, ut tale. Major est evidens: Quia rationale, ut tale, definitur per principium discursus.

9—*Impug.* 2.: Per vos, cognoscitur per cognitionem *animal* tota entitas animalis, & rationalis, ut est principians sensationem, non verò, ut est principians discursum, licet in re sit principium discursus; & per cognitionem *rationale* cognoscitur tota illa entitas, quatenus principiat discursum, non autem quatenus principiat sensationem, licet realiter sit principium sensationis: Ergò vi cognitionis *animal* objicitur intellectui illa entitas, ut principium sensationis, & non, ut principium discursus; & è contrà per cognitionem *rationale*. Antecedentis veritas ex solutione colligitur: Quia non cognito termino habitudinis, neque habitudo cognoscitur cognitione comparativa ad talem terminum; at per cognitionem *animal* non cognoscitur discursus, neque per cognitionem *rationale* sensatio.

10—Consequentia est legitima: Quia rem cognosci, est ipsam objici intellectui; hic enim, ut res cognoscatur, res trahit ad se ipsum. *Nunc sic*: Ergò vi cognitionis *animal* cognoscit intellectus, entitatem animalis rationalis esse principium sensationis; non autem cognoscit, eam esse principium discursus, licet in re sit principium discursus: & è contrà, per cognitionem *rationale* cognoscit, eam esse principium discursus; non autem cognoscit, esse principium sensationis, licet in re sit ejus principium: Sed quod cognoscitur, esse principium sensationis, & non principium discursus, cognoscitur esse aliud ab eo, quod cognoscitur esse principium discursus, & non sensationis, licet in re ita non sit: Ergò per illas cognitiones cognoscuntur entitas animalis, & entitas rationa-

426 Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinctione:
lis, ut aliud, & aliud in se ipsis, licet in re non sint.

11 Prob. jam 2. prima min. argumenti posita num.
5. ab experientia: Casu, quo homo ambulans videat-
tur à longè, quem tamen certò sciamus esse animal,
quia movetur; ignoremus tamen, eum esse hominem,
quia nullam hominis, aut operationem, aut similitu-
dinem percipimus propter distantiam: In hoc, inquam,
casu cognoscitur animalitas, nō cognita rationalitatē:
Ergo. Prob. ant.: Solùm cognoscitur in objecto, quod
ex signis exterioribus patet, aut infertur; sed in casu
relato ex signo exteriori, quod est motus progressi-
vus, neque patet, neque infertur rationalitas, sed
animalitas: Ergo. Min. est evidens, ex motu enim so-
lùm infertur animalitas, quia non valet: *Movetur*
progressivè: Ergo est rationale.

12 Respondent primò Contrariorum aliqui; (5) in
hoc casu cognosci animal clare; rationale verò confu-
sè, seu obscurè. Sed contrà: In hoc casu rationalitas
non cognoscitur adhuc confusè: Ergo. Prob. ant.: In
eo casu non cognoscitur irrationalitas adhuc confusè,
cum non detur in tali objecto: Ergo. Prob. conseq.
In eo casu idem cognoscitur ex parte objecti, ac si
objectum illud esset irrationale: Ergo, si in dicto casu
non cognoscitur cōfusè irrationalitas, nec rationalitas.
Major patet; quia, si esset irrationale, eandem speciem
sensibilem sensibus immitteret, quam nunc, media sen-
satione motū, qui ejusdem rationis est in bruto, ac in
homine.

13 Contrà 2.: In relato casu propriè, & simpli-
citer cognoscitur animalitas; sed propriè, & simpli-
citer non cognoscitur rationalitas: Ergo propriè, &
simpliciter existit objectivè animalitas, & non ratio-
nalitas. Minor patet; quia, juxta solutionem, rationa-
litatis solùm impropriè, & confusè cognoscitur. Vrge-
tur:

(5)
P. Obiedo,
apud Läg.
lib. 3. Me-
taph. q. 2.
art. 3. nu.
345. &
alii apud
Arria. hic
num. 39.

tur: Sicut in animali clare cognito latet identice rationalitas, ita in unitate Dei clare cognita latet identice Trinitas Personarum; sed lumine naturali cognosci potest unitas Dei, neutiquam Trinitas personarum, adhuc confusè: (6) Ergò. *Adde*: Quod si animal cognoscitur clare, & rationale non cognoscitur clare, jam animal, & rationale sunt aliud, & aliud ex parte objecti, ne de eodem verificantur contradictoria; sed non sunt aliud, & aliud realiter: Ergò per rationem.

14—*Aliter* jam respondent Recentiores: (7) in praedicto casu, aliisque similibus, eodem modo, eademque claritate, quā cognoscitur animal, cognosci rationale: Nam sicut animal tunc casus solum cognoscitur sub hac expressione *animal*, & cognitione, quā dici potest, totum illud objectum esse principium sentiendi; ita rationale cognoscitur sub eadem expressione *animal*, & in ordine ad sensationem; licet non cognoscatur rationale, nec animal sub hac expressione *rationale*, & in ordine ad discursum: *Vnde* ex motu progressivo non infertur rationale sub hac expressione *rationale*, vi cuius possit dici principium discursus; at verò infertur rationale sub hac expressione *animal*, vi cuius possit dici totum illud objectum principium sensationis; adeoque eodem modo, quo animal, cognoscitur rationale.

15—*Hæc* solutio facilem impugnatur ex dictis supra num. 9. & 10. *Impugnatur aliter*: Si duo simul, homo scilicet, & brutum, à longè moverentur, una, aut duplice cognitione cognosceretur utriusq; animalitas; sed nullà cognitione cognosceretur rationalitas, adhuc in ordine ad sensationem: Ergò in dicto casu non cognoscitur rationale in ordine ad sensationē. Prob. min.: Idem omnino apparet in uno, ac in alio à longè se moveat; sed in nullo.

(6)
Vide Gon.
I. part. in
Clyp. trac.
I. disp. I.
art. 3. &
tractat. 6.
disputa. 7.
art. 1.

(7)
P. Loffada
tractat. 2.
disput. I.
cap. 8. n.
22.
P. Arriag.
Server. &
alit.

428 *Liber II. Quæst. I. de sup. inf. grad. distincti.*
apparet rationalitas in ordine ad sensationem: Ergò: Minor patet; aliàs assignent, in quo appareat, an in dextero, an in sinistro? Quod enim appareat, assignari potest. Si autem unum assignant; cur istud, & non alterum appareat rationale, cum utriusque appareat similis entitas, similis motus, & nihil aliud?

16—*Impug. 2.* : In dicta experientiâ cognoscitur, per vos, tota entitas hominis à longè visi in ordine ad sensationem, & nihil ejus cognoscitur in ordine ad discursum: Ergò vi illius cognitionis verificantur prædicata contradictionia de entitate hominis in ordine ad sensationem, & de eâdem entitate in ordine ad discursum. Prob. hæc consequent. : *Cognosci*, & *non cognosci* sunt prædicata contradictionia; sed in nostro casu de tota entitate hominis in ordine ad sensationem verificantur *cognosci*, & de tota eadem entitate in ordine ad discursum verificantur *non cognosci*, ut fatetur solutio: Ergò. *Nunc sic* : Atqui de entitate omnino eadem nequeunt verificari prædicata contradictionia: Ergò entitas hominis in ordine ad sensationem, & entitas in ordine ad discursum distinguuntur; non reæliter: Ergò fictè.

17—*Vrgetur*, & præcluditur Contrariorum evasio: Entitas hominis in ordine ad sensationem, & entitas hominis in ordine ad discursum est intrinsecè, & in se ipsa una, & eadem realis entitas, quamvis extrinsecè dicat diversa connotata, aut diversas cognitiones, quibus sit diversimodè repræsentabilis, aut definibilis; sed in casu totiès repetito directè cognoscitur tota entitas intrinseca hominis, quatenus se ipsa, & independenter à quavis cognitione, est principium sensationis, seu ordo ad sensationem; & non cognoscitur, quatenus independenter à quavis cognitione est principium discursus, aut habitudo ad discursum: Ergò eadem ho-

hominis entitas primo modo est directè cognita, & secundo modo non est directè cognita. Sed primo modo significatur hoc nomine *animal*, secundo per nomen *rationale*: Ergò.

18—PROB. 2. Conclusio : (8) Præcisio , seu distin-
ctio , quæ non reperitur realiter in objecto , & in eo
repræsentatur per actum intellectus , est Distinctio ra-
tionis Objectiva ; sed inter animal , & rationale nulla
datur realiter distinctio, repræsentatur tamen per actus
intellectus : Ergò. Min. quoad secundam partem, quæ
sola difficultis est , prob. : Actus repræsentativè distin-
guens animal , à rationali , repræsentat distinctionem
animalis à rationali; sed actus intellectus repræsentativè
distinguunt animal à rationali : Ergò. Major patet;
quia nihil aliud est repræsentativè distinguere , quam
repræsentare distinctionem ; sicut esse Regem repræ-
sentativè in Theatro, est repræsentare Regem.

19—Conf. : Actus intellectus entitativè sumpti non
sunt distinctio animalis à rationali : Ergò solum re-
præsentativè sunt eorum distinctio , consequenter re-
præsentant distinctionem , quæ re verà non datur;
quod est propriè fingere. Prob. ant. : Actus intellectus
sunt entitativè reales propriè , & simpliciter ; sed in-
ter animal , & rationale repugnat omnis distinctio pro-
priè , & simpliciter realis : Ergò. Vrg : Hec cognitio:
Rationale est animal , cum sic propositio formalis,
enuntiat unum de alio, unitate , & alietate intrinsecā,
& in essendo , ut alibi satis ostendimus ; (9) sed enun-
tiat animal de rationali : Ergò attingit animal , & ra-
tionale , ut intrinsecè distincta ; non realiter: Ergò per
rationem.

20—Omissis aliis solutionibus videndis , & impu-
gnandis apud Palanco , & Colleg. Ripense, ubi suprà:
Resp. Contrarii (10) ad argumentum ; Actus intelle-
ctus

(8)

Vide Pa-
lanc. tract
3.q.5. nu.
21.Ripen.
lib.6.dub.
4.n.55.

(9)

Vide atte-
tē lib.1.q.
3.ar.3. n.
14 & se-
quent.

(10)

P.Loffada
tractat.2.
disp. 1. c.
8.n. 16.

430 Liber II. Quest. I. de sup. & inf. grad. distin:
stus repræsentativè distinguere animal à rationali; non
ita, ut distinctio sit repræsentativè in cognitione, tam-
quam quid repræsentatum, sicut Rex est in imagine
sui; sed ita, ut sit in ipsa, tamquam modus repræsen-
tandi duplicitis cognitionis definitivè diversæ. *Contrà 1.*:
Distinctio animalis à rationali est in actibus intellec-
tus, tamquam quid repræsentatum: Ergò, Prob. ant.:
Actus animal ita repræsentat animal, ac si solùm esset
vivens sentiens; sed, si solùm esset vivens sentiens, re-
præsentaret distinctionem animalis à rationali, ex par-
te objecti repræsentati se habentem, ut clarum est.
Ergò.

2 1.—Contrà 2. : Distinctio animalis à rationali non
est in actibus intellectus, ut modus intrinsecus, &
essentialis ipsis actibus; alias, sicut illi actus sunt reales,
realis esset ipsa distinctio, ut diximus *num. 19.* : Ergò
est in illis, ut quid repræsentatum. *Sed jam respondent*
ad hanc instantiam, illamque *Conf.*, (11) eam distinc-
tionem non esse realem physicam, excludentem iden-
titatem realem animalis à rationali; esse nihilominus
realem intentionalem, non excludentem illam identi-
tatem: Sicut cognitio de alio mundo possibili est ejus
existentia realis intentionalis, quin tamen denominetur
alium mundum realiter existentem.

2 2.—Sed contrà. : Si actus intellectus essent distinctio
realis physica inter animal, & rationale, excluderent
eorum realem physicam identitatem: Ergò, si sunt
distinctio realis intentionalis, excludunt eorum rea-
lem intentionalem identitatem: Ergò denominant ani-
mal, & rationale realiter intentionaliter distincta;
quod est absurdum: alias esse intentionale, seu objec-
tivum animalis realiter non esset esse intentionale
objectivum rationalis, nendum fictè, & per rationem.
Vrgetur: Sicut cognitio de altero mundo est existentia
inten:

(11)
P. Loffada
ubi supra
num. 13.

intentionalis alterius mundi , ita per vos actus intellectus sunt distinctio intentionalis animalis à rationali; sed ea cognitio denominat alterum mundum intentionaliter objectivè existentem : Ergò hi actus denominant animal , & rationale intentionaliter objectivè distincta ; sed non realiter : Ergò fictè.

23.—*Si dicant* : Actus intellectus denominare realiter intentionaliter distincta illa objecta , non intrinsecè , sed extrinsecè , seu per extrinsecam denominationem. *Infero* : Ergò vi cognitionis intellectus habet animal aliquam extrinsecam denominationem , quam non habet rationale ; sed nulla alia assignari valet, nisi denomination cogniti : Ergò potest animal esse cognitum , quin sit cognitum rationale , quod clarè infert Præcisionem Objectivam. Major est certa ; quia per illud , quod unum habet , præ alio , ab illo discernitur positivè.

24.—*PROB. 3. Conclusio* : Intellectus suā naturali virtute vim habet distinguendi objectivè , quæ sunt realiter identificata ; sed in animali , & rationali datur sufficiens fundamentum ad illam distinctionem : Ergò possunt distingui objectivè cum fundamento. *Min. patet* : *Quia* in animali , & rationali datur fundamentum ad distinctionem ex parte actus : quare igitur non erit sufficiens ad distinctionem objectivam ? *Tum etiam* ; quia nullum est assignabile ens rationis , quod cum majori fundamento valeat efformari , quam illa Distinctio. *Tum* denique ; quia quocumque desiderari potest pro fundamento ejusmodi distinctionis , ibi reperitur. (12)

25.—*Prob. maj.* : Intellectus vim habet , ut faciat objectivè cum fundamento existere , quæ realiter non existunt ; ut concipiatur res aliter , ac sunt in se , etiam cum fundamento : Ergò pariter. *Ant.* negari non potest,

(12)

*Vid. in hac**quest. arte**g.n. 12.*

432 Liber 11. Quæst. 1. de sup. & inf. grad. diff.
test, nisi abnegetur pariter omne ens rationis cum
fundamento. Conf. : Distinctio, quæ versatur inter
animal, & rationale, prout à cognitione distincta, est
objectiva, & facta; sed Distinctio admittenda inter
animal, & rationale versatur inter illa, ut à cognitio-
ne distincta : Ergo. Prob. min. : Inter animal, ut co-
gnitum per cognitionem *animal*, & rationale, ut co-
gnitum cognitione *rationale*, datur distinctio realis,
saltem inadæquata, non secùs, ac distinctio, quæ da-
tur inter objectum, ut visum visione A; & ut visum
visione B. : Ergo.

26. Conf. 2. : Licet objectum visum aliter appa-
reat per hanc visionem, & hanc lucem, quam per
aliam lucem, & visionem; non ideo actus videndi
præscindit objectum, quantum sufficit ad constituendos
gradus metaphysicè superiores, & inferiores: Er-
go, licet actus intellectus aliter, & aliter idem objectum
repræsentent; nisi hæc repræsentatio sit practica, & fa-
ctiva alienatis, ex parte objecti se tenentis, non distin-
guunt sufficienter prædicata metaphysica: Sicut enim
per diversos actus intellectus apparet diversimodè ob-
jectum, nunc clarè, nunc obscurè; nunc ea clarita-
te, quæ dici potest unum, nunc ea, quæ dici potest
aliud; ita plura objecta per majorem lucem, aut visio-
nem attemperatam apparent id, quod non apparent
per tenuem lucem, aut intemperatam visionem.

(13) 27 PROB. 4. Conclusio: Ideo repugnaret Præci-
Vide Div. sio Objectiva, quia verificantur prædicata contradic-
Thom. q. toria de rebus realiter indistinctis, nimirum cognosci
7. de potē. animal, & non cognosci rationale; sed hoc non repu-
ar. 1. ad 5. gnat: Ergo. Prob. min. 1. ex D. Thom., (13) docente:
Et q. 39. De eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibe-
art. 1. ad 2. bet contradictoria prædicari; ut dicit Philosophus 3. phy-
sicorum: Sicut patet, quod idem punctum re, differens ra-
tione,

Art. V. Vtr. Grad. metaph. distinguant. object. 433
tione, est principium, & finis, & secundum, quod est
principium non est finis: Ergo nihil prohibet, animal
cognosci, & rationale non cognosci, dummodo ani-
mal, & rationale objectivè differant per rationem.

28 Prob. 2. eadem min.: Admissa distinctione ex
parte actus, vi hujus actus animal verificatur juxta ali-
quos ex Contrariis cognosci clare animal, & non cognosci
clare rationale: Item juxta omnes verificatur, vi illius
actus, tota entitate hominis apparere principium sensa-
tionis, & totum non apparere principium discursus; sed
principium discursus est realiter principium sensa-
tionis: Ergo verificatur apparere principium sensatio-
nis, & non apparere principium sensationis vi ejus-
dem actus. Si dicas; ea verificari per ordinem ad di-
versa connotata, sensationem scilicet, & discursum:
Bene sic: Ergo potest verificari, cognosci totum ho-
minem in ordine ad sensationem, & totum non cognosci in
ordine ad discursum; sed totus homo in ordine ad sen-
sationem exprimitur, & est animal, & totus in ordi-
ne ad discursum est rationale: Ergo.

29 Deinde: Sicut vi cognitionis animal appetet
totus homo, & non appetet totus homo penes diver-
sas connotationes, ita vi cognitionis color appetet to-
ta albedo, & non appetet tota albedo; sed totam al-
bedinem appetere, & non appetere, non verificatur
penes connotata diversa, quæ nulla sunt assignabilia:
Ergo. Vide alias probationes apud Authores nostros,
præsertim Mag. Palanc., qui luculenter distinctionem
nostram illustrat. In uno tandem te monitum volu-
mus, ut quoties adversarii ad suam distinctionem ex
parte actus, ut ad solitum præsidium, configuiunt, stren-
uè distinctionem illam expugnes rationibus positis
art. preced. à num. 5. quibus corum mænia facile cor-
ruent,

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

(14)
P. Loffada
tr. 2. disp.
I. c. 7. n. 4

30 **A** RGVES I. : (14) De una, & eadem re nequeunt verificari prædicata contradictoria; sed admissa Præcisione Objectivâ, de una, & eadem re verificarentur prædicata contradictoria: Ergò. Prob. min.: Animal, & rationale in homine sunt una, & eadem res; sed positâ Præcisione Objectivâ de animali, & rationali verificarentur prædicata contradictoria, scilicet cognosci animal, & non cognosci rationale: Ergò. In*st̄* argumentum: Admissa distinctione ex parte actus verificatur juxta aliquos Contrarios cognosci clarè animal, & non cognosci clarè rationale. Item juxta omnes verificatur, per cognitionem *animal*, apparere principium sensationis, & non apparere principium discursus; sed cognosci clarè, & non cognosci clarè; apparere, & non apparere sunt prædicata contradictoria: Ergò de animali, & rationali, de principio sensationis, & discursus verificantur contradictionis.

31 *Resp. ad argument. dist. primam mai.*: De una, & eadem re realiter, & per rationem, concedo mai: de una, & eadem re realiter, & per rationem diversa, nego mai. *Ad prob. pariter dist. mai.*: Sunt una, & eadem res realiter, seu à parte rei, concedo maj.: Sunt una, & eadem res formaliter, & per rationem, nego maj.; & sic distinctione min., nego conseq. De entitate, quæ est una, & eadem re, & ratione nequeunt contradictoria prædicari: possunt tamen de entitate, quæ, licet realiter sit una, per rationem est divisa in plures formalitates; quia hoc ipso, quod una formalitas non est altera, aliquid convenit uni, quod alteri non convenit; ac proinde affirmari potest de una, & de

Art. V. Vir. Grad. metaph. distinguant. object. 435
de alterà negari. Hanc solutionem tradit D. Thomas:
(15) *De eo, quod est idem re & differens rationem, nihil*
prohibet contradictionia prædicari.

32 Quamvis autem animal, & rationale realiter
sint una, & eadem entitas, distinguuntur per rationem
occasione maximi fundamenti; adeoque affirmari po-
test de animali, quod negatur de rationali, nimis rūm
cognosci animal, & non cognosci rationale. Instabis 1. (16)
Distinctio rationis inter animal, & rationale non suf-
ficit, ut de illis verificantur hæc contradictionia produ-
ci, & non produci; existere, & non existere, & alia hu-
jusmodi: Ergò neque sufficit, ut verificantur ista *co-*
gnosci, & non cognosci. Conf. : Si vi distinctionis rationis
de animali, & rationali verificaretur *cognosci*, & *non co-*
gnosci, verificaretur *cognosci animal, & non co-*
gnosci animal per eandem cognitionem; sed hoc repu-
gnat: Ergo.

33 Prob. maj.: Animal in primis cognoscitur co-
gnitione *animal*; deinde idem animal simùl non co-
gnoscitur eadem cognitione: Ergo. Prob. min. Syllo-
gismo expositorio, cuius efficacia maximè patet in
homine à longè viso: *Hoc rationale non cognoscitur hac*
cognitione animal; *sed hoc animal est hoc rationale*: Er-
gò *hoc animal non cognoscitur hac cognitione animal*.
Sed aliundè, per vos, cognoscitur: Ergo cognoscitur, &
non cognoscitur eadē cognitione. Conf. 2.: Per co-
gnitionem *animal* non cognoscitur rationale, ut fate-
tur solutio; sed aliundè cognoscitur: Ergo *rationale*
simùl cognoscitur, & non cognoscitur eadē cognitio-
ne. Min. patet dispositione hujus in Barbara Syllogis-
mi: *Omne animal hominis cognoscitur cognitione animal;*
sed omne rationale est animal hominis: Ergo *omne ratio-*
nale cognoscitur cognitione animal.

34 Ad instantiam, nego consequiam, ob evi-

lii z dent

(15)
D. Thom.
q. 7. de po-
tent. artic.
1. ad 5.

(16)
P. Arriag.
dis. 5. Log
sect. 2. su-
bsect. 2. à
prin. Pat.
Loffad. ubi
sup. n. 7.

dentem disparitatem: Quia prædicata contradictionia runc solum verificari possunt de extremis realiter identificatis, quando unum prædicatum contradictionium convenit uni extremo sub ea ratione, quæ ab altero extremo distinguitur; non verò quando illi convenit sub ea ratione, quæ convenit cum alio: Cum autem existere, & produci convenient animali sub ratione entis, in quæ non differt, sed convenit cum rationali; si de animali verificatur existere, aut produci, non potest de rationali verificari non existere, aut non produci: Cæterum animali covenit cognosci hac cognitione animal, quatenus vivens sentiens, sub quæ ratione definitivè differt à rationali; adeoque, dum de animali verificatur cognosci; potest de rationali verificari non cognosci.

35 Paret exemplis doctrina nostra: Eo ipso, quod animal, & rationale identificantur realiter, nequit animal produci à Deo, quin producatur & rationale; quia produci convenit animali sub ratione entis veri, & physici, quæ convenit cum rationali: At verò licet entitas, & malitia peccati realiter identificantur, producitur à Deo entitas, non verò malitia; quia produci à Deo convenit entitati sub ratione perfectionis physicæ, qua non convenit, sed differt à malitia. (17) Deinde estò Filiatio, & Essentia Divina realiter identificantur, quia Filiatio producitur sub ratione relativa, qua differt ab Essentia; Essentia non producitur, & Filiatio producitur. Idem patet in claudicatione, cuius motus causatur ab anima, non verò defectus claudicandi, etsi realiter identificantur.

36 Ad 1. Conf., nego maj.; ad prob. neg min.; ad hujus prob. insto argumentum: Hic est syllogismus expositorius: *Hæc Vnitas Dei sicut Trinitas; sed hæc Vnitas cognita fuit à Philosopho lumine naturæ: Ergo etiam Trinitas?* Vel aliter: *Hæc Trinitas non potest cognosci*

(17)
Vide, quæ
diximus
in hac quæ
stion. ar. 3.
num. 23.

Op. 24.

Art. V. Vtr. Grad. metaph. distinguant. object. 437
gnosci lumine naturæ ; sed hæc Trinitas est hæc Vnitas: Ergò hæc Vnitas non potest cognosci lumine naturæ: Ergò potest , & non potest cognosci Vnitas Dei lumine naturæ ? Dicimus ergò , quod ly cognoscitur in majori appellat suprà rationale , quatenus distinctum ab animali , & in consequenti suprà animal , ut à rationali distincto , consequenter variatur appellatio ; atque adeò est defectuosus syllogismus. Negamus itaque minorem illius in sensu formalis , & objectivo ; ab eo enim pendet tota præsens controversia : *An animal objectivè sit rationale, necne?*

37 Aut dici potest, in dicto syllogismo ly rationale in minori , si vera est, sumi in sensu reali , & adæquato ; in consequenti verò sumitur in sensu inadæquato , & objectivo: & hinc etiam deficit syllogismus. *Ad 2. Conf. insto arg.* : Hic syllogismus tenet in *Barbara* : *Omnis entitas hominis per cognitionem rationale appareat principium discursus; sed omne principium discursus est principium sensationis: Ergò omnis entitas hominis per cognitionem rationale appareat principium sensationis.* Sed, per vos, non ita appareat : Ergò appareat, & non appareat? Major itaque illius syllogismi vera est, si ly animal sumatur in majori inadæquate, & in sensu formalis; sed in hoc sensu falsa est min.: in sensu verò adæquato , & reali, vera est minor; non verò major : Consequenter aliter appellat in majori , aliter in minori , ut sint veræ.

38 *In statibus 2. contra primam argumenti solutionem* : Prædicata contradictoria nequeunt verificari de extremis , quæ non præsupponuntur antecedenter distincta ; sed animal , & rationale non præsupponuntur distincta ante hæc prædicata cognosci , & non cognosci: Ergò hæc prædicata nequeunt verificari de animali, & rationali , ut per rationem distinctis. Major patet:

Tum;

438 Liber II. Quæs. I. de sup. inf. grad. distinct.

Tum ; quia sola distinctio actualis est proxima , & formalis capacitas suscipiendi prædicata contradictoria.

Tum etiam ; quia extrema non ideo distinguuntur, quia de illis contradictoria verificantur ; sed ideo ista verificantur , quia extrema distinguuntur. Prob. min.: Animal , & rationale distinguuntur ratione per illa prædicata cognosci , & non cognosci: Ergo.

(18)
Coll. Rip.
l.6.dub.4
& num. 32

39 Ad hanc instantiam resp. primò: (18) Permis-
sà maj. , neg. min. ; ad prob. , dist. ant. : Per illa præ-
dicata cognosci , & non cognosci , secundùm cognitione-
nem directam , quà cognoscitur animal , non cogni-
to rationali , concedo ant. ; secundùm cognitionem
reflexam , quà affirmatur de animali cognosci , & de ra-
tionali non cognosci , nego ant. , & conseq. Verifica-
tio enim illorum contradictiorū consistit in eo , quòd
de animali affirmetur cognosci , & de rationali non co-
gnosci ; id autem fit per cognitionem reflexam , quà
cognoscitur , animal fuisse cognitum , & rationale non
fuisse cognitum per cognitionem directam , qua sit
Præcisio Objectiva : Cum autem cognitione directa an-
tecedat reflexam ; jam distinctio rationis animalis à
rationali præsupponitur ante illa prædicata contradic-
toria.

40 Contingit itaque , quòd cognitione animal , cuius
præcisiva sit , & inadæquata , directè attingit animal ,
signatè quidem , & speculative; prout est in se vivens
sentiens : quia tamen non attingit rationale , eò quod
non percipiat principium discursus ; practicè , & exer-
citè attingit animal aliter , ac est in re , ut distinctum
nimis rūm à rationali. At verò per illam cognitionem ,
licet fiat objectiva Præcisio , non verificantur contradic-
toria ; sed per novam cognitionem reflexam , quà
cognoscitur animal habere denominationem cogniti
per primam cognitionem , & rationale illam denomi-
nationem.

nationem non habere. Cum ergò verificantur contradictoria, jam præsupponuntur prædicata distincta per rationem.

41 *Institutio* : Vi cognitionis directæ verificantur, animal esse cognitum, & rationale non esse cognitum, cum per illam cognoscatur animal, non cognitò rationali; sed animal esse cognitum, & rationale non esse cognitum, sunt prædicata contradictoria: Ergò hæc verificantur vi cognitionis directæ. *Respon.* concessa maj., dist. min. : Sunt contradictoria vi cognitionis reflexæ, quæ cognoscitur, seu enuntiatur, animal esse cognitum, & rationale non esse cognitum, concedo min.; vi cognitionis directæ, qua animal est cognitum, & rationale non est cognitum, subdistinguo: fundamentaliter, concedo min.; formaliter, nego min., & consequent. Quod animal sit cognitum, & rationale non sit, non sunt contradictoria formaliter; hæc enim important formalem affirmationem, & negationem cognitionis directæ de animali, & rationali; quod fieri non potest, nisi per novam cognitionem, quæ reflectat suprà primam: sunt autem fundamentaliter; quia ab eo, quod animal sit, & rationale non sit cognitum, sumit intellectus fundamentum, ut de animali affirmet esse cognitum, & neget de rationali.

42 *Resp. 2. ad instant. positam num. 38.* (19) dist. maj.: Quæ non præsupponuntur distincta, saltem fundamentaliter, concedo majorem; etiam formaliter, seu actualiter, subdistinguo: Si non distinguuntur actualiter per ipsa prædicata contradictoria, concedo maj.: Si distinguuntur per ipsa, nego maj.; & sic distincta min.; nego conseq. Cum enim cognitionis, vi cuius verificantur contradictoria de animali, & rationali, sit ea ipsa, qua distinguuntur objectivè; ut

(19)

Palanco,
tr. 3. ques.
5. n. 61.
Lang. lib.
3. Metap.
q. 2. art. 3
n. 388 &
alii com-
muniter.

440 Liber II. Quest. I. de sup. inf. grad. distinctione.
verificantur ea contradictoria, sat est, quod extrema
præsupponantur fundamentaliter distincta, & per ipsa
contradictoria distinguuntur formaliter; quamvis sem-
per distinctio sit ratio à priori contradictionis.

43 Ad primam probationem, ibidem positam,
dicimus, quod licet actualis distinctio sit proxima ca-
pacitas suscipiendi contradictoria, hæc capacitas de-
bet præsupponi, quando contradictoria verificantur
vi cognitionis speculativæ, qua non sit, sed cognosci-
tur extremorum distinctio; non autem, quando veri-
fificantur vi cognitionis practicæ, qua nedium cognosci-
tur, sed sit objectiva distinctio extremorum, ut in
præsenti. Ad 2. dicimus; quod licet vi ejusdem cog-
nitionis distinguantur extrema, & verificantur con-
tradicторia; primum præstatur à cognitione, ut pra-
cticæ, & secundum, ut speculativa: prius autem est,
quod res fiat, quām quod speculetur, ut facta; con-
sequenter primò illa cognitione distinguit, & secundò
verificat contradictoria.

(20) 44—Dices: (20) Denominatio cogniti nō cōvenit ani-
P. Loffada mali, ut à rationali distincto per rationē: Ergò vel con-
tr. 2. disp. venit etiā rationali, vel sine ulla distinctione verificā-
1. cap. 7. n. tur predicata cōtradictoria. Prob. ant.: Animal, ut ratio-
12. Q. 14 ne distinctum à rationali, est animal, ut cognitum, seu
ut supponens cognitionem præcisivam; sed denomi-
natio cogniti non convenit animali, ut supponenti co-
gnitionem, hæc enim non se denominat: Ergò. Conf.:
Cognitione præscindens non immutat intrinsecè, ani-
mal; sed ante illam cognitionem animal est intrinse-
cè rationale: Ergò.

45—Ad replic. dist. maj.: Prout ratione distin-
ctio reduplicativè, conc. ant.; specificativè, nego ant.:
ad prob. dist. maj.: Est animal, ut cognitum, pro sub-
stracto, conc. maj.; est animal, ut cognitum, etiam de
forma-

formali, nego maj.; & sic distincta min., nego conseq. Animal, ut reduplicativè distinctum à rationali, importat entitatem animalis, ut objectum cognitionis inadæquatæ, & distinctionem fictam; concretum verò ex unitate objectivæ, & distinctione ficta non est objectivum signatum cognitionis directæ, sicque non denominatur cognitum per directam cognitionem, sed ad summum per reflexam, juxta dicta num. 39. & 40.: Animal autem specificativè sumptum est entitas objectiva animalis, quæ signatè attingitur, & denominatur cognita vi cognitionis directæ; resultante verò practicè, & exercitè distinctione ficta, quæ distinguitur à rationali.

46. ~~Si dicas~~: Ergò distinctio rationis non est objectum illius cognitionis *animal*, cum per eam sola attingatur entitas objectiva animalis: Ergò ea cognitio non efficit distinctionem, sicque non distinguit animal à rationali. *Resp.*, distin. primum consequens: Non est objectum signatum, concedo consequent.; non est objectum exercitum, nego conseq. *Vel aliter*: Non est objectum directè, & speculativè attractum, concedo; exercitè attractum, & practicè productum, nego conseq. Ea cognitio signatè, & speculativè attingit animal: sed, quia non illud attingit adæquatè, prout est in re; practicè, & exercitè attingit, seu efficit distinctionem illius à rationali. *Recole*, quæ diximus lib. i. quest. 3. art. 3.

47. ~~Ad Conf.~~ positam num. 44. resp., dist. ant. Non immutat animal intrinsecè, realiter, & physicè, concedo antec.; objectivè, & intentionaliter, nego ant., & conseq. Cognitio præscindens attingit animal, ut intrinsecè distinctum à rationali, sicque concipit animal aliter intrinsecè intentionaliter, ac est in se; sicque illud intrinsecè intentionaliter immutat. *Sed dic.*: 1. (21) P. Loffada ubi suprà, 15. & 16.

Cognitio præcisiva, seu abstractiva non singit: Ergo.
Prob. ant. ex communi proloquo approbato à Divo

(22) Thomà (22) Prescindentium, & abstrabentium non est
D. Thom. mendacium. Secundò: Si illa cognitio apprehendit ani-
mal intrinsecè distinctum à rationali, apprehendit ani-
mal chymæricum; sed lis est de vero animali: Ergo.
1. & opusc Prob. maj.: Si illa cognitio apprehenderet animal in-
70. quest. trinsecè identificatum cum lapide, apprehenderet ani-
mal artic. 3. mal chymæricum: Ergo à pari.

48. Ad 1. replic., nego ant; ad probationem, ad-
missio proloquo, nego consequent: Quia fictio cum fun-
damento non est mendacium, aut falsitas, ut alibi
ostendimus. (23) In D. Thomas loco à Contrariis

Vide lib. 1 allegato expressè docet, quod abstractio contingit, cum
quest. 3. intelligimus unum, nihil considerando de alio. Et postea
artic. 3. n. subdit: Abstrabere per intellectum, quæ non sunt ab-
stracta secundum rem, non habet falsitatem. Ad secun-
dum. 24. & 28. Ad secundam, nego maj.; ad probationem in isto argumentum:
Si cognitio præcisiva apprehenderet animal ex parte
actus identificatum cum lapide, apprehenderet ani-
mal chymæricum: Ergo, si apprehendit animal ex par-
te actus distinctum à rationali, apprehendit animal
chymæricum?

49. Itaque apprehensio animalis identificati cum
lapide fieret absque ullo prorsus fundamento, ac
proinde esset chymærica: Apprehensio autem anima-
lis intrinsecè distincti à rationali maximò nititur fun-
damento à diversis connotatis, sensatione scilicet, &
discursu, aut similitudine, & dissimilitudine cum
aliis desumpto; proinde non est chymærica. Nec dicas;
cognitionem præcisivam nullam fingere cum funda-
mento distinctionem ex parte objecti; cum inassig-
nabile sit in quo illa consistat: Respondeo (24) enim; il-
lam distinctionem consistere in unitate objectivâ ani-
malis,

(24)
Vide Pat. tra. 3. q. 5. à n. 86.
Coll. R. p. lib. 6. dub. 4. n. 82. 83.

malis, quā in se est objectivē unum, & distinctum à rationali; vel in eo, quod animal vi cognitionis *animal* objiciatur, quin objiciatur rationale vi ejusdem cognitionis.

50—*In statib. 3. contra principalem argumenti solutionem positam num. 31.* : (25) Si distinctio rationis sufficeret, ut de animali, & rationali verificantur hæc prædicata *cognosci*, & *non cognosci*; de animali, & rationali, prout sunt à parte rei, verificantur prædicata contradictoria; sed hoc repugnat, etiam juxta Thomistas: Ergo, Prob. maj.: Si, posità distinctione rationis, animal cognoscitur, & rationale non cognoscitur per cognitionem *animal*; ante omnem cognitionem animal est capax, ut cognoscatur per cognitionem *animal*, & rationale non est capax, ut cognoscatur per cognitionem *animal*; sed hæc sunt prædicta contradictoria: Ergo Major patet; cognitio quippe objecti realis supponit in eo capacitatem, ut cognoscatur.

(25)

*P. Loffada
ubi suprà,
num. 18.*

51—*In 3o argumentum:* Si, posità distinctione ex parte actus, apparet principium sensationis per cognitionem *animal*, & non apparet principium discursus, principium sensationis ante omnem cognitionem est capax, ut appareat per cognitionem *animal*, & principium discursus non est capax; sed hæc sunt prædicta contradictoria: Ergo de principio sensationis, & principio discursus verificantur contradictoria citra omnem intellectus operationem? Resp. insuper, nego maj.; ad prob. dist. maj.: Animal est capax, & rationale non est capax, ut cognoscatur per cognitionem *animal*, capacitatem mediata, seu ad actum reducendà medià distinctione rationis, concedo maj.; capacitatem immediatà, seu ad actum reducendà nullà medià rationis divisione, nego maj.; & sic distinctà min.; nego conseq.

52— Duplex est cognoscibilitas objecti, seu illius capacitas, ut cognoscatur: Altera immediata, altera mediata. Prima est capacitas objecti, ut nullà mediâ sui divisione, seu abstractione, cognoscatur adæquatè, prout est in se, quomodo cognoscitur animal rationale hæc cognitione *homo*. Secunda est capacitas ejusdem objecti, ut per rationis divisionem in duas formalitates objectivas, cognoscatur, vel quoad unam, vel quoad alteram, vel quoad utramque diversis cognitionibus. Itaque capacitate immediata, nec animal potest cognosci, non cognito rationali, neque è contra; quia, cum hæc capacitas non reducatur ad actum per conceptus inadæquatos, quales sunt *animal*, & *rationale*, sed per conceptum adæquatum, qualis est *homo*, aut quispiam similis, præcisè vi hujus conceptus adæquati debet tota entitas hominis attingi.

53— Ceterum: Capacitate mediata est capax animal ante intellectus operationem, ut cognoscatur, non cognito rationali; & rationale, non cognito animali: Quia, cum entitas rām animalis, quām rationalis, habeat capacitatē, ut dividatur in duas formalitates objectivas, quarum altera exprimitur conceptu *animal*, altera conceptu *rationale*; potest, seu habet capacitatē, ut mediâ illâ divisione cognoscatur quoad unam, & non quoad alteram formalitatem. Vnde: Sicut animal à parte rei habet capacitatē mediata, ut cognoscatur inadæquatè cognitione *animal*, id est, quoad formalitatē animalis, & ut non cognoscatur inadæquatè cognitione *rationale*, hoc est penes formalitatē rationalis; ita rationale à parte rei (est enim omnino idem cum animali) habet ipsam capacitatē mediata. (26)

(26)
Vide in
b.2o quest
art. 3. n.
32. & 33

54— Dices contra hanc solutionem: Per cognitionem *animal* id ipsum cognoscitur, quod erat cognoscibilis

scibile; sed juxta solutionem tam rationale, quam animal, est à parte rei cognoscibile per cognitionem *animal*: Ergò. *Resp.*, dist. min.: Tam animal, quam rationale, est à parte rei cognoscibile, adæquatè, & immediatè, nego min.; mediatè, & inadæquatè penes formalitatem animalis, in quam tam rationale, quam animal reale dividitur, concedo min.; & nego consequent: Cognitum per cognitionem *animal* est quædam formalitas objectiva solummodo explicabilis conceptu *animal*, non conceptu *rationale*; & è contrà cognitionum per cognitionem *rationale*; quia hæ cognitiones sunt inadæquatae, & præcisiæ, quarum cuilibet sua formalitas ejusdem entitatis physicè indivisibilis correspondet.

55—*Dices* (27) *iterum contra eandem solutionem*: Animal à parte rei non habet intrinsecam capacitem, adhuc mediatam, ut cognoscatur, non cognito animali; sed rationale, à parte rei est intrinsecè potens cognosci, non cognito animali: Ergò verificantur contradictionia à parte rei. *Aliter*: Animal à parte rei non est intrinsecè potens mediatè, ut cognoscatur sine animali; aliundè simùl est ita potens: Ergò. *Prob.* min.: Per te animal est potens mediatè cognosci sine rationali; sed rationale est animal ipsum: Ergò. *Conf.*: Tota entitas hominis est intrinsecè capax terminandi cognitionem: Ergò tota terminat; sicut totus effetus terminat productionem, quia totus est producibilis. *Addo*: Implicat totam entitatem hominis habere capacitem mediatam, ut producatur, quoad unam, & non quoad aliam formalitatem: Ergò.

56—*Ad replic.*, dist. mai.: Ut cognoscatur per cognitionem *animal*, non cognito animali, concedo maj.; per cognitionem *rationale*, neg. mai.: & dist. min.: Per cognitionem *rationale*, concedo min.; per cogni-

(27)
P. Loffada
tr. 2. disp,
1. cap. 7.
num. 19.
20.

446 Liber II. Quæst. I. de sup. inf. grad. distinct.
tionem animal, nego min., & consequent Ad alte-
ram formam, dist. maj.: Per cognitionem animal, con-
cedo maj.; per cognitionem rationale, nego maj.; &
è contrà distinctâ min., nego conseq. A parte rei tâm
animal, quâm rationale, habet capacitatem mediatam,
ut divisum in duas formalitates, cognoscatur animal
sine rationali per cognitionem animal, non autem per
cognitionem rationale; & utrumque habet capacita-
tem mediatam, ut cognoscatur rationale sine anima-
li per cognitionem rationale, non verò per cognitionem
animal; quia à parte rei sunt omnino idem.

57 Sicut juxta Adversarios tâm animal, quam ra-
tionale, à parte rei habet capacitem, ut sit genus, &
non differentia, sub hac expressione animal, non ve-
rò sub istâ rationale; & è contrà habet capacitem, ut
sit differentia, & non genus, sub hac expressione ra-
tionale, at non sub istâ animal. Ad Conf., dist. ant.: Tota
est capax terminandi cognitionem adæquatam, & non
præcisivam, concedo ant., & in eodem sensu conseq.;
cognitionem inadæquatam, subdist.: Capacitate me-
diata, & penes alteram ex formalitatibus, in quas di-
visibilis est, concedo ant.; capacitate immediata, ne-
go. ant., & conseq. Solutio patet ex dictis. Ad parita-
tem de productione, & ad Additionem, quæ eodem
redit, facile respondebis ex dictis num. 34. & 35.

(18)

(28) 58 ARGVES 2.: Implicat cognosci animal, quin
Vide Mag. cognoscatur rationale vi ejusdem cognitionis: Ergò
Langa 1. implicat Præcisio objectiva inter animal, & rationa-
3. Metap. le, atque adeò inter quæcumque prædicata metaphy-
quæst. 2. sica. Prob. ant. 1.: Si animal cognosceretur, rationa-
art. 3. n. li non cognito, animal esset realiter cognitum, & ra-
383. & tionale non esset realiter cognitum; sed hoc repugnat,
384. alias verificarentur contradictionia realiter: Ergò. Prob.

2. idem ant. : Dum cognoscitur animal, rationale est res cognita : Ergò cognoscitur rationale. Tertiò: Dum cognoscitur animal, cognoscitur id, quod est realiter animal; sed rationale est realiter animal : Ergò dum cognoscitur animal, cognoscitur rationale.

59 Ad arg., nego ant.; ad primam prob., disting.
maj.: Animal esset realiter adæquate cognitum, & rationale non esset realiter adæquate cognitum, prout est à parte rei, nego maj.; realiter inadæquate, prout objicitur intellectui, concedo maj.; & sic distinctà min., nego consequent. Dum cognoscitur animal, non cognito rationali, cognoscitur animal reale; at non adæquate prout est à parte rei, sed inadæquate, prout objicitur intellectui, tamquam principium sensationis, & non ut principium discursus: Licet autem rationale sit realiter animal, per cognitionem inadæquatam, qua animal præscinditur, non cognoscitur rationale, quia non attingitur animal, ut rationale, sed solum, ut animal. Ad secundam inst. arg.: Dum animal est genus, rationale est realiter res, quæ est genus: Ergò rationale est genus?

60 Itaque dictus arguendi modus non tenet; quia arguitur à propositione identicà ad formalem. Deinde: Nego conseq.: Quia licet cognoscatur animal, non cognoscitur adæquate prout est à parte rei, sed inadæquate, prout objicitur intellectui, tamquam realitas animalis; sive licet rationale sit à parte rei res ipsa, quæ cognoscitur, non cognoscitur rationale; quia non est res ipsa, ut cognita, sed specificativè, & præcissim à cognitione. Ad 3. dist. majorem: Dum animal cognoscitur cognitione adæquata, concedo maj.; cognitione inadæquatà, & præcissiva, sub dist.: Cognoscitur aliquid, quod est realiter animal, concedo; omne, quod est realiter animal, nego majorem. Solutio constat ex dictis.

61 Dices : Dum animal cognoscitur quācumque cognitione, cognoscitur rationale : Ergò. Prob. ant.: Dum animal cognoscitur quācumque cognitione, rationale identificatur realiter cum cognito ; sed quod identificatur realiter cum cognito, est realiter cognitum : Ergò. Min. patet ; alias idem esset realiter cognitum , & non esset realiter cognitum : Tūm etiam, quia unum identificari realiter cum alio est esse illud. Conf. : Cum aliquid prædicatur de subjecto, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subjecto ; sed de rationali prædicatur animal, & de animali dicitur , esse cognitum: Ergò de rationali dicitur , esse cognitum.

(29)
Palanco
tra . 3. q.
5.n.81.
Langa 3.
metaph.q.
2.art. 3.
n.404. &
405.

62 Ad inst. , resp. (29) nego ant. ; ad prob. dist. maj. : Identificatur realiter cum cognito substantivè sumpto, concedo maj.; adjectivè accepto, nego maj.; & sic distinctà min. , nego conseq. Ita, si ly cognitum sumatur substantivè, sensus hujus propositionis: Rationale est realiter cognitum , reddit hunc sensum: Rationale est realiter extreum , quod cognoscitur , quod verum est, quin inde sequatur, rationale cognosci, quia illud extreum non cognoscitur adæquate. Si autem ly cognitum sumatur adjectivè , sensus illius propositionis est: Rationale afficitur cognitione , seu denominatur cognitum , quod fallum est ; quia cognitio, quā animal inadæquate cognoscitur , non denominat rationale; alias non esset inadæquata, & præcisiva.

63 Ad 1. min. probationem , dicimus , quod rationale est realiter cognitum, sumpto ly cognitum substantivè ; & non est realiter cognitum , ly cognitum sumpto adjectivè; quia identificatur realiter cum re, quæ cognoscitur, sed non afficitur cognitione. Ad 2. dicimus , quod unum identificari cum alio est esse illud substantivè, non verò adjectivè; ut patet in Deo, cuius essentia identificatur cum generante, scilicet Patre,

Art. V. Vtr. Grad. metaph. distinguant. object. 449
tre, & nihilominus propositio hæc est absolute falsa
Effentia Divina est realiter generans, si generans sumatur adjectivè. (30) *Ad conf.*, dist. maj.: Quidquid dicitur de prædicato eo sensu, quo prædicatur de subiecto, dicitur de subiecto, concedo maj.; quidquid dicitur diverso sensu, nego maj.

64 De rationali prædicatur animal in sensu reali, & physico, non in sensu formalis, objectivo, & inadæquato: *Cognosci autem cognitione præcisiva, & inadæquata*, de qua semper loquimur in præsenti, dicitur de animali in sensu formalis, & objectivo, non in sensu reali, & physico, sicque nihil mirum, quod non dicatur de rationali. *Nec dicas*, quod realiter cognitum realiter distinguitur à realiter non cognito: Ergò, vel rationale est cognitum, dum animal est cognitum, vel realiter distinguitur ab animali. *Resp.* enim, quod realiter adæquate cognitum distinguitur realiter à non cognito: At verò realiter inadæquate cognitum substantivè sumptum non distinguitur realiter ab omni non cognito; licet distinguatur adjectivè acceptum, idest penes formam denominantem.

65 *Repli.* : (31) Si animal esset cognitum, & rationale non esset cognitum per cognitionem *animal*, sequeretur, in animali reperiri aliquod prædicatum reale intrinsecum, quod non reperitur in rationali; sed hoc repugnat, supposita omnimodà identitate utriusque: Ergò. *Prob. maj.*: Si animal esset cognitum; & rationale non esset cognitum cognitione *animal*, idèò esset, quia in animali datur proportio aliqua, ut cognoscatur per illam cognitionem, non autem in rationali; sed hæc proportio est aliquid reale intrinsecum animali, cum ipsi conveniat ante omnem cognitionem: Ergò. Maj. patet; idèò enim Petrus, & non equus, terminat cognitionem *homo*, quia Petrus, & non

(30)

Vide Div.
Thomam,
in I. dist.
5. q. 1. ar.
1.

(31)

P. Loffadæ
ubi sup.n.
21. 22. &
23.

450 Liber II. Quæst. I. de sap. inf. grad. distinct. equus, tali cognitioni proportionatur.

66 Vrgetur 1. : Licet cognitione præcisiva faciat exercitè distinctionem animalis à rationali, non facit, sed invenit proportionem animalis, & improportionem rationalis, ut cognoscatur : Ergo ante cognitionem præcisivam permixtæ erant in entitate indivisiibili proportio, & improportio respectu ejusdem cognitionis præcisivæ. Vrgetur 2. : Cognitione præcisiva est imago intentionalis objecti ; sed imago intentionalis ita se habet in repræsentando, sicut objectum in esendo: Ergò, si cognitione *animal* repræsentat animal, ut distinctum à rationali, animal in re erit distinctum à rationali.

67 Ad replic. resp., nego maj.; ad prob. neg. maj.: Quia proportio, quæ datur in animali reali, ut cognoscatur inadæquatè per cognitionem *animal*, etiam est in rationali reali, ut inadæquatè cognoscatur per eandem cognitionem, non sub inadæquata formalitate rationalis, sed animalis: Et improportio, quæ est in animali reali, ut sub formalitate rationalis, in quam est objectivè divisibilis, cognoscatur per cognitionem *animal*, eadem est in animali reali: Itaque tota entitas animalis rationalis habet proportionem mediatam, ut media divisione objectiva in duas formalitates *animalis*, & *rationalis*, cognoscatur penes formalitatem animalis per cognitionem *animal*, & penes formalitatem rationalis per cognitionem *rationale*: Et tota eadem entitas realis habet improportionem mediatam, ut secundùm formalitatem animalis cognoscatur per cognitionem *rationale*; & ut secundùm formalitatem rationalis cognoscatur per cognitionem *animal*.

68 Si autem quæras, in quo consistat illa proportio, & improportio mediata? Dicimus, eam consiste-

re in distinctione fundamentali repertà in animali, & rationali à parte rei, quam explicuimus in hac quæst.
art. 3. à num. 11. Ad 1. urg. resp., concessò ant., nego conseq. : Quia proportio, & impropositio sunt totius entitatis animalis rationalis respectu cuiusvis cognitionis respectivè, modo nuper explicato : Sicut tota entitas est similis, & dissimilis equo ; ut alibi diximus. (32)

69 Ad 2. urg. resp., cognitionem præcisivam esse imaginem intentionalem inadæquatam, & practicam: Quatenus inadæquata, non repræsentat totum objectum, quatenus practica, ponit distinctionem inter id, quod repræsentat, & id, quod non repræsentat in objecto. Ita ergò se habet in repræsentando inadæquate, secundum repræsentationem speculativam, & signatam, sicut objectum in essendo inadæquate ; non verò secundum repræsentationem practicam, & exercitam ; quia sic attingit objectum aliter, ac est in se. Nec dicas : Quòd, si rationale non cognoscitur, non afficitur cognitione distinctivè: Ergò non distinguitur: Quia id solùm probat, rationale non distingui positiè ab animali, distinguitur autem negatiè. Vide num. 2.

70 ARGVES 3. Gradus superiores, & inferiores solùm distinguuntur per actus intellectus: Ergò non distinguuntur distinctione objectiva fieta. Prob. ant.: Per eandem formam, qua intellectus denominatur formaliter distinguens, denominantur objecta formaliter distincta; sed intellectus per suos actus denominatur distinguens: Ergò. Conf. : Viso à longè colore, non videtur ejus differentia; sed nihilominus visus non preseindit colorem ab ejus differentia: Ergò. Conf. 2.: Potest cognosci ens, quin cognoscantur differentiae; & ratio substantiarum supernaturalis crea-

(32)

Vide in
hac quæst
art. 2. à n.
22. & seq

452 Liber II. Quæst. I. de sup. inf. grad. distinct.

tæ, quin cognoscatur, eam esse possibilem; sed neque
ens à differentiis, neque substantia ab ejus possibili-
tate præscindit: Ergò.

71 Conf. 3.: Non sufficit distinctio rationis ad
verificanda prædicata contraria de eodem realiter ob-
jecto: Ergò neque ad verificanda contradictoria. Conf.
4.: Dolor de peccato sub hoc conceptu *offensa Dei* se
extendit ad omnia peccata in specie, & individuo: Er-
gò ille conceptus *offensa Dei*, et si præscindens, attin-
git ex parte objecti omnes peccatorum differentias.
Ad argumentum nego ant., & minorem probationis:
Quia intellectus solùm denominatur effectivè distin-
guens, seu efficiens distinctionem, non formaliter;
objecta autem sunt formaliter distincta per distinctio-
nem rationis, et si effectivè denominantur per actus in-
tellectus. Vide quæ diximus lib. I. quæst. 3. art. 2. à num.
11. & sequent.

72 Ad 1. Conf., nego maj.: Quia, ut jam con-
stat, (33) modo, quo visus percipit colorem percipit
etiam ejus differentiam. Ad 2., dicimus, ens non pos-
se cognosci, quin pro implicito cognoscantur diffe-
rentiæ; sicq; ab illis non præscindit perfectè, sed imper-
fectè, ut suo loco videbimus. Pariter dicimus, quod
si substantia supernaturalis creata cognoscatur per af-
fensem, & ut possibilis, cognoscitur ejus possibilitas;
si per dissensem, negatur ejus possibilitas; sicque ne-
gatur ejus differentia, ut talis, consequenter eodem
modo cognoscuntur, quia possibilitas est prædicatum
transcendens, sicut ens. Ad 3. nego consequent.: Quia

(34) Plura requiruntur ad alias oppositiones, quam ad
contradictoriam :: Vndè non oportet, quod si contrarie-
tas non inveniatur, nisi in diversis realiter, quod affir-
matio, & negatio inveniatur in diversis realiter.

(33)
Vide lib. 2.
quæst. 2.
art. 1. n.
14.

(34)
D. Thom.
in 1. dist.
5. q. 1. art
1. ad 1.

73 Ratio est: Quia ad contradictriam oppositio-
nem

nem sufficit, quod rei secundum unam formalitatem aliquid conveniat, quod ipsi non conveniat secundum alteram; ad contrariam ulterius requiritur, quod secundae formalitati conveniat oppositum ejus, quod primae convenit: Primum verificari potest per distinctionem rationis, ut satis constat; non secundum. Ad 4., dist. ant.: Formaliter, nego ant.; virtualiter, concedo ant., & nego conseq.: Voluntas enim non est praecisiva, ut intellectus; sicque in generali detestatione offensae Dei, omnes offensas virtualiter detestatur. Intellectus autem est praecisivus in cognoscendo. (35)

(35)

Pro aliis:

Vide Läg.

num. 409.

410. &

411.

QUÆSTIO II.

DE VNIVERSALIBVS IN COMMVNI.

ARTICULUS I.

Quid sit Vniversalē, & an detur à parte rei?

1 **V**Niversalē significat unum quid, plura res piciens; unum enim cum sit, ad multa se extendit. In hac amplitudine sumptum triplex est: Vnum in *causando*; quia plurium effectuum est causa, ut Deus, Sol, & alia: Aliud in *repræsentando*; quia plura repræsentat, ut vox *homo*, conceptus *animal*: Aliud denique in *essendo*, & *prædicando*; quia res una cum sit, aptum est, ut sit in multis, utque de illis prædicetur; v. gr. natura humana. In præsenti solū agitur de Vniversalī in *essendo*, quod sic definiri valet: *Vnum in multis multiplicabile*.

2 Ut aliqua natura propriè universalis sit, triplex assi-

454 Lib. II. Quest. II. de Universalib. in communi.
assignatur conditio. Prima est, quod sit una perfecte
nomine, re, & significatione; ita, ut nullam infe-
riorum includat diversitatem: Quare naturam Uni-
versalis non participant analogia, ut *Sanum*; nec æqui-
voca, ut *canis*; neque complexa, ut *homo albus*. Secun-
da conditio est, quod natura universalis sit potens esse
in multis per multiplicationem in ipsis: Quare Natu-
ra Divina, licet in tribus personis existat, non est
universalis; quia non est in illis multiplicata, ita, ut
alia sit natura Patris, alia natura Filii, & alia Spir-
itus Sancti; sed eadem identice, & indivisa est in tri-
bus personis.

3 Tertia conditio est, quod natura universalis ita
possit esse in multis, ut de ipsis valeat prædicari; ita
tamen ab illis differat, ut objectivè maneat perfectè
una. Universale enim duplicum importat ordinem, al-
terum ad plura, ut in quibus potest esse; alterum ad
ipsa, ut de quibus potest prædicari. Primus ordo est
de essentia Universalis logici: Secundus est proprie-
tas illius. Adverte jam, Universale esse concretum ar-
tificiosum ex subjecto, & formâ compositum. Subje-
ctum est realis natura objectivè perfectè præcisa à suis
inferioribus: Forma autem est secunda intentio Uni-
versalitatis, quæ est forma rationis suo loco explican-
da, (1) vi cuius natura denominatur formaliter uni-
versalis.

(1)
Vide infr.
quest. 3.
art. 1. n. 3
& art. 2.
num. 2.

4 Cum autem forma Universalis sic facta cum fun-
damento; assignandum est in principio fundamentum
Universalitatis, ut decaterò Universalia non sine fun-
damento singamus. Intellectus noster suæpte naturâ
præcisius concipit fundamentalem distinctionem, quæ
rebus inest à parte rei, ut alibi diximus; quæ de causâ
ab inferioribus abstrahit objectivam rationem naturæ,
quam objectivè unam efficit per rationis unitatem:

Sed

Sed quoniam naturam illam novit multiplicationis capacem; ipsam refert, seu comparat ad multa, in quibus valeat existere, mediâ relatione rationis. Fundamentum igitur unitatis rationis est realis inferiorum similitudo, quâ quodammodo apparent unum in ratione assimilandi. Fundamentum vero relationis ad plura, partim est natura objectivè præcisa, partim inferiorum multitudo, saltem possibilis.

5 Ex quibus patet, dari à parte rei fundamentum Universalis, quod proindè Universale fundamentale dici potest; non secùs ac fundamentum distinctionis rationis dicitur distinctio fundamentalis. At vero, dari à parte rei Universale formaliter tale, fuit in primis Sententia Platonis, qui à parte rei naturas universales, æternas, incorruptibiles, & ingenerabilis admisit, easque realiter à singularibus separatas, quæ per singulatum productionem ad singularia descendunt: ita tamen, ut, nec producto singulari, producantur; nec eo deficiente, corruptantur. Has naturas universales, quas Platonis *ideas* appellant, communiter rejiciunt Philosophi.

6 Ceterū sunt etiam ex Patribus Societatis, qui naturas universales admittant à parte rei; sed diversimode discurrunt in illis constituendis. Alii enim (2) asserunt, quamlibet naturam creatam habere statum essentiæ, seu solitudinis, in quo natura realiter præcisa est ab ecceitatibus, ac proindè universalis. Alii (3) docent, naturam creatam, v. gr. humanam, à parte rei esse unam in multis; unam quidem unitate formalis, & essentiali consistente in similitudine, & convenientiâ reali, quam habent homines inter se. Scotistæ autem, admittentes naturam ex naturâ rei à singularibus distinctam, eam volunt universaliter; vel positivè per unitatem pluribus communem per inexisten-

(2)
P. Fonseca
lib. 5. Metaphys. c.
28.

(3)
P. Amicus
ap. Loffad
er. 2. disp.
2.c. i. n. 11.

456 Lib. II. Quest. II. de Universalib. in communi.
tiā in ipsis, ut volunt aliqui; vel negativè per indif-
ferentiam ad plura, quam habet natura à sua singula-
ritate scotieè distincta.

Nostra Conclusio.

7 DICIMVS: Repugnat à parte rei Universale for-
maliter tale quocumque modo. PROB. 1. Conclusio
contra Platonem: Quidquid est à parte rei est identi-
ficatum realiter cum singulari: Ergò repugnat à par-
te rei natura universalis à singularibus realiter sepa-
rata: Prob. ant.: *Tum*, quia quidquid est à parte rei,
præter Deum, est in tempore productum, ut fides do-
cet; productio autem terminatur ad singulare. *Tum*
etiam, quia natura quælibet à parte rei realiter prædi-
catur de singularibus, ut patet in his: *Petrus est homo*:
Leo est animal; sed nihil prædicatur realiter, nisi de
eo, cum quo realiter identificatur: Ergò. Conf.: Ens
positivum, aeternum, improductum, & indefectibile non
est, nisi Deus; aeternitas enim, indefectibilitas, & im-
producibilitas, sunt Attributa Divina: Ergò.

8 PROB. 2. Cöclusio contra PP. Jesuitas: *In primis*.
Natura ratione statū solitudinis, seu essentiæ nequit
esse formaliter universalis: Ergò Prob. ant.: Quod con-
venit naturæ in statu essentiæ, seu solitudinis, est illi
essentiale, & in quocumque statu indefectibile; sed jux-
ta Contrarios natura non est in quocumque statu uni-
versalis: Ergò. Min. patet; quia juxta illos in statu
existentiæ amittit natura universalitatem. Conf.: Na-
tura solùm est à parte rei sub existentiâ, ut clarum
est; sed per vos sub existentiâ non est universalis: Ergò.
Conf. 2.: Natura nequit esse à parte rei universalis, ni-
si sub aliquâ reali indifferentiâ; sed à parte rei nullam
habet, apud Contrarios, indifferentiam realem, cum per
existentiâ destruatur, ut ipsi volunt: Ergò.

Dein-

9 Deinde : Nequit esse natura à parte rei universalis ratione unitatis in similitudine, & convenientia, quam inferiora habent à parte rei , at voluit Amicus: Ergò. Prob. ant. : Realis inferiorum similitudo in aliquà ratione realem pluralitatem potius , quam unitatem probat : Ergò. Prob. ant. : Similitudo petit , ut ratio assimilandi unius sit sicut ratio assimilandi alterius ; non autem postulat , ut sit eadem identicè; alias non fundarent similitudinem , sed identitatem : Ergò. Conf. : Si realis similitudo esset vera unitas , homo, qui factus est ad imaginem , & similitudinem Dei , esset identicè unus cum Deo in aliquà ratione assimilandi ; sed hoc est apertè falsum , & repugnans : Ergò.

10 PROB. 3. Conclusio contra Scotistas : Natura creata , v. gr. humana , non habet à parte rei unitatem formalem pluribus positivè communem : Ergò non est à parte rei universalis in sensu Scotistarum. Prob. ant. Natura humana à parte rei non excludit divisionem , sed est in pluribus formaliter divisa , & multiplicata , sed divisio , & multiplicitas opponitur unitati: Ergò. Prob. ant.: Natura humana Petri, & Pauli formaliter distinguuntur : Ergò. Prob. ant.: Natura humana Petri , & Pauli realiter absolutè distinguuntur. Ergò natura humana Petri , & Pauli formaliter distinguuntur. Aut. patet ; quia sunt realiter separabiles. Conseq. verò ex eo patet , quod distinctio absoluta est major distinctione formalis Scoticè ; & quæ majori distinctione differunt , minori potius discriminantur.

11 Vrgetur : Tres homines à parte rei nedum in differentiis individualibus , sed etiam in essentiā distinguuntur : Ergò. Prob. ant. : Si non distinguerentur in essentiā , essent tres personæ , & unum in essentiā ; sed hoc implicat in creatis , nisi admittatur Mysterium Trinitatis creatum : Ergò. Prob. min. : Ideo

458 Lib. II. Quest. II. de Universalib. in communij.
tres Personæ Divinæ non sunt tres Dii, sed unus,
Deus, quia Deitas est in illis una, & indivisibilis; sed
per vos natura humana est una, & indivisibilis in tri-
bus suppositis humanis: Ergò sunt tres personæ huma-
næ, & unus homo; quod est Mysterium Trinitatis
humanum. Vrg. iterum: Sicut humanitas ex naturâ
rei distinguitur ab individualitatibus creatis, ita Dei-
tas differt per vos ex naturâ rei à Personalitatibus Di-
vinis; sed eandem Divinitatem esse indivisam in tri-
bus personis, est perfectissimum Trinitatis arcanum:
Ergo.

12. *Nec dicas*; Naturam humanam esse in illis in-
dividuis multiplicem individualiter, licet eandem for-
maliter. *Contrà*: Per vos, naturam humanam esse
multiplicem individualiter non est esse eam multiplicata-
m in individuis, sed eam esse sine ulla sui divisio-
ne in multiplici individuo; sed etiam natura Di-
vina sine ulla sui divisione est in triplici persona,
quin indè sequatur dari tres Deos: Ergo à pari de
natura humana esset dicendum. *Deinde*: Sicut nōmē su-
bstativū Deus significat de formalī Deitatem, ita nōmē
bom̄ humanitatem; sed licet Deitas sit in triplici per-
sonā, non tres Dii sunt, quia non est in se multipli-
cata: Ergo pariter. (4)

(4)
Vide Pal.
tr. 3. q. 6.
num. 7. &
sequent.

(5)
Merin.
Mastrius
& alii. ap.
Loffad tr.
2. disp. 2.
6. 1. n. 21.

13. Respondent jam Moderniores Scotistæ (5) non
esse eandem naturam humanam in omnibus individuali-
bus per inexistentiam; sed solum penes indifferentiam:
quatenus natura cuiusvis individui, ab individualitate
ex naturâ rei distincta, habet intrinsecam indiffe-
rentiam, ut conjugatur cum quavis ecceitate divi-
sive; licet sit extrinsecè impedita à propriâ ecceitate:
illam autem indifferentiam vocant communitatem
negativam; consequenter, quamlibet naturam à par-
te rei esse pluribus negative communem, & univer-
fa.

14 — *Impugnatur hæc Sententia : Nulla natura , à parte rei identificata cum uno individuo , potest realiter identificari cum alio : Ergò non est ex se indifferens ad plura , neque pluribus negativè communis.* Prob. ant. : Natura identificata cum uno individuo , nequit identificari simùl cum aliis ; aliàs sequeretur inconveniens prætensum *num. 11.* : Sed neque potest divisim ab hoc individuo identificari cum aliis : Ergò. Prob. min. : Natura identificata cum individuo nequit identitatem relinquere : Ergò. Ant. patet : *Tum* ; quia , quæ separari valent , non identificantur realiter : *Tum etiam* ; quia , quæ semel identificantur , semper identificantur , ut communiter dicitur.

15 — *Nec dicas cum Maistro ; (6) Naturam ; & individualitatem non posse separari postquam existunt;* *Vide Ma-* (6) *cum jam identificantur realiter : At verò in eorum productione potuisse Deum impedire illorum identitatem , & naturam cum aliâ individualitate identifica-* *stri disp. 9 Metaphys.* *re. Contrà : Si Deus potuisset tunc impedire eorum extremorum identitatem ; productis extremis , potuisset ea extrema per productionem separare ; sed , si hoc est verum , non est cur ea separare non possit per eundem conservationem : Ergò. Adde : Quòd , si Deus potuit illa extrema separare , aliter illa producendo , non fuissent jam eadem extrema , quia non haberent eamdem entitatem : Ergò nunquam potuerunt extrema identificata separari.* Prob. ant. : *Illa extrema tunc casus non haberent eamdem identitatem ; sed identitas , ut nomen indicat , est unitas entitativa : Ergò.*

16 — *Si dicant : Naturam identificatam cum uno individuo non posse cum aliis identificari ; non ratione sui , sed ratione ecceitatis , cum quā realiter absolute deintificatur ; quod non impedit , ut ex natura rei sit*

460 Lib. II. Quest. II. de Universalib. in communi.
indifferens. Contrà : Licet repugnantia proveniat ab
ecceitate , cum quà realiter identificatur , est tamen
ea repugnantia à naturà exacta , illique connaturalis:
Ergò. Prob. ant. : Natura quælibet à parte rei petit
suam singularitatem , ex qua oritur ista repugnantia:
Ergò. Ant. patet , quia petit id , quod est illius deter-
minativum , & perfectivum.

SOLVUNTVR ARGUMENTA CONTRARIA.

17 **A** RGVES 1. pro Idæa Platonis : Quidquid
est à parte rei cum singularibus identifi-
catum , est contingens , & defeſtibile; sed naturæ uni-
versales sunt à parte rei necessariae , indefeſtibiles , &
æternæ : Ergò. Prob. min. : Scientiæ sunt de Vniver-
salibus , tamquam de objectis ; sed objecta scientia-
rum sunt necessariae , & indefeſtibilia : Ergò. Min. pa-
tet ; quia de contingentibus , ut talibus , non datur
scientia. Conf. : Objectum hujus propositionis : *Homo*
est animal , est natura humana ; sed illius objectum est
æternum , cum sit propositio æternæ veritatis : Ergò
natura humana est æterna , & indefeſtibilis , & conse-
quenter separata à singulari defeſtibili. *Vrgetur* : Obje-
ctum nostri intellectus est immateriale , cum intelle-
ctus sit potentia spiritualis ; sed singularia sunt mate-
rialia : Ergò illud objectum est à singularibus separa-
tum. Atqui illud objectum est Vniversale : Ergò.

18 *Ad arg. resp.* ; dist. min. probationis : Obje-
cta scientiarum sunt necessariae , & indefeſtibilia enti-
tativè , & existentialiter , nego min. ; verificativè , con-
cedo min. , & nego conseq. Itaque objecta scientiarum
possunt non existere à parte rei , seu non habere entita-
tem productam : At verò semper de illis verificantur
proprietates per scientias demonstratae ; quia quomo-

Art. 1. Quid sit Universale, & an detur, &c. 461
documque accipiatur scientiæ objectum, v. gr. homo,
semper de illo verificatur esse rationalem, risibilem,
aliaque hujusmodi: Ideo scientiarum objecta sunt in-
defectibilia verificativè; non autem entitativè. (7)

19 Ad Conf. pariter, dist. min.: Est æternum exi-
stentialiter, & entitativè, nego min.; verificativè, &
essentialiter, concedo min., & nego consequent. Dum
enim dicimus, hanc propositionem: *Homo est animal*,
esse æternæ veritatis, non est sensus, quòd homo ab
æterno existat, seu sit exercitè, & actualiter animal;
sed solum verificativè, & signatè, quatenus ab
ab æterno verificatur, quòd si homo est, est animal.
Ad urg. dist. mai.: Est immateriale ex parte rationis
sub qua, concedo maj.; ex parte rationis *qua*e, nego
maj.; & sic distinctè min.; nego consequent. Intellectus
enim intelligit materialia, ut abstracta à materialitate,
seu modo immateriali. (8)

20 ARGVES 2. pro aliis Sententiis: Vno tantum
homine existente, datur à parte rei natura humana
una, & realiter multiplicabilis: Ergò foret à parte rei
universalis. *Resp.* dist. ant.: Daretur natura humana
multiplicabilis per sui divisionem in alias naturas, ne-
go ant.; per productionem aliarum naturarum, conce-
do ant., & nego conseq. At verò multiplicabilitas illa
non sufficit, ut natura sit universalis; cum non red-
dat illam multis communicabilem. *Dices*: Illi naturæ
non repugnat ab intrinseco multiplicatio in plura:
Ergò est universalis, saltem negative. Ant. patet, alias
dum intellectus illam concipit multiplicabilem, con-
ciperet chymæricè.

21 Resp., dist. ant.: Illi naturæ, ut existenti à
parte rei, nego ant.; ut objectivè abstractæ, & per ra-
tionem conceptæ, ut indifferenti, concedo ant.; &
nego consequent. Verum quidem est, quòd si intelle-

(7)
Vide Palac
tr. 3. quæs
2. num. 9.

(8)
Vide Palac
ubi suprad,
n. 9.

462 Lib. II. Quæst. II. de Vniversalib. in communi.
et us conciperet naturam Petri adæquatè , prout est à
parte rei , ut multiplicabilem , eam conciperet chy-
mæricè : Sed eam solùm , ut abstractam , & factam
unam per rationem cum cæteris naturis ejusdem spe-
ciei , concipit , ut multiplicabilem , & quidem maxi-
mo cum fundamento. Nec dicas , dari à parte rei sin-
gulare : Ergò & Vniversalē , cum sint correlativa.
Dicimus enim , singulare primò intentionaliter sump-
tum non esse correlativum Vniversalis ; benè verò se-
cundò intentionaliter acceptum , quomodo nequit
existere à parte rei.

22 ARGVES 3. cum Scotistis : Natura humana à
parte rei est una , & eadem formaliter in omnibus in-
dividuis : Ergò habet à parte rei unitatem formalem ,
pluribus communem , atque adeò erit Vniversalis.
Prob. ant. : Petrus , & Paulus à parte rei sunt unum
formaliter in natura humana ; sed eadem est ratio de
cæteris individuis : Ergò. Resp. , dist. maj. prob. : Sunt
formaliter unum unitate identitatis distinctioni oppo-
sitā , nego maj. ; unitate conformitatis , & similitudi-
nis , concedo maj. Licet enim natura humana Petri sit
similis à parte rei naturæ humanæ Pauli ; nō tamen est
eadem realiter in Petro , & Paulo : quia , cum natu-
ra humana Petri sit à parte rei omnino eadem cum
Petro , & natura Pauli cum Paulo ; Petrus autem , &
Paulus distinguuntur realiter ; eorum pariter naturæ
distinguuntur.

23 Dices : Licet Petrus , & Paulus non sint unum
unitate identitatis non ericè , sunt unum unitate iden-
titatis formalis , seu essentialis : Ergò. Prob. ant. :
Vnitas formalis , est unitas specifica ; sed Petrus , &
Paulus sunt unum unitate identitatis specificæ : Ergò.
Prob. min. : Petrus , & Paulus non distinguuntur spe-
cificè , alias essent diversæ speciei : Ergò. Resp. (9) dist.
mai.

(9)

Palacio. tr
3. q. 6. n.
3. b. & 4.

mai. probationis : Vnitas formalis inter prædicata formalia præcisivè sumpta est specifica, concedo maj.; inter prædicata formalia sumpta realiter, seu à parte rei, nego maj.; & dist. min. : Petrus, & Paulus à parte rei non distinguuntur specificè, distinctione sumpta pro dissimilitudine, concedo min.; sumpta pro carentia identitatis in essentiâ, nego min., & conseq.

24 Sicut prædicata essentialia naturæ humanæ considerari possunt in statu formali, in quo sunt unum objectivè omnibus hominibus commune, & in statu reali, in quo multiplicantur realiter in individuis; ita unitas, & distinctio formalis, seu essentialis possunt accipi, quatenus versantur inter prædicata pure formalia, & abstracta, & quatenus sunt inter ipsa, prout contracta, & indistincta ab individualibus: In primò sensu unitas, & distinctio formalis est specifica; in secundo verò non est specifica formaliter, quia denominatio formalis specifica est secundæ intentionis, quæ proinde à parte rei dari non potest.

25 Igitur natura humana Petri, & Pauli abstractivè sumpta est una specificè, quia est una formaliter in ratione objectivâ subinduente secundam intentionem speciei: Cæterùm contractivè accepta, seu à parte rei est realiter duplicata; consequenter non est una, nec formaliter, quia esse formale naturæ Petri non est esse formale naturæ Pauli; neque specificè, quia denominatio speciei repugnat à parte rei. *Enim* verò (10) juxta communem usum loquendi omnes homines à parte rei non distinguuntur specificè, sed sunt ejusdem speciei; quia usu communi distinctio specifica à parte rei sonat diversitatem seu dissimilitudinem in prædicatis essentialibus; & enarras specifica denotat eorumdem similitudinem, & convenientiam. Sed re verà hæc denominatio est specifica

(10)
Vide Pat.
Loffada.
tra. 2. dis.
2. cap. 2.
num. 9.

folium

solum fundamentaliter; non formaliter.

26 *Inſtab.*: Omnis diſtinctio formalis eſt diſtinctio ſpecifica; ſed natura humana Petri, & natura humana Pauli nullam habent à parte rei diſtinctionem ſpecificam: Ergò. Prob. ant.: Omnis diſtinctio materialis eſt numerica: Ergò. *Reſp.*, (11) diſt. maj.: Omnis diſtinctio formalis major numericā, & ab eā diſtincta, concedo maj.; aequalis ſeu eadem cum numericā, nego maj. Sicut prædicata formalia præcivè ſumpta ſunt communiora, quām contraktivē accepta, quia in hoc ſtatu identificantur cum prædicatis individualibus; ita diſtinctio formalis prædicatorum eſſentialium præcivè acceptorum eſt major diſtinctione numericā, adeoque eſt ſpecifica; ſed verò diſtinctio formalis inter prædicata eſſentialia contracta eſt eadem cum ea, qua prædicata individualia diſtinguuntur, cum iſta, & illa ſint eadem; adeoque non eſt major numericā, neque ab iſta diſtinguitur.

27 *Vnde* adverteſter nota, quōd à parte rei prædicata eſſentialia Petri, & Pauli, eorumque individualia eādem diſtinctione diſtinguuntur; quæ tamen dicitur formalis, quatenus denominat diſtincta prædicata formalia, ſeu eſſentialia; & dicitur numericā, ut denominans prædicata individualia. *Nec obſtat* paſitas de diſtinctione materiali, quæ ſemper eſt numericā: Nam ideo hoc verum eſt, quia diſtinctio materialis ſemper eſt inter prædicata individualia, quæ ab hoc ſtatu extrahi non poſſunt: at verò prædicata formalia eſſe poſſunt in ſtatu abstractionis, & in ſtatu contractionis; adeoque diſtinctio, quæ eſt inter ea ſub primo ſtatu, eſt ſpecifica; non, quæ militat in ſecundo.

28 *Repliſ.*: Plūs diſtinguuntur à parte rei Petrus, & leo, quām Petrus, & Paulus; ſed Petrus, & Paulus diſtinguuntur diſtinctione numericā: Ergò Petrus, &

leo

(11)

Palanc.
ubi ſuprā,
num. 16.

leo distinguuntur distinctione formalis majori, quam numerica; consequenter datur à parte rei distinctionis formalis major numericā, & ab ista distincta. Conf. Petrus, & Paulus sunt à parte rei magis unum, quam Petrus, & leo; sed non numericè: Ergo formaliter, & specificè. Ad replic. ; dist. maj. : Plūs distinguuntur distinctione sumptā pro dissimilitudine, concedo maj.; sumptā pro carentia unitatis, seu identitatis, nego maj.; & concessā min., dist. conseq. eodem modo.

29 Distinctio inter duo consistit in indivisibili, nimirū in eo, quod unum non sit aliud: æquè autem Petrus non est Paulus, ac Petrus non est leo. Ceterū diversitas consistit in dissimilitudine, & disconformitate, quæ major est inter Petrum, & leonem, quam illa, quæ datur inter Petrum, & Paulum. Quare, dum dicimus, unam distinctionem esse aliam maiorem, sumitur distinctio pro diversitate. Ex quibus patet solutio ad Conf.: Petrus enim, & Paulus sunt magis unum unitate conformitatis, & similitudinis, quæ impropriè dicitur unitas; non verò unitate identitatis. (12)

ARTICVLVS II.

Vtrū natura secundū se sit una, aut communis pluribus?

Natura in triplici statu considerari potest. (1) Primò in statu secundū se, seu solidudinis; in quo solum importat prædicata quidditativa, & essentialia; v.gr. natura humana, considerata solum quoad hæc prædicata: *Animal rationale*. Secundò in statu abstractionis; in quo natura consideratur à suis singularibus per rationem præcisa; v. gr. natura humana à Petro, & Paulo, cæterisque individuis

Nat abstra-

(12)
Pro aliis
vide Los.
ubi suprad
anum. 13.
& n. 16;

(1)
Vide Div.
Thom. de
Ente, &
Essentiâ,
4.

466 Liber II. Quest. II. de Universalib. in comm.
abstracta. Tertiò in statu contractionis; in quo consideratur natura cum suis inferioribus contracta; v.gr. natura humana ad Petrum, & Paulum contracta. De unitate, & multiplicitate naturæ in statu contractionis egimas jam articulo antecedenti. De illa in statu abstractionis agemus postea. Nunc de eadem in statu secundùm se tantummodo inquirimus.

2 Advertendum tamen est; quod tam unitas, quam communitas naturæ esse potest, vel positiva, vel negativa. Unitas positiva est illa, vi cuius natura, ne- dum divisionem in plura non habet, verum positivè illam excludit: Unitas negativa est illa, vi cuius natura à divisione præscindit; ita, ut nec divisionem habeat, nec illam ratione multiplicitatis excludat. Communitas positiva est in natura, quando manens una, & indivisa, reperitur in multis: Negativa vero tunc datur, quum natura, licet non sit in multis, tamen ita est in uno, ut illi non sit adeò appropriata, ut repugnet, eamdem pluribus communicari. Cætera de unitate, vide lib. I. quest. I. art. 6. num. 2.

Nostra Conclusio.

3 DICIMVS I.: Natura secundùm se, neque est una positivè, nec multis positivè communis. Ita Div. Thomas: (2) *Si queratur, utrum ista natura (loquitur de natura secundùm se) possit dici una, vel plures; neutrum concedendum est.* PROB. Conclusio ratione Divi Thomæ: Natura secundùm se solùm importat prædicata quidditativa, & essentialia naturæ; sed neque unitas, neque multiplicitas positiva est de essentia naturæ: Ergo. Prob. min.: *Quod est de essentia naturæ secundùm se sumptuæ, numquam valet illi deficere, sed ipsi convenit in omni statu, ut est evidens; sed unitas positiva deficit naturæ à parte rei, ut ex dictis*

(2)
D. Thom.
& Essen-
tia, cap. 4.

Art. II. Vtr. natura secundum se sit una, &c. 467
dictis constat; & multiplicitas positiva deficit naturae
in quolibet individuo singulari, in quo non est mul-
tiplicata: Ergo.

4 *DICIMVS* 2.: Natura secundum se est una ne-
gativè, & pluribus negativè communis. Ratio primæ
partis est: Quia natura negativè una est illa, quæ ab
unitate, & multiplicitate positiva præscindit; sed natu-
ra secundum se ita se habet, ut constat ex dictis in
prima conclusione: Ergo. Ratio secundæ partis est:
Quia illa natura est negativè communis, quæ, licet
non sit in multis, nulli tamen individuo est ita appro-
priata, & determinata, ut repugnet esse in multis;
sed ita se habet natura secundum se: Ergo. Min. pa-
rat: Quia si secundum se esset alicui appropriata, &
determinata, non posset ab illo præscindi; neque con-
cipi, ut indifferens; quod falsum est.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

5 *ARGVES* 1.: Natura secundum se est indi-
Avisa: Ergo est una positivè. Prob. ant.: Na-
tura secundum se est non divisa: Ergo. Prob. antec.:
Natura secundum se non est divisa, aliàs esset multi-
plex positivè: Ergo. Conseq. prob. primò: Ex duobus
contradictoriis nulli rei potest utrumque deficere; sed
divisum, & *non divisum* sunt prædicata contradictionis:
Ergo, si natura secundum se nō est divisa, est secun-
dum se non divisa. Secundò: Nō divisio est carentia di-
visionis; sed natura secundum se caret divisione: Er-
go. Tertiò: A propositione negativa de prædicato fini-
to ad affirmativam de prædicato infinito valet conse-
quentia; sed hic ita arguitur: Ergo.

6 *Ad arg.*, nego ant.; ad prob., nego ant.; ad
alteram prob., nego conseq. Ad primam ejus prob.

(3) resp. 1. (3) concessis præmissis, nego conseq. : Quia
Coll. Rip. esse *divisum*, & esse non *divisum* non est esse, & non esse,
lib. 6. dub. sed duplex esse, quorum utrumque deficit naturæ se-
5. n. 52. cundum se; sive non sunt contradictoria: Ut autem
divisum, & non *divisum* contradictoriè dicantur de
naturæ secundum se, ita debet formari contradicatio:
Natura secundum se est divisa: *Natura non est secundum*
se divisa: Ita tamen prima propositio est falsa, secun-
da vera. *Resp. 2.* , (4) dist. mai.: In materia necessa-
(4) *Vide Palæ* riæ, aut impossibili, concedo maj.; in materia con-
tr. 3. q. 8. tingenti, subdisting.: Nulla facta reduplicatione, conc.
mug. 7. maj.; facta reduplicatione secundum se, aut aliæ simili,
nego maj.; & concessæ min. nego consequent.

7 Prædicata, quæ contingenter conveniunt sub-
jecto, huic adesse, aut abesse possunt, absque ipsius
destructione. Quare subjectum neque illa essentialiter
postulat, neque essentialiter excludit: ideoque natu-
ra secundum se, seu essentialiter, neque petit divisionem,
neque divisionem excludit; neque est divisa,
nec est non divisa; sed præcisè non est divisa, quia ab
utroque præscindit: Sicut Petrus secundum se, neque
est albus, neque est non albus; sed præcisè non est al-
bus, quia ab utroque præscindit ex se ipso, seu secun-
dum se.

8 Dices: Nulli rei sub quavis reduplicatione, &
in quacumque materia valet simul utrumque contra-
dictorium convenire: Ergò neque valet illi utrumque
deficere. *Resp. neg. conseq.* : Quia ex quo rei conveniat
aliquid prædicatum, optimum infertur sub quavis redu-
plicatione, & materia, quod illi tale prædicatum non
deficiat; consequenter, quod ipsi convenire simul non
possit carentia illius prædicati, quæ est ejusdem con-
tradicitorium: At vero, licet rei secundum se non con-
veniat aliquid prædicatum, non infertur, quod illius
careat.

carentia conveniat ipsi secundum se, cum possit ab utroque præscindere, ut patet exemplo num. 7.

9 Ad 2. illius consequentiae probat.; concessa mai., dist. min.: Caret divisione præcisivè, concedo min.; repugnanter, nego min.; & dist. consequens: Ergò est non divisa præcisivè, concedo conseq.; repugnanter, nego conseq. Non divisio est carentia divisionis; unde, modo, quo natura caret divisione, est non divisa: Cum autem divisione careat præcisivè, quia præscindit à divisione, vel non divisione; non vero repugnanter, quia non repugnat, eam esse pro alio statu divisam; ideo est non divisa præcisivè. Ad 3. dist. majorem: Valet consequentia in propositionibus absolutis, concedo maj.; in reduplicativis, facta reduplicatione secundum se, nego maj. Itaque non valet: *Aer secundum se non est lucidus: Ergo secundum se est non lucidus: Petrus essentialiter sumptus non est albus: Ergo essentialiter sumptus est non albus, &c.* Pariter in nostro casu.

10 Dices: A propositione affirmativa de prædicato finito ad negativam de prædicato infinito valet in reduplicativis; v. gr. *Petrus secundum se est homo: Ergo Petrus secundum se non est non homo:* Ergò valet etiam è contrà. Sed negamus conseq. Ratio est: Quia propositione affirmativa sub illâ reduplicatione dicit, prædicatum subjecto convenire essentialiter; negativa dicit, subjecto non convenire essentialiter carentiam prædicati. Ex quo autem prædicatum conveniat essentialiter subjecto, præcise infertur, ei non convenire illius carentiam: Ceterum ex quo aliquod prædicatum subjecto non conveniat essentialiter, non infertur, illi convenire essentialiter ejus carentiam; cum possit ab utroque præscindere.

11 ARGVES 2.: Licet habitus secundum se sit dif-
ficile

470 Liber II. Quæst. II. de Universalib. in comm.
ficiè mobilis à subjecto , potest per accidens in aliquo
statu esse facilè mobilis: Ergò , licet natura secundùm
ie sit una positivè non sequitur , quòd debeat esse una
in omni statu. Idem parificari potest in quantitate , quæ
ex se petit divisibilitatem , & tamen illam non petit
in minimo naturali Conf. : Vnitas est passio entis ; sed
natura secundùm se est ens positivum: Ergò est una
positivè. Conf. 2. : Id , quod multiplicatur , priùs erat
unum ; sed natura multiplicatur in inferioribus : Ergò
secundùm se erat una positivè.

12 Ad arg. resp. , dist. ant. : Potest per accidens
esse facilè mobilis actualiter , & ab extrinseco , conced.
ant. ; radicaliter , & ab intrinseco , nego ant. , & con-
seq. Habitui secundùm se non convenit præcise , quòd
sit actu difficultè mobilis , ita , ut nullatenus valeat fa-
cilè à subjecto dimoveri ; sed solum convenit radix
persistendi in subjecto , seu exigentia difficultis mobili-
tatis ab intrinseco convenientis ; cum quo optimè
componitur , quòd ab extrinseco sit facilè mobilis à
subjecto , quin illa exigentia ullo in statu deficiat habi-
tui. (5) Ad paritatem de quantitate dicimus , quantita-
tem secundum se petere divisibilitatem mathematicam , quæ illi non deficit , etiam in minimo naturali ;
non autem exigere divisibilitatem physicam , & natura-
lem , quæ potest ipsi aliquando deficere.

(5)
Vide Coll.
Ripen. ubi
supr. n. 58
& Palac.
ubi suprà

(6)
Palanco,
ubi suprà
Ripen. ubi
supr. n. 59
V. Coll. D.
Thom. q.
3. art. 5.
n. 249.

Divisibilitas mathematica consistit in eo , quòd
intellectus valeat in quantitate distinctas partes assigna-
re. Physica autem stat in eo , quòd agens naturale va-
leat unam partem ab alia separare. Primam petit quan-
titas secundum se ; sed illi neutiquam valet deficere.
Secunda potest illi deficere , quam proinde non postu-
lat secundum se. (6) Ad 1. Conf. dist. maj. : Vnitas est
passio entis completi , & existentis , concedo maj. : En-
tis præcisi ab existentiâ , nego maj. ; & sic distinctâ
min.;

Art. II. Vtr. natura secundum se sit natura, &c. 471
min. ; nego conseq. Sicut bonitas est passio entis, quin illi conveniat in omni statu , scilicet possibilisatis , & præcisionis ; ita unitas est passio entis sub statu solùm existentiæ , & actualitatis ; sicque non convenit naturæ secundum se. *Aut dici potest unitatem transcendentalem* , de qua in Metaphysica , esse proprietatem entis; secùs logicam unitatem.

14 *Ad 2. Conf. dist. mai.* : Priùs erat unum in re, nego mai. ; nostro concipiendi modo , concedo maj.; & concessà min. ; nego consequent. Quod in multis multiplicatur , concipitur à nobis, quasi fuisset unum; cum potius ea multiplicatio non fiat per realem aliquius naturæ partitionem, sed per plurimum naturarum similiūm productionem. *Adverte* , (7) quodd singularitas naturæ est accidens ipsius considerata secundum se, non verò , ut existentis in rerum naturâ ; propterea natura secundum se non præcedit realiter singularitatem , cum in statu reali non detur natura tantum secundum se: præcedit illam solùmmodo per rationem; sed indè nihil contra nos.

15 *ARGVES* 3. contra 2. Conclusionem : Natura materialis secundum se petit multiplicitatem : Ergò non est una negativè. *Prob. ant.* : Natura materialis ex sua natura est multiplicabilis ; sicut spiritualis est immultiplicabilis : Ergò. *Conf.* : Quod convenit naturæ secundum se , convenit illi in omni statu ; sed naturæ non convenit in omni statu unitas negativa, cum in statu contractionis sit multiplicata : Ergò. *Ad urg. dist. ant.* : Petit multiplicitatem habendam in statu secundum se , nego ant. ; habendam in statu contractionis , concedo ant. , & nego consequentiam. *Ad Conf.* , dist. maj. : Quod convenit positivè , concedo maj. ; quod convenit negativè , nego maj. Sed hæc , & alia , vide apud Colleg. Ripense hic à num. 66. & sequent.

(7)
*Vide Coll.
Ripen. ubi
sub. n. 65.*

AR.

ARTICVLVS III.

*Vtrum dentur Vniversalia in essendo ab Vniversalibus in
repræsentando distincta?*

1. — **E**rroneam prorsus supponimus opinionem Aeraccli, & Cratilli, negantium cuiuscumque generis Vniversalia, omniaque singularia esse, contingentia, & defectibilia, judicantium. Similis fuit Epicureorum opinio, qui (teste D. Thomæ, aut eo, qui fuerit Author opusculi 59.) nihil esse universale, dixerunt. *Horum autem opinio, quia improbabilis est manifeste, & contrà sensum, & intellectum omnem, non est necessarium eam refellere.* (1) Nominales autem, quamvis Vniversalia in repræsentando, quales sunt voces, & conceptus, admiserint; naturas autem universales in essendo negarunt.

2. Denique Recentiores Jesuitæ naturas statuerunt Vniversalies: Sed verò, ut consequenter procedant ad suam distinctionem ex parte actùs; asserunt, Vniversalie de formalí dicere cognitionem confusam omnium singularium sub aliquo conceptu communī, in quo conveniunt; de materiali verò importare omnia inferiora confusè cognita in ordine ad connatum, in quo conveniunt; v.gr. hoc Vniversalie *animal* constituunt de formalí per cognitionem *animal*, quā homo, & brutum confunduntur in ordine ad sensationem, in qua conveniunt; sed de materiali per ipsa inferiora confusè cognita. (2) Sed quām falsum tenet hæc opinio ex parte formæ Vniversalis, videbimus quest. sequenti. Nunc examinanda est, quatenus negat naturam universalem à singularibus objectivè præcisam, seu naturam universalem in essendo ex parte objecti,

(1)
Vide Div
Thom. op.
55. in prin
cipio.

(2)
Vide Serv
dis 6. cap.
1. n. 6. &
8.

Priz

Prima Conclusio.

3 DICIMVS 1.: Præter voces , & conceptus, universales quidem in repræsentando , dantur universalia in effendo. Hæc Conclusio est contra Nominales; expressa tamen Arist., (3) afferentis : *Quasdam res esse universales, & quasdam particulares.* Colligitur etiam ex D. Thomà, (4) ita definiente Vniversalē: *Quod pluribus inesse natum est.* Hæc autem definitio non de vocibus , aut conceptibus , sed de rebus conceptis verificatur , ut est evidens. Ratio conclusionis est: Quia objectum hujus conceptus, aut vocis *homo* est Vniversalē; sed non in repræsentando: Ergò in effendo. Prob. maj. : Illud objectum prædicatur de multis , & consequenter identificatur cum illis; ut patet, cum dicimus: *Petrus est homo : Paulus est homo ;* sed aliundè est unum per rationem , quatenus ab inferioribus abstrahitur: Ergò est unum in multis , atque adeò Vniversalē.

4 Conf. : Scientiæ sunt de Vniversalibus; sed plurimæ sunt scientiæ de rebus , & non de vocibus , aut conceptibus , ut patet in Physica , quæ est de ente naturali ; in Medicina, quæ est de corpore sanabili, &c.: Ergò. Major est indubia ; quia scientiæ sunt de necessariis : Cum autem singularia sint contingentia, & defectibilia ; debent esse de Vniversalibus. *Addē, S. Anselmum vocare (5) Dialeticæ hereticos, qui non, nisi statum vocis, putant esse universales substantias.*

Secunda Conclusio.

5 DICIMVS 2. : Datur Vniversalē in effendo ex parte objecti ab actu intellectus adæquate distinctum. Conclusio colligitur ex D. Thomà, (6) afferente : *Cognoscere aliquid in Vniversalī dicitur dupliciter: Vno modo ex parte rei cognitæ, ut scilicet cognoscatur solum Vniversalis natura rei, &c. : Ergò ex parte rei cogni-*

(3) Aristot. I:
Perbier.c.
5.
(4) D. Thom.
7. Metaph
lett. 13.

(5) S. Ansel.
lib. de In-
carnation.

Verbi, cap.
2. ad fin.

(6) D. Thom.
I. p. q. 55.
art. 3.

(7) *tx*, seu ex parte objecti datur natura rei Universalis; sed quod est ex parte objecti, adæquatè distinguitur à cognitione: Ergò. PROB. i. Conclusio: (7) Per hanc cognitionem *homo* repræsentatur ex parte objecti aliquid Vniversale; sed repræsentatum per illam cognitionem est à cognitione adæquatè distinctum: Ergò. Prob. min.: Per hanc cognitionem *homo* non repræsentantur immediate, adhuc confusè, omnia singularia: Ergò.

Vide Palac.
tr. 3. ques.
9. à n. 14.
M. Langa
lib. 3. q. 1.
artic. 4. à
2. 136.

6 Prob. ant.: Per illam cognitionem repræsentatur immediate aliquid adæquatè affirmabile de singulis hominibus; sed omnia singularia nequeunt adæquatè affirmari de singulis hominibus; alias istæ propositiones essent veræ: *Petrus est omnes homines*: *Paulus est omnia singularia naturæ humanae*; quod esset ridiculum: Ergò. Prob. maj.: Inadæquata prædicabilitas de inferioribus non sufficit ad rationem Vniversalis; alias Petrus, qui inadæquatè prædicatur de corpore, & anima, & Occeanum inadæquatè affirmabile de singulis aquæ guttis, essent universalia; sed repræsentatum per hanc cognitionem *homo* est natura Vniversalis: Ergò.

(8) Vide Pat.
Loffada tr.
2. disp. 2.
cap. 4. n.
32. ad fin.

7 Communis Recentiorum (8) solutio est: Quod, licet omnia singularia non possint prædicari de singulis hominibus adæquatè extensivè, & quoad numerum; benè verò adæquatè intensivè, & quoad essentiam. Vel: Quod possunt prædicari adæquatè ex parte actus, licet non adæquatè ex parte objecti, quod eodem reddit. Alii dicunt: (9) Per cognitionem *homo* repræsentari aliquid affirmabile de singulis hominibus inadæquatè tantum, & penes aliquam sui partem; nec amplius requirunt ad Vniversalē: Consequenter singularium collectionem penes aliquam partem de Petro prædicari, dicunt, ac de quolibet alio homine.

(9) P. Arriag.
disp. 6. Lo-
gicæ, sect.
6. subsect.
3. num. 3.

8—*Impugnatur* prima solutio: Si tota singularium collectio posset praedicari de singulari homine , v. gr. de Petro , adæquatè intensivè ; esset tota collectio adæquatè intensivè identificata cum Petro ; sed hoc est apertè falsum: Ergò. Maj. est certa ; quia nihil praedicatur de Petro , nisi realiter cum ipso identificetur. *Conf.* 1.: Perfectio intensiva, per vos , non distinguitur ex parte objecti à perfectione extensivæ ejusdem collectionis : Ergò , si illius perfectio intensiva esset praedicabilis de Petro , pariter perfectio extensiva. *Conf.* 2. : Denominatio *praedicabilis* de Petro non convenit soli naturæ Petri , sed cæteris etiam , cum quibus sit intentionaliter una: Ergò omnes, quoad numerum , & extensivè , prout sunt unum intentionaliter , praedicantur de Petro. Ant. patet ; quia denominatio *praedicabilis* convenit naturæ Vniversalí , qualis non est natura Petri se sola.

9—*Impugnatur* 2. eadem solutio : Hæc cognitio homo repræsentat immediatè aliquid praedicabile de Petro ; sed omnia singularia extensivè non possunt praedicari de Petro : Ergò non repræsentat illa extensivè sumpta. Nunc sic: Sed intensivè accepta non sunt multæ , sed unum ; aliæ plura realiter distincta praedicantur de Petro , & cum illo realiter identificarentur , quod repugnat ; quia , quæ sunt eadem uni tertio , sunt idem inter se: Ergò illa cognitio non plura , sed unum objectivè immediatè repræsentat.

10—*Impugnatur* secunda solutio : Hæc prædicatio: Petrus est homo , est vera ; sed , si illa cognitio homo repræsentaret aliquid de Petro affirmabile secundūm aliquam partem tantum , esset falsa: Ergò. Prob. min. : Ideo istæ sunt falsæ: *Anima est homo: Gutta aquæ Oceanum est Oceanum: Petrus est Omnis homo* , & aliæ hujusmodi , quia prædicatum solūm ex aliqua parte , & non secundūm se totum , convenit subjecto: Ergò. *Conf.*:

Si de Petro solùm prædicaretur aliqua pars significati hujus cognitionis *homo*, hæc propositio: *Petrus est homo*, redderet hunc sensum: *Petrus est homo Petri*, aut *Petrus est aliquis homo*; sed istæ propositiones non important Vniversalę ex parte prædicati, neque sunt superioris de inferiori, ut clarum est: Ergò pariter.

I I—*Aliter* respondet ad principale argumentum

(10)

P. Loffada (10) dicens, objectum significatum per hanc cognitionē *homo*, adæquatè prædicari de Petro, singulisque individuis naturæ humanæ, indeterminate, & vagè; licet determinatè solùmmodo prædicetur natura Petri, aut ea, quæ individuo, de quo prædicatur, correspondet; sensum itaque hujus propositionis: *Petrus est homo*, esse: *Petrus est quidam homo*, *aliquis homo*, *unus homo*, vel *unus ex hominibus*.

(11)

Idem ubi sup. à n. 16 assignat: (11) quia modus tendendi cognitionis, facientis Vniversalę, est infinitus, idest indeterminatus, atque adeò, saltem implicitè, & æquivalenter vagus, aut disjunctivus, aptusque ad suppositionem confusam, vel disjunctivam.

I 2—*Impugnatur* hæc solutio: Si cognitio indefinita *homo* æquivaleret huic: *Aliquis homo*, aut *Vnus homo*, illa non efficieret Vniversalę; sicut non efficit ista: *Aliquis homo*, aut *Vnus homo*, cum attingat naturam humanam, ut determinatam, & contractam in individuo vago; sed hoc est falsum: Ergò nulla est solutio. Nec dicas, (12) hanc cognitionem *aliquis homo* non efficere universale, quia exprimit ex parte actus divisionem objecti, quam non exprimit cognitio *homo*. Non enim obstat: *Tum*; quia, si *homo* idem non explicat, ac *aliquis homo*, huic cognitioni illa non æquivalet, ut prætendit solutio: Ergò, si prima cognitio æquivalet secundæ; aut secunda non explicat divisionem, aut explicat etiam primam.

Tum

(12)

Idem ubi sup. n. 23.

13—*Tum etiam; quia, si cognitio homo non explicat objecti divisionem, quam explicat hæc cognitio aliquis homo;* in hac propositione: *Petrus est homo, homo determinatè secundūm se totum, nedum indeterminatè, & vagè, prædicatur de Petro; sed contrarium asserit Adversariorum solutio:* Ergò. Prob maj.: Ideo in hac propositione: *Petrus est aliquis homo,* aut *aliquis ex hominibus prædicatur determinatè natura Petri, indeterminatè verò, & vagè natura omnium hominum,* quia hæc cognitio *aliquis homo* significat determinatè naturam Petri divisam, seu distinctam ex parte actus à cæterorum hominum naturis, cæteras verò hominum naturas solum indeterminatè; sed per vos hæc cognitio *homo* non explicat, nec significat naturā Petri divisivè ex partè actus à cæteris hominum naturis: Ergò dūm prædicat determinatè naturam Petri, omnes pariter prædicat hominum naturas.

14—Major fit perspicua eleganti ratione D. Thomæ: (13) *Terminus idem prædicat, quod significat: Ergò qualiter significat, taliter predicit. Modo: Iste terminus homo significat humanitatem absque omni participatione, & particulari ratione: Ergò sic prædicabit eam. Vrgetur: Cognitio homo prædicat de Petro, quod significat, & modo, quo significat, ut non obscurè coligitur ex D. Thomā; sed cognitio homo æquè, & absque ulla divisionis objectivæ explicatione, significat immediate omnium hominum naturas, ut prætenditis: Ergò æquè, & absque ullâ distinctione, prædicat de Petro naturas aliorum hominum, ac naturam ipsius Petri; quod repugnat.*

(13)
D. Thom.
opusc. 56.

15 PROB. 2. Conclusio: Præter Vniversalē in repreſentando, qualis est cognitio *homo*, admitti debet Vniversalē in effendo; sed in Adversariorum sententiā non datur Vniversalē in effendo: Ergò. Major constat

478 Lib. II. Ques. II. de Universalib. in communi.
stat ex dictis contra Nominales. Prob. min. : In Sententia Adversariorum solum datur cognitio confusa singularium , ipsaque singularia ; sed cognitio est tantum Universalis in representando ; ipsa vero singula- ria neutquam sunt Universale in essendo: Ergo. Prob. min. quoad secundam partem: Ea singularia non sunt unum, nisi in apparentia ; quatenus ex parte actus ap- parent quasi unum, ut Contrarii fatentur ; sed hoc non sufficit ad Universale in essendo : Ergo.

16 Prob. min.: Illa singularia eo modo sunt Uni- versalia , quo unum ; cum Universale sit : *Vnum in multis* ; sed sunt unum solum quoad apparentiam: Ergo sunt Universale solum quoad apparentiam ; non secus , ac homo pictus est homo solum quoad appa- rentiam. Conf. : Nominales admittebant cognitionem *homo* universalem in significando , quia multa signifi- cat , non clarè sed confusè ; sed negabant hoc ipso Universalia in essendo : Ergo id ipsum re verà faciunt Contrarii. (14)

(14)
Vide Palic

tr. 3. ques

9. n. 13.

(15) D. Thom. 17 — **A** RG 1.. D. Thomas assert(15) primò: *Quid opu. de En. non determinatum: Si enim animal non esset totum, quod est te, & Es- sentia. cap. pars ejus, non prædicaretur de eo; cum nullā pars integralis prædicetur de suo totū. Et alibi (16) 3. Genus prædicatur de specie: unde oportet, quod significet aliquo modo totum. Jam vides, conceptum genericum D. Thom. animal attingere totum, quod est homo, & eadem 7. Metap. ratione totum, quod est equus, & sic de ceteris; sed lect. 11. lit. E. eadem est ratio de quacumque cognitione Universalis: Ergo cognitio, faciens Universale, attingit imme- diatè omnia inferiora in confuso.*

Sez.

18—Secundò hæc docet idem Ang. Doct. (17) Vniversalis est unum in cognitione; quia licet plura, secundum quod plura, non constituant unum intellectum; tamen plura, secundum quod similia sunt, constituant unum intellectum: Et ideo intellectus apprehendit hominem, & asinum in quantum convenient in una operatione. scilicet sensitiva: Ergo juxta D. Thomam plura, secundum quod similia sunt, v. gr. homo, asinus, & alia animalia, ut convenient in ratione sensitiva, constituant unum objectum, seu unum intellectum per cognitionem facientem Vniversalis.

19—Ad primum resp.; quod quidquid est in specie, est etiam in genere, non quidem actu, sed potentia, ut denotat idem Doctor Angelicus verbis illis *ut non determinatum*; quatenus genus est in potentia, ut contrahatur ad speciem, sive continet quidquid continet species. Dicimus itidem, animal esse in potentia totum, quod est homo; non autem est pars integralis: at vero actu non est totum, quod est homo, sed est pars aliquomodo potentialis; quatenus est in potentia, ut contractum objectivè per rationale, hominem componat. Per quod patet solutio ad alteram authoritatem: Quia genus significat totum aliquo modo, nimirum potentialiter, seu in potentia. Si forte dicant, genus esse totum potentiale, & non partem; audiant D. Thomam, cuius est tota doctrina nostra.

20—Docet itaque D. Thomas: (18) Vniversalis magis commune comparatur ad minus commune, ut totum, & ut pars: Ut totum quidem, secundum quod in magis Vniversalis non solum continetur in potentia minus Vniversalis, sed etiam alia; ut sub animali non solum homo, sed etiam equus: Ut pars autem, secundum quod minus commune continet in sua ratione, non solum magis commune, sed etiam alia; ut homo non solum animal,

sed

(17)
D. Thom.
opusc. 56.

(18)
D. Thom.
1. p. q. 85.
ar. 3. ad 2.

sed etiam rationale. Ad secundam dicimus, quod plura, secundum quod similia sunt, constituunt unum intellectum, non quidem formaliter, sed fundamentaliter; quatenus similitudo plurium est fundamentalis, ut intellectus abstrahat rationem communem objectivam unam.

(19) 21 ARGVES 2.: (19) Objectum cognitionis homo est vera, & realis natura humana; sed non est natura Petri, aut alterius determinatae, cum haec non possit de omnibus praedicari, ut natura humana: Ergo est omnium natura, ac proinde cognitio illa terminatur ad omnes homines ex parte objecti. Conf. 1.: Conceptus homo attingit ex parte objecti fundamentum immediatum Universalitatis; sed hoc est plurium similitudo, seu plura, ut similia: Ergo. Conf. 2.: Conceptus homo illud objectum attingit, quod intentionaliter adunat, seu reddit unum; sed adunat multitudinem inferiorum: Ergo. Minor patet; quia id adunat, quod ante cognitionem erat divisum, & multiplex.

2.2 Ad arg. resp. dist. maj.: Est vera, & realis natura humana sumpta in statu reali contractionis, nego maj.; sumpta in statu objectivo, & præcisionis, concedo maj.; & pariter concessa minori, dist. consequens: Ergo est omnium natura objectivam unam, concedo consequent; objectivam multiplex, nego consequent. Cognitio homo attingit omnes quidem hominum naturas, ut inter se similes, sed hoc præstat speculativam, & signatam; practicam autem, & exercitatem eas per rationem identificat, facitque objectivam unam: Quia, sicut intellectus, dum adest fundamentum, realiter identificata objectivam distinguit; ita, stante fundamento, realiter distincta identificat objectivam.

23 Ad 1. Conf.: Dist. maj.: Attingit fundamentum Universalitatis speculativam, & signatam, concedo maj.;

P. Loffada
tr. 2. disp.
2. cap. 4. à
num. 10.

maj.; practicè, & exercitè, nego maj.; & concessà min.; dist. consequens eodem modo. Solutio ex dictis liquet. Ad 2. Conf., dist. maj.: Id attingit, quod practicè, & intrinsecè adunat, seu reddit objectivè unum, concedo maj.; quod speculativè, & extrinsecè tantùm adunat, seu reddit unum ex parte actus, nego maj.; & sic distinctà min., nego conseq. Cognitio enim, faciens Vniversalē, est practica, & artificiosa, non secūs, ac cognitio dicens: Petrus est homo: Sicut ergò cognitio ista practicè, & objectivè distinguit hominem à Petro; ita illa objectivè practicè adunat realiter distincta, eaque facit intrinsecè, & objectivè unum.

24. Dices: (20) Si cognitio *homo* hominum naturas identificaret objectivè, illa cognitio significaret unicam naturam de omnibus hominibus adæquatè prædicabilem; sed hoc repugnat: Ergò. Prob. min.: Objectum illius cognitionis nequit adæquatè identificari realiter cum singulis hominibus: Ergò nequit adæquatè de singulis prædicari. Conseq. patet; quia nihil est verè prædicabile de subjecto, nisi cum eo realiter identificetur. Prob. maj.: Objectum illud est natura humana, quæ realiter identificatur cum omnibus hominibus; sed quod realiter identificatur cum omnibus, nequit adæquatè cum singulis identificari: Ergò.

25. Vrgetur 1.: Si objectum cognitionis *homo* esset adæquatè prædicabile de Paulo, esset adæquatè separabile à Petro; sed cognitio præcisiva non inducit realem separationem eorum, quæ realiter identificantur: Ergò. Prob. maj.: Si objectum illud esset adæquatè prædicabile de Paulo, posset adæquatè identificari cum Paulo; sed Paulus est adæquatè separabilis realiter à Petro: Ergò. Vrgetur 2.: Ex hac doctrinā sequitur 1. legitimū esse hunc syllogismū: Petrus est homo; Paulus est homo; Ergò Petrus est Paulus: Me-

(20)
P.Loffada
ubi sup. à
num. 2.

dium enim, nempè homo perfectè distribuitur. Sequitur 2., sensum hujus propositionis: *Petrus est homo, esse: Petrus secum identificat naturam humanam, quæ à parte rei est natura Pauli; sed hæc omnia absurdia sunt:* Ergò.

26 *Ad inst., resp. nego min.; ad prob. dist. ant.: Adæquatione reali, concedo ant., adæquatione objectivâ, nego ant.; & dist. consequens eodem modo; Ad alteram, prob. dist. maj.: Est natura humana, quæ realiter identificatur, ut objectivè præcisa, concedo maj.; ut realiter identificata, nego majorem; & distinctâ min., ut suprà, nego conseq. Objectum cognitionis homo sunt omnes naturæ humanæ objectivè identificatæ, & factæ una præcisa objectivè ab omnibus individualibus. Dum autem prædicatur natura humana de Petro, hæc natura est realiter distincta à ceteris, sed eadem objectivè cum ipsis, quia in actuali prædicatione non amittit natura universalitatem.* (21)

(21)
Vide infra
quest. 3.
art. 3. à
prop. 2.

27 Itaque in hac prædicatione: *Petrus est homo, prædicatur de Petro natura humana, quæ realiter non est natura aliorum hominum, sed solius Petri; objectivè autem est eadem cum natura Pauli, aliorumque hominum; idèque prædicatur de Petro omnium hominum natura objectivè sumpta, licet non realiter accepta; proinde omnium hominum natura objectivè sumpta, quæ est objectum cognitionis homo, adæquatione objectivâ, licet non reali, prædicatur, & identificatur cum singulis hominibus. Nec dicas,* (22) quod plura nequeunt identificari cum uno tertio, quin identificantur inter se. Dicimus enim, plura realiter distincta non posse cum tertio realiter uno identificari; benè verò cum tertio uno per rationem, quin identificantur inter se.

(22)
Vide Lang
lib. 3. q. 1.
ar. 4. num
144. &
145.

28 *Ad 1. urg., dist. maj.: Si esset adæquatè prædica-*

Art. III. Vtr. dentur Universali in essendo, &c. 483
dicabile adæquatione reali, concedo maj.; adæquatione objectivâ, nego maj.; & concessâ min., nego conseq. Solutio ex dictis liquidò constat. *Ad 2. urg.* nego utramque sequellam: *Primam*; nam ille syllogismus idè non est rectus, quia medium in nulla ex præmissis distribuitur, cum in utrâque supponat determinatè: licet enim totum significatum hujus termini *homo* applicetur extremis ex parte modi prædicandi; non autem ex parte rei prædicatae, cum non applicetur cuilibet adæquatione reali: *Secundam* pariter negamus; sensus enim illius propositionis: *Petrus est homo*, hic est: *Petrus secum identificat realiter naturam humanam objectivè unam cum naturis aliorum hominum*, licet realiter diversam; & non aliud.

29. *ARGVES* 3.: Per hunc conceptum *homo* immediate significatur aliquid, potens existere à parte rei; sed nihil universale ex parte objecti potest existere à parte rei, sed sola singularia: Ergò. *Conf. 1.*: Terminus *homo* est terminus communis; sed terminus communis est, qui significat plura divisim: Ergò. *Conf. 2.*: Conceptus *animal* immediate significat animal; sed animal formaliter dicit omnes suas species, cum sit in eas divisibile, tamquam in suas partes: Ergò. *Vrgetur*: Objectum cognitionis *homo* est prædicabile de singulis hominibus. Ergò includit omnes hominum naturas.

30. *Ad arg. resp.*, dist. maj.: Aliquid potens existere à parte rei, quoad modum, quo significatur, nego maj.; quoad rem significatam, concedo maj. Licet enim res significata per vocem, seu conceptum *homo* possit existere à parte rei, non tamen sub modo præcisionis, quo significatur. *Ad 1. Conf. dist. min.*: Qui significat plura divisim immediate, nego min.; immediate, concedo min., & nego conseq. Terminus

communis non significat plura immediate, sed significat immediate rationem objectivè unam seorsim de pluribus affirmabilem. (23) *Ad 2. Conf.* concessà maj., nego min. Nec obstat subjuncta probatio: Quia animal non est divisibile in suas species, tamquam totum actuale in partes integrales, quas actualiter continet; sed, ut totum potentiale in partes subjectivas, quas continet in potentia, juxta dicta n. 19. & 20.

31 *Ad urg.*, concessò ant. in sensu explicato num. 26., dist. consequens: Includit omnes hominum naturas objectivè identificatas sub uno conceptu objectivo, concedo consequentiam; objectivè distinctas, nego consequent. *Dices*: Juxta hanc doctrinam Petrus, & Paulus non sunt unum realiter in ratione hominis, ut supponitur; sed neque sunt unum objectivè: Ergò nullo modo; quod est inauditum. Minor patet; quia ratio hominis objectivè est distincta à Petro, & Paulo. *Resp.*, neg. min.; ad ejus implicitam probationem resp., rationem hominis non posse adæquatè præscindì à Petro, & Paulo, sed solum à Petreitate, & Paulitate; sicut ratio animalis non ab homine, & bruto, sed à rationalitate, & irrationalitate præscindit adæquatè.

32 *Ratio est*: Quia Petrus adæquatè sumptus includit rationem hominis; si ergò à Petro præscindatur ratio hominis, non manet Petrus, sed sola ejus esseitas, seu Petreitas. Idem intellige de Paulo; & de homine, & bruto respectu animalis. *Vnde Præcisio Objectiva inter genus, & speciem, & inter speciem, & individua non est adæquata, & mutua*; sicut inter genus, & differentiam, & inter speciem, & individualitatem; sed tantum inadæquata, & non mutua.

QUÆSTIO III.

DE VNIVERSALI LOGICO, ET METAPHYSICO.

ARTICULUS I.

In quo consistat, & per quem actum fiat Vniversalē Metaphysicū?

1. **S**ypponimus, Vniversalē dividī in Metaphysicū, & Logicū. Vniversalē Metaphysicū est natura objectivē una, ab inferioribus abstracta. Vniversalē Logicū est natura ita una, & abstracta, ulterius respiciens inferiora, tamquam ea, in quibus potest esse, & de quibus valet prædicari. Inquirimus autem de actu, quo fit Vniversalē Metaphysicū, & de ejus formalī constitutivo; id ipsum de Logico articulo sequenti inquisituri. Constat enim ex dictis art. antecedenti, materiam Vniversalis non esse omnia singularia confusè cognita, sed naturam objectivē unam inferiorum omnium.

2. **J**am nota: Duplicem in nobis intellectum distingui: (an realiter, an formaliter suo loco videbimus) alterum Agentem, alterum Possibilem, seu Passibilem. Intellectus Agens est, qui intentionales objectorum species producit, eas ex phantasmatibus educendo; ideoque nominatur *Agens*. Intellectus Passibilis est, qui prædictas species recipit, adeoque *Possibilitas* dici.

486 Liber II. Quest. III. de Univ. Logico, & Metaph.
dicitur; & quia mediis speciebus est potens intelligere, *Possibilis* etiam appellatur. *Ex quibus colliges*, duplēcē dari abstractionem ab inferioribus: alteram intellectus agentis, quæ in productione speciei, repræsentantis naturam sine inferioribus, consistit; alteram intellectus possibilis, quæ stat in cognitione naturæ absque individuis. Quæ ulterius esse potest positiva, vel negativa, juxta dicta de objectivâ præcisione.

Prima Conclusio.

3. *DICIMVS* I.: Universale Metaphysicum non constituitur per cognitionem confusam orationum singularium, sed per unitatem objectivam rationis ipsi naturæ intrinsecam. Hæc conclusio ostendi potest omnibus argumentis, quibus probatum est, formam artefacti logici non esse cognitionem objectis extrinsecam, sed secundam intentionem rationis fictam; (1) cum enim Universale sit totum logicè artificiosum, ejus forma non potest non esse forma Logicæ. *Tum etiam*: quia, cum materia Universalis non sit confusa inferiorum agglomeratio; eorumdem cognitione non potest illius forma. Colligitur etiam Conclusio ex D. Thoma, (2) asserente: *Intentio Universalitatis sequitur modum cognoscendi, qui est per abstractionem*: Ergo non est abstractio ipsa, sed quid resultans, quod nequit non esse fictum.

(1)
Vide lib.
I. Log. q. 3
art. 2. &
3.

(2)
D. Thom.
I. p. q. 85.
sr. 3. ad 4

4. *PROB.* Conclusio ratione: Per illud constituitur formaliter Universale Metaphysicum, per quod natura constituitur formaliter una; sed non constituitur formaliter una per cognitionem, sed per unitatem rationis fictam: Ergo. *Prob. min.*: Cognitio, faciens naturam unam, est artificiosa, & practica, & quidem simpliciter juxta Adversarios; sed cognitio prædictæ artificiosa ponit in materia denominata formam arti;

Artic. I. In quo consistat Vniuers. Metaph. &c. 487
artificiosam à cognitione distinctam: Ergò. Min. patet: In eo quippe maximè differunt actio aliquomodo practica, & purè speculativa. *Conf.*: Cognitio homo non plus reddit unam naturam humanam, quam vox homo; sed vox nequit esse forma Vniversi: Ergò. Maj. patet à paritate; vox enim homo significat in confuso omnes homines, quos cognitio confusè repræsentat.

(3)

(3)

Secunda Conclusio.

2 DICIMVS 2.: Vniversalē Metaphysicūm non sit per abstractionem intellectūs agentis; sed per abstractionem, sive positivam, sive negativām, intellectūs passibilis. Prima pars Conclusionis patet ex D. Thomā, (4) afferente: *Animal potest intelligi absque homine, & homo absque Socrate, & aliis individuis, & hoc est abstrahere Vniversalē à particulari;* sed abstractio intellectūs agentis non est intellectio, cum hic intellectus non intelligat, sed tantū species producat: Ergò. *Conf.*: Vniversalē Metaphysicūm, cum habeat formaliter esse vi cognitionis actualis, non existit ante cognitionem, alias physicē, & à parte rei existeret; sed abstractio intellectūs agentis præcedit cognitionem, cum per illam producatur species, qua cognoscitur: Ergò.

6 Conf. 2.: Vniversalē Metaphysicūm est unum unitate rationis, & quidem ficta, ut ex dictis constat; sed per abstractionem intellectūs agentis non sit natura una unitate rationis: Ergò. *Prob. min.*: Vnitas rationis in naturā solū fit mediā actione, qua natura objicitur, seu cognoscitur absque inferioribus, ideoque rationis dicitur; sed abstractio intellectūs agentis non reddit naturam cognitam sine inferioribus, ut clarum est, quia hoc est munus intellectūs passibilis:

Ex 2

Pro aliis
vide Palā:
tr. 3. q. 10
n. 12. Q.
13.

(4)
D. Thom.
2. Physic.
lect. 3. līg.
E.

Ergò. Vrg. : Licet intellectus agens producat species repräsentativas animalis , & rationalis , quæ sunt partes definitionis objectivæ *Animal rationale* , non facit ideo definitionem istam. : Ergò pariter,

7 Secunda Conclusionis pars jam infertur ex dictis : Cum enim Universale Metaphysicum non fiat per abstractionem intellectus agentis , præcisè debet fieri per abstractionem intellectus passibilis. *Ratio autem est*: Quia Universale Metaphysicum est natura positivè una; sed per abstractionem, tam positivam, quam negativam intellectus passibilis , fit natura una positivè: Ergò. Prob. min. : Per actionem , quæ natura existit sine individuis , sive alias cognoscantur individua , aut secùs , fit una positivè; sed per utramque abstractionem intellectus passibilis existit objectivè natura sine individuis : Ergò. Minor patet ; quia abstractio positiva est , qua natura abstrahitur ab individuis , cognitis individuis ; negativa vero est illa , qua natura cognoscitur , non cognitis inferioribus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

(5)
V. P. Loff.
tr. I. Log.
disp. 2. cap
4. n. 34.

(6)
D. Thom.
opusc. 56.

8 ARGVES 1. (5) contra 1. Conclusionem : D. Thomas (6) expressè docet , quod: *Cognitio facit Universale esse in actu Universale , & est quoddam formale in Universali* : Ergò forma constitutiva Universalis est cognitio , & non unitas rationis ficta. *Si dicas*, D. Thomam solum velle , cognitionem effectivè facere Universale , & esse quid formale solum extrinsecum per modum signi ; non autem ipsum constituere, aut esse in ipso quid formale constitutivū. *Contra est* : Nam idem Doct. Ang. infrà subdit : *Cum dicatur , res subjecta intentioni predicatur ; non est intelligendum , quod res illa ita sit subjecta intentioni , quod*

Art. I. In quo consistat Vniv. Metaph. &c. 489
sit in ea, tamquam accidens in subjecto: Sicut subjectum
scientiae non dicitur hoc modo subjectum, ut scientia sit in
eo, tamquam in subjecto; sed in eo est, tamquam in ob-
jecto :: Et similiter res subjecta illi intentioni, non dici-
tur propriè subjecta, sed objecta.

9 Atqui intentio Vniversalitatis, cuius non est
subjectum, sed objectum, res, quæ prædicatur, est
cognitio; unitas enim facta subjectivè ponitur in na-
turâ à Thomistis: Ergò Conf. ex eodem D. Thoma
(7) alibi afferente: *Vniversalitas ipsa est in anima. &*
nullo modo in rebus; sed unitas facta est in rebus, cogni-
D. Thom.
tio vero in animâ: Ergò hæc, & non illa, est Vniver-
salitas, seu forma constitutiva Vniversalis. (7)
opusc. 55.

10 Ad arg. resp., approbando solutionem illam:
cognitio enim effectivè facit, Vniversalis esse in actu
Vniversalis, tribuens naturæ unitatem factam, quâ
constituitur formaliter una: Est itidem cognitio ipsa
quoddam formale in Vniversalis; non quia est for-
ma Vniversalis, sed quoniam Vniversalis formaliter
repræsentat, sicque est quoddam formale in repræsen-
tando, non vero in essendo. Ad inst. pariter dicimus,
D. Thomam loqui de intentione Vniversalis in re-
præsentando, qualis est cognitio; non de intentione
Vniversalis in essendo, quale est objectum: *Vnde in-*
tellectus est, qui facit Vniversalitatem in rebus; ut ap-
probat D. Thomas. (8)

11 Ad Conf., dist. ant.: Vniversalitas in repræ-
sentando, concedo ant.; Vniversalitas in essendo,
subdist.: Est in animâ objectivè, & nullo modo in re-
bus, ut physicè existentibus, concedo ant.; est in ani-
mâ subjectivè, & nullo modo in rebus objectis, nego
ant., & conseq. Neque alia est mens D. Thomæ, qui
in illis opusculis (sunto D. Thomæ; quod alibi (9) du-
bitavimus) præcipue commemorat Vniversalia in re-
bus. (9)
Vide lib. I
q. 3. art. I
n. 28.

490 Lib. II Quest. III. de Vniv. Logico & Metaph.
præsentando ; loquens , tum de cognitione , tum de
specie impressa , quæ extrinsecè , & effectivè denomi-
nat naturas Vniversales : Dum autem loquitur de
Vniversalí in esendo ; hæc admodùm diversa pro-
fert : Et quamvis ab ipsa anima recipiat rationem
universalis , non tamen est in ipsa secundum suam
essentiam , sed secundum suam similitudinem , & speciem.

(10)
D. Thom.
opusc. 55.

12 ARGVES 2. : Abstractio , quæ fit Vniversalē
Metaphysicum , est forma ipsius Vniversalis ; sed illa ab-
stractio est cognitio : Ergò. Prob. maj. ex D. Thoma,

(11)
D. Thom.
1.p. quæs.
85.art.2.
ad 2.

(11) afferente: Cum dicitur Vniversalē abstractum , duo
intelliguntur , scilicet ipsa natura rei , & abstractio , seu
Vniversalitas ; sed Vniversalitas est forma Vniversalis:
Ergò. Conf.: Denominatio Vniversalis est extrinseca:
Tum , quia provenit ab actu intellectus naturæ extrin-
secò : Tum etiam , quia naturam esse metaphysicè
Vniversalē , est esse unam objectivè , ex eo , quod
cognoscatur natura sine inferioribus ; sed cognoscit
naturam , est extrinseca denominatio : Ergò forma ,
denominans Vniversalē , non est intrinseca rationis
unitas , sed extrinseca intellectus cognitio.

13 Ad arg. resp. , explicando D. Thomam , quā
dum innuit , abstractionem esse Vniversalitatem , non
loquitur de abstractione activa , quæ est actus intelle-
ctus ; sed de passiva , quæ stat in unitate rationis. Ad
Conf. , nego ant. : Nec obstat ejus prima probatio: Li-
cet enim Vniversalitatis denominatio effectivè prove-
niat ab actu intellectus ; formaliter provenit ab uni-
tate rationis naturæ objectivè intrinsecā. Nec obstat
probatio secunda; quia naturam esse metaphysicè uni-
versalem effectivè , & in fieri , est esse abstractam ; es-
se autem Vniversalē formaliter , & in facto esse , est
eam esse unam objectivè , & per rationem. Cætera ,

quæ-

Art. I In quo consistat Vniuersitatis Metaphysica. 491
quæ fieri possunt, argumenta, ex dictis de objecto
Logicæ facilè solvuntur.

14 ARGVSES 3. contra 1. partem secundæ Conclusionis: D. Thomas (12) docet, naturam universalem fieri per actionem intellectus, depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc. Et alibi: (13) Intellectus agens causat Universale, abstrahendo à materia. Resp., D. Thomam utrobique loqui de Universali in representando, nimirum de specie impressâ, quam efficit intellectus agens per depurationem à conditionibus individualibus, & abstractionem à materia; non autem de Universali in essendo. Vel, si maius, explico S. Doctorem: (14) Fit natura Universalis per depurationem, aut abstractionem intellectus agentis, formaliter, & in actu secundo, nego antec.; initiativè, & in actu primo, concedo antec., & nego consequentiam.

15 Intellectus agens producit speciem impressam spiritualem, consequenter depuratam à materia, & determinativam intellectus passibilis ad cognoscendam naturam sine singularibus, eamque faciendam formaliter Universalem: Ideo productio illius speciei facit Universale initiativè tantum, & in actu primò: in actu verò secundo fit per abstractionem intellectus passibilis. Dices: Ideo per abstractionem intellectus passibilis fit in actu secundo natura metaphysicè Universalis, quia per illam representatur natura sine individuis; sed per speciem productam, medià abstractione intellectus passibilis, representatur etiam natura sine individuis: Ergo.

16 Ad inst., dist. maj.: Quia representatur natura sine individuis utcumque, nego maj.; quia representatur in actu secundo, concedo maj.: Et dist. min.: Per speciem impressam representatur in actu

(12)
D. Thom.
opusc. 55.

(13)
D. Thom.
1.p.q.79.
art.5. ad
2.

(14)
Vide Palac.
tr. 3. q. 10
num. 14.

492 Liber II. Quæst. III. de Vniv. Logico, & Metaph.
primo, concedo min.; in actu secundo, nego min., &
conseq. Per abstractionem intellectus passibilis repræ-
sentatur natura sine inferioribus in actu secundo, cùm
per illam ejusdem naturæ abstractæ species expressa
producatur; per abstractionem verò intellectus passi-
bilis, cum tantum species impressa, quæ objectum so-
lùm in actu primo reddit intellectum, producatur, so-
lùm in actu primo repræsentatur natura sine inferio-
ribus: Ideo per hanc abstractionem fit Vniversale in
actu primo; per illam in actu secundo.

(15)
Vide Irr.
lib. 3. q. 2.
art. 1. arg
1. §. Insta-
bis.

17 *RepliC.* : (15) Species impressa, vi abstractionis
intellectus agentis producta, actualiter, & exercitè re-
præsentat naturam sine individuis: Ergò per speciem
impressam in actu secundo repræsentatur natura abs-
que individuis. Ant. patet, species enim impressa, ne-
dum repræsentare valet, sed exercitè, & actu repræ-
sentat. *ResP.*, dist. ant.: Actualiter, & exercitè re-
præsentat naturam, ut intelligibilem, concedo ant.;
ut intellectam, nego ant., & conseq. Species impressa
actu repræsentat naturam, ut intelligibilem, quam
proinde intellectui proportionat, ut in actu secundo
cognoscatur; non autem repræsentat ipsam, ut intel-
lectam, neque cognitam denominat, prout requiri-
tur ad Vniversale Metaphysicum, quod est unum uni-
tate cognitionis, practicè fингentis.

18 *ARGVES* 4. contra secundam partem secundæ
Conclusionis: Per abstractionem intellectus passibilis
non fit natura positivè una: Ergò. *Prob.* ant.: Per ab-
stractionem negativam solùm attingitur natura secun-
dum se; sed natura secundum se non est una positivè:
Ergó. *Maj.* patet; quia per illam abstractionem solùm
attinguntur prædicata specifica naturæ. *ResP.*, neg.
ant.; ad prob. dist. maj.: Solùm attingitur natura se-
cundum se, signatè, & speculativè, concedo maj.;

pra-

Art. I. In quo consistat Vniv. Metaph. &c. 493
practicè , & exercitè , nego maj. ; & concessa min.;
neg. conseq.

19 Abstractio negativa intellectus passibilis attin-
git naturam secundùm se , eam reducendo ad statum
abstractionis , illique tribuendo statum unitatis positi-
væ rationis: consequenter, licet speculative , & signa-
tè attingat naturam secundùm se; exercitè verò attin-
git , seu ponit rationis unitatem , qua natura illa sit
una positivè. Sicut actio dealbans parietem , signatè,
& ut quod, attingit parietem ; exercitè verò attingit al-
bedinem de novo unitam parieti. Dices : Eo modo
natura est una , quo divisa est à multiplicitate diffe-
rentiarum , seu inferiorum ; sed per abstractionem ne-
gativam negativè tantùm est ab inferioribus divisa,
seu abstracta: Ergò est tantùm negativè una.

20 Resp. (16) dist. maj. : Quo est divisa ex parte
sui , concedo maj. ; quo est divisa ex parte inferiorum ,
nego mai. ; & sic distinctà min. , nego conse-
quent. Divisio , seu abstractio negativa naturæ ab in-
ferioribus , dicitur *negativa* ex parte inferiorum , non
ex parte naturæ ; hæc enim redditur positivè divisa , &
abstracta. Abstractio itaque , divisio , seu distinctio di-
citur negativa ex parte extremi non participantis præ-
dicatum positivum , ratione cuius non sit alterum ex-
tremum : (17) Cum autem natura præcisa habeat exi-
stentiām objectivam , quam non habent inferiora , è
quibus abstractur negativè ; ideo hæc abstractio , li-
cet negativa ex parte inferiorum , est positiva ex par-
te naturæ , quam proinde practicè , & exercitè reddit
positivè unam.

21 In fine jam *colliges* , Vniversale Metaphysi-
cum esse concretum accidentale rationis , cuius ma-
teria est natura ab inferioribus abstracta , cuius forma
est rationis unitas positiva per abstractionem intelle-

(16)
Vide Palac
ubi sup.n.
21.

(17)
Vide, que
diximus
lib. 3. ques.
1. ar. 1. n.
4. & lib. 2
q. 2. art. 3
num. 8.

ctus-

494 Lib. II. Quæst. III. de Vniv. Logico, & Metaph.
etius passibilis efficta. Colliges secundò; Vniversale Logicum fundari supra Vniversale Metaphysicum: quapropter, si Vniversali Metaphysico addatur relatio rationis ad inferiora, tamquam ad ea, in quibus potest existere, sit logicè universale; de quo articulo sequenti. Pro aliis solvendis vide M. Palanc. ubi sup. à num. 22.

ARTICVLVS II.

In quo consistat, & per quem actum fiat Vniversale Logicum?

1 **P**Ræter cognitionem abstractivam naturæ, quæ cognitio absoluta dici solet, & quam articulo antecedenti explicavimus, versari solet circa naturam Vniversalem cognitione comparativa; illa nimirum, quæ naturam ab inferioribus abstractam iterum comparat ad inferiora, tamquam ad ea, in quibus valet existere, aut de quibus valet prædicari. Est autem comparatio duplex, altera simplex, altera composita. Prima est cognitione, qua natura comparatur ad inferiora, ut ad ea, in quibus valet esse: Secunda est cognitione comparans naturam ad inferiora, ut ad ea, in quibus existit, & de quibus prædicatur. Nunc inquirimus, in quo consistat, & per quemnam ex dictis actibus fiat Vniversale Logicum?

Prima Conclusio.

2 **DICIMVS** 1.: Vniversale Logicum non constituitur formaliter per actum intellectus, quo producitur; sed per relationem rationis objectivam ad inferiora. Primæ pars Conclusionis patet: Quia forma Vniversalis Logici debet esse forma logicalis, ut est certum;

sed

Art. II. In quo consistat Universale Logicum 495
sed forma logicalis non consistit in actibus intellectus,
ut ex dictis de objecto Logicæ abundè constat : Ergò.
Secunda pars est expressa D. Thomæ (1) afferentis:
Aliquando verò respectus significatus per ea, que dicuntur ad aliquid est tantum in ipsa apprehensione rationis, conferentis unum alteri ; & tunc est relatio rationis tantum : Sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus. Vide D. Thom. loco citato in *respon.*
ad 4. (2)

(1)
D. Thom.
I.p.q. 28.
art. 1.

3 PROB. Conclusio ratione : Universale formaliter, ut tale, constitui debet per respectum, seu relationem ad inferiora ; sed hic respectus est rationis objectivus : Ergò. Maj. , & infertur ex Universalis definitione ab omnibus recepta , & patet : Quia Universale , quippe superius , debet per ordinem ad inferiora constitui ; imò nec à Metaphysico distinguitur, nisi per respectum ad multa. Prob. min. : Respectus inter extrema realiter indistincta nequit esse realis, sed rationis ; sed Universale , & particulare non distinguuntur realiter : Ergò. Maj. est certa ; quia relatio realis petit extrema realiter distincta. Nec dicas , respectum illum esse realem intentionalem. Nam hæc , & aliæ Contrariorum solutiones facile ex dictis (3) convelluntur.

(2)
Vide lib. 5.
quest. 3.
art. 3.n.2

Secunda Conclusio.

4 DIGIMVS 2. : Universale Logicum non sit per actum absolutum, sed per actum comparativum. Conclusio est apud Thomistas communis , si aliquem (4) excipias , & expressa D. Thomæ, (5) afferentis: Intellectus adinvenit intentiones generis, & speciei, considerando ordinem ejus, quod est in intellectu, ad res ad extra. Sed actus , qui ordinem considerat, est comparativus, & ordinativus , non autem absolutus : Ergò. Id ipsum adhuc expressius (6) docet : *Eius autem universali-*

(3)
Vide lib. 5.
quest. 3.
art. 3.a.n.
3.

(4)
Coll. Rip.
lib. 6.dub.
6. Conf. 3

(5)
D. Thom.
quest. 7.
de pot. art
11.

(6)
D. Thom.
opusc. 55.

496 Lib. II. Quæst. III. de Vniv. Logico, & Metaph.
litas non est ex hoc, quod est in anima; sed ex hoc, quod
comparatur ad multa; sed esse in anima habet per
actum absolutum, comparari verò ad multa per actum
comparativum: Ergò.

(7) 5 PROB. Conclusio ratione: (7) Per actum absolu-
Vide Palac tum, quo cognoscitur natura ab inferioribus abstracta,
tr. 3. q. 11 solum fit natura una præcisa ab inferioribus; sed na-
& num. 3. turam una, & præcisa ab inferioribus non est logicè
universalis, nisi comparetur ad plura: Ergò. Prob.
min.: Illa natura una, sic præcisa, est indifferens, ut
fiat logicè universalis, aut particularis: Ergò. Ant.
patet; quia natura humana, abstracta ab individuis,
est indifferens, ut comparetur ad animal, sicque est
logicè particularis; vel ad Petrum, & Paulum, & sic
erit logicè Universalis. Pariter color abstractus est in-
differens, ut comparetur ad album, & nigrum, & sic
est genus; vel ad Petrum, & Paulum, sicque est acci-
dens commune.

(8) 6 Resp. Contrarii: (8) quod, quando natura com-
Coll. Rip. paratur ad genus, vel ad inferiora, jam supponitur
ubi suprà in illa respectus ad utrumque. *Contra:* Per actum, com-
n. 46. parantem naturam ad inferiora, fit respectus ad infe-
riora: Ergò ille actus non supponit respectum. Prob.
ant.: Per illum actum fit respectus ad inferiora, per
quem respectus ille practicè, & exercitè cognoscitur;
sed per actum comparantem naturam ad inferiora pra-
cticè, & exercitè cognoscitur respectus ad inferiora:
Ergò. Major patet; quia respectus ille, cum sit ra-
tionis, fit, dum practicè cognoscitur. Prob. min.: Per
actus, abstractentem naturam ab inferioribus, practi-
cè, & exercitè cognoscitur unitas naturæ à multis;
Ergò pariter.

7—Vrgetur: Per abstractionem naturæ à multis
signatè, & speculatiè cognoscitur natura, & multitu-
do;

do, practice vero, & exercitè cognoscitur unitas, & relatio ad multa, ut ad ea, à quibus est abstracta: Ergò pariter per comparationem naturæ ad plura signatè, & speculativè cognoscitur natura, & multitudo; practice verò, & exercitè cognoscitur relatio ad multa, ut ad ea, in quibus potest esse. *Vrgetur 2.* : Per actum, quo natura declinat à multis, nullo modo cognoscitur inclinatio naturæ ad multa; sed per actum abstractivum naturæ hæc declinat à multis: Ergò per illum actum non attingitur ullo modo inclinatio, seu ordo naturæ ad multa.

8—Vrgetur 3. : Per actum, quo non cognoscuntur multa, non attingitur, nec sit, adhuc exercitè, ordo naturæ ad multa; sed per actum abstractivum quandoque non cognoscuntur multa: Ergò. *Prob. minor.*: Actus, quo natura abstractitur ab inferioribus, persépe est abstractio negativa ex parte inferiorum; sed per abstractionem negativam non attinguntur inferiora; in eo quippe differt à positiva. Ergò. *Addit.* quod, licet per actum abstractivum attingatur natura, ut una, ac non repugnans esse in multis, hæc non repugnantia solum illam constituit negativè logicè universalem; non positivè.

Tertia Conclusio.

9 DICIMVS 3. : Universale Logicum fit per simplicem comparationem, non autem per comparationem compositam. *Ratio primæ partis est*: Quia Universale Logicum, cum sit: *Vnum potens esse in multis;* per illam actionem fit, quâ ordinatur ad multa; sed per simplicem comparationem natura ordinatur intentionaliter ad multa, ut ad ea, in quibus potest esse: Ergò. *Ratio secundæ partis est*; quia per comparationem compositam natura actualiter prædicatur de

Reg

multis;

498 Lib. II. Quest. III. de Univ. Logico, & Metaph.
multis: Ergo supponitur natura, ut potens praedica-
ri, quia actus supponit potentiam; sed posse praedica-
ti supponit potentiam, seu aptitudinem ad esse in in-
ferioribus, in qua stat Universale: Ergo comparatio
composita supponit factum Universale.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

(9)

Vide Palat.
tr. 3. q. 11
a n. 36. &
sequent.

10 RGVES 1. contra 1. Conclusionem: (9)

A Universale nequit constitui per aliquid singulare; sed relatio naturæ ad plura est singularis: Ergo. Conf. 1.: Universale est praedicabile de inferioribus; sed relatio rationis non est de inferioribus praedicabilis: Ergo. Conf. 2.: Natura antè, quam respiciat plura, est apta ad essendum in illis; ideo enim plura respicit; quia apta est, ut sit in ipsis: Ergo antè, quam respiciat plura, est Universalis: Conf. 3.: Intellectus sive actus constituitur formaliter referens naturam ad inferiora: Ergo eodem actu constituitur natura relata.

11 Ad arg. resp., dist. maj.: Per aliquid singula-
re tam, ut quo, quam, ut quod, concedo maj.; per
aliquid singulare, ut quod, & universale, ut quo, ne-
go maj. Licet enim relatio in se ipsa, & ut quod sit
singularis; applicata naturæ, non illam reddit singula-
rem, sed universalem: Sicut anima rationalis, licet,
ut quod sit spiritualis, ut quo tamen est corporea, at-
que adeò constituit corpus. Ad 1. Conf., dist. maj.:
Universale quoad substratum, seu de materiali, con-
cedo maj.; quoad formam, seu de formali, nego
maj.: Sicut praedicatum non praedicatur de subjecto,
quoad formam, sed de materiali.

12 Ad 2. Conf. dist. ant.: Est apta aptitudine po-
sitiva, nego ant.; aptitudine negativa, concedo ant.,
nego.

nego conseq. Natura enim ante respectum rationis est mere non repugnans esse in multis; non autem est positivè potens esse in illis: Vnde, ideo formaliter natura respicit plura, quia est positivè apta, media relatione rationis, ad essendum in illis; ideo autem fundamentaliter, & negativè respicit, quia est negativè apta, ad essendum in inferioribus. *Ad 3. Conf.*, nego ant.: Intellectus enim non formaliter, sed effectivè solum refert naturam ad inferiora. (10)

13 ARGVSE 2. contra secundam Conclusionem: *Vide atten-*
(11) Natura objectivè abstracta ab inferioribus habet tē lib. 1. q.
quidquid requiritur ad rationem Universalis logici: 3 art. 2.d
Ergò sit per absolutam abstractionem. *Prob. ant. 1.* num. 11.
Si natura sic abstracta posset poni à parte rei, (11) *esset à*
parte rei formaliter logicè Universalis: Ergò. *Prob. 2.* *Coll. Rip.*
idem ant. Quidquid requiritur ad rationem Universalis lib. 6. dub.
logici est unitas objectiva, & aptitudo ad essen- 6. à n. 35.
dum in multis; sed natura ab inferioribus abstracta,
vi abstractionis habet objectivam unitatem, & aptitu-
dinem ad esse in multis: Ergò. *Prob. min., quoad se-*
cundam partem: Per abstractionem sit objectivè una,
nendum quoad entitatem, sed etiam quoad aptitudi-
nem ad esse in multis: Ergò.

14 Prob. ant. Singulæ naturæ à parte rei habent
suas aptitudines ad esse in suo inferiori respectivè, in-
distinctas quidem ab ipsarum entitatibus; sed illæ na-
turæ, quæ à parte rei sunt multæ, sunt objectivè una
vi abstractionis: Ergò illæ aptitudines, quæ à parte rei
sunt multæ, sunt objectivè, vi abstractionis, una apti-
tudo ad esse in multis. *Conf. Licet respectus rationis*
non possit directè, & signatè cognosci, nisi per actionem
comparativam; falsum tamen est, eum non posse fieri,
nisi per actionem comparantem: Ergò. *Prob.*
ant. Intentiones logicales non sunt cum signatè, &

500 Liber II. Quæst. III. de Vniv. Logico, & Metaph.
directè cognoscuntur, sed quando exercitè, & per re-
(12) sultantiam fabricantur: (12) Ergò.

Vide, que
diximus
lib. 1. q. 3.
& 3. n. 39.
& 40.
Et lib. 2.
q. 1. art. 1.
n. 5. & 6.
(13)
Vide Palac
tract. 3. q.
1. n. 8.

15 Ad arg. resp. neg. ant. Ad primam ejus prob. permisso anteced. nego conseq.: Quia, si à parte rei esset natura ab inferioribus abstracta, esset natura realiter una, atque ex sua natura haberet realem respectum ad plura absque novâ actione: At verò, ex qua natura sit objectivè abstracta, sit una solùm per rationem; sed non habet relationem rationis ad plura, quin ad ipsa novâ actione comparetur. Et ratio est: (13) Quia, licet relatio realis, posito fundamento, resultet absque novâ actione; non autem relatio rationis: quia, cum hæc tantum existat, dum actu, & practicè cognoscitur; optimè potest existere fundatum, quin existat relatio, si practicè non cognoscatur, ut non cognoscitur per actum absolutum, & abstractivum.

16 Ad 2. illius ant. prob., concessà maj.; nego min. quoad secundam partem; ad hujus probationem dist. ant.: Per abstractionem natura fit objectivè una, quoad entitatem, & quoad aptitudinem physicam, & fundamentalem, concedo ant.; quoad aptitudinem logicam, & formalem, nego ant., & conseq. Aptitudines enim, quas habent naturæ à parte rei secundum identificatas, sunt physice, & fundamentales: Cum itaque omnes naturæ vi abstractionis fiant objectivè una; pariter aptitudines illæ fiant objectivè una aptitudo, sed fundamentalis tantum; consequenter natura vi abstractionis habet aptitudinem proximè fundamentalem ad esse in multis: Ceterum, ut sit logicè universalis, ulterius requiritur aptitudo formalis, quam natura non habet sine comparatione ad plura; cum ea sit relatio rationis ad ista.

17 Ad Conf., nego ant.; ad prob. concessò ante-
cedent.

Art. II. In quo consistat Universale Logicum? 501
cedenti , nego conseq. Actio enim , qua natura com-
paratur ad inferiora, non attingit signatè, & est ut quòd
relationem rationis ad plura, sed tantum naturam di-
stinctam objectivè ab inferioribus , ipsaque inferiora:
Quia tamen attingit naturam sub unitate positivà prä-
supposità cum fundamentali aptitudine ad plura , co-
gnoscit naturam , quasi subiectum aptitudinis ; & in-
feriora , tamquam terminum : Vnde fit , ut practicè,
exercitè , & per resultantiam attingat formalem na-
turæ relationem ad plura. Objectum igitur signatum
comparationis ad plura est natura , ut positivè una,
fundamentaliter respiciens plura ; objectum exerci-
tum est relatio rationis.

18 *ARGVES* 3. : (14) Simplex abstractio absoluta
plenè format Universale metaphysicum , ut ex arti-
culo antecedenti constat : Ergò etiam logicum. *Prob.*
Conseq. 1.: Universalitas logica est proprietas Universali-
s metaphysici ; sed eadem actione , qua Essentia ,
producuntur proprietates : Ergò. *Prob.* 2.: (15) Quod-
libet Universale èò präcisè , quòd sit metaphysicum ,
non solum est natura abstracta , & positivè una , sed
etiam definibilis , prädicabilis , & demonstrabilis ; sed
hoc ipso est Universale logicum : Ergò. *Vrg.* : Cogni-
tio comparativa repræsentat naturam , ut communem
pluribus : Ergò est cognitio reflexa attingens directè ,
& signatè logicam naturæ communitatem , consequen-
ter illam in natura supponit , non efficit.

19 *Ad arg.* , concessò antec. , nego conseq. *Ad*
primam ejus prob. : dist. maj. : Universalitas logica
fundamentalis , & negativa , concedo maj. ; formalis ,
& positiva , nego mai. ; & concessò min. , nego con-
seq. Universalitas logica negativa , & fundamentalis
consistit in positivà naturæ capacitate , ut referatur ad
plura ; formalis vero in relatione , qua de facto ad
plu-

(14)
P. Loffada
tr. 2. disp.
2. cap. 6. à
num. 6. &
sequent.

(15)
Coll. Rip.
ubi suprà
num. 40. à

502 Lib. II. Quest. III. de Univ. Logico, & Metaph.
plura refertur: Prima est proprietas Universalis metaphysici, non verò secunda, quæ de novo fit ab intellectu. Ad 2. ejusdem conseq. prob. dist. mai.: Est definibilis, prædicabilis, & demonstrabilis, fundamentaliter concedo mai.; formaliter subdist.: Per secundas intentiones logicas, conc. mai.; sine illis, nego mai.

20 Etsi natura quælibet ex sua essentia metaphysica, nedum ex Universalitate metaphysica, sit fundamentaliter subjicibilis, prædicabilis, demonstrabilis, ac definibilis; formaliter tamen fit subjicibilis, prædicabilis, demonstrabilis, ac definibilis,

(16) D. Thom. opusc. 55. & 1. p. q. per secundas intentiones objectivas subjicibilitatis, 85. art. 2. ad 2. Opus ex se ipso est fundamentaliter prædicabile, ac per 42. cap. 5. consequens fundamentaliter logicè Universale; secùs & 2 phys. formaliter. Ad urgen. dist. ant.: Cognitio comparati- lect. 3. & Opus. 48. va practica, & directa, nego maj.; speculativa, & re- flexa, quæ non comparatur natura, sed cognoscitur, cap. 1. & seu definiatur, ut comparata, & universalis, concedo q. 7. de pos. ant., & nego conseq.

ar. 9 apud Coll. Rip. ubi supr. à num. 26. 21—Ut aliquas D. Thomæ authoritates (16) faciliè intelligas, adverte 1.: quod, quando D. Thomas docet, Universale fieri per abstractionem, aut ad eam consequi universalitatem, loquitur de Universali metaphysico; non de logico. Adverte 2.: Actionem comparativam, quæ fit Universale logicum, esse reflexam respectu Universalitatis metaphysicæ; directam tamen, & practicam respectu Universalitatis logicæ: Primam supponit factam; secundam efficit. Adverte 3., Universalitatem logicam sequi ad abstractionem, non immediate, sed mediata, media scilicet actione comparativâ. (17)

(17) Pro aliis solvendis vide Pal. tr. 3. q. 11 & n. 10. & Langa, lib. 3. q. 2. art 1. à num. 220. 22 ARGVES 4. contra 3. Conclusionem: Universale logicum fit per actum, quo cognoscitur natura.

Art. II. In quo consistat Universale Logicum? 503
tit una in multis; sed hujusmodi cognitio est compa-
ratio composita: Ergo. Minor patet; quia cognitio
attingit identitatem naturae cum multis; quod pro-
prium est judicij. *Conf. 1.*: Per simplicem appre-
hensionem nequeunt simul cognosci natura, & inferiora:
Ergo nequit cognosci natura comparativè ad inferio-
ra. *Conf. 2.*: Per comparationem compositam cognosci-
tur natura, ut una in multis. Ergo.

23 *Ad arg.*, dist. mai. : Per actum, quo cognoscitur natura una, ut actu in multis, nego maj.; ut potens esse in multis, concedo maj.: Primum fit per comparationem compositam; sed id supponit factum Universale logicum: secundum fit per simplicem comparationem. *Ad 1. Conf.*, dist. ant. : Nequeunt cognosci in recto, concedo ant.; natura in recto, & inferiora in obliquo, nego antec., & conseq. Sufficit enim ad fieri Universalis logici, cognosci naturam comparativè ad inferiora, ut contingit per simplicem apprehensionem, seu comparationem, licet non per simplicissimam. *Ad 2. Conf.*, dist. ant. : Cognoscitur speculativè, & reflexè, concedo ant.; practicè, & directè, nego ant., & conseq. Per comparationem compositam cognoscitur, naturam comparatam fuisse ad inferiora per simplicem comparationem. (18)

(18)

Vide Palat.
tr. 3. q. 11
à num. 15
ad 19.

ARTICVLVS III.

*Verum in actuali predicatione servetur, an destruatur
Universale?*

I **V**T certum supponimus, actualem prædi-
cationem non efficere Universale, ut ex
dictis articulo antecedenti constat. Inquirimus autem
utrum natura Universalis, dum actu prædicatur de
subje-

504 Lib. II. Quest. III. de Vniu. Logico, & Metaph.
subjecto inferiori, amittat Universalitatem, quam ali-
unde habebat supra subjectum, de quo prædicatur;
v.gr. natura humana, dum prædicatur de Petro in
hac prædicatione: *Petrus est homo*; aut natura anima-
lis, cum dicitur de homine in hac propositione: *He-
mo est animal*. Quòd si natura Universalis de subjecto
æquali prædicetur, citrè dubium servat universalita-
tem; ut si dicas: *Animal est sensitivum*.

Nostra Conclusio.

2 Dicimus: Natura universalis, dum actu prædi-
catur de subjecto inferiori, servat universalitatem;
consequenter actualis prædicatio, etsi non efficiat, non
destruit Universale. Ita expressè D. Thomas: (1) Si
D. Thom.
op. 42. c. 9
autem confederetur hæc natura, ut substracta intentioni,
vel propter uniformitatem, quam accipit ab anima; sic
erit in plus, & communius, quam subjectum, de quo
prædicatur; quia à parte prædicati servatur uniformi-
tas illa, non autem à parte subjecti; & sic non plurifi-
catur prædicatum ad multiplicationem subjectorum; imo
manet unum de multis prædicatum. Quibus nihil clarius
pro nobis excogitari potest.

3 PROB. r. Conclusio: In hac prædicatione: *Pet-
rus est homo*, prædicatur de Petro natura humana in-
tentionaliter indifferens ex parte prædicati ad Petrum,
& Paulum, sed natura, intentionaliter indifferens ad
Petrum, & Paulum, est universalis: Ergo. Prob. min.: In
illa prædicatione prædicatur de Petro natura humana
à Petro intentionaliter distincta; sed natura humana,
intentionaliter à Petro distincta, est intentionaliter in-
differens ad Petrum, & Paulum: Ergo. Min. patet; quia
natura, intentionaliter distincta à Petro, non est ad Pe-
trum determinata, aut contracta, atque adeò manet
indifferens ad Petrum, & Paulum.

Prob.

4 Prob. maj. : Per actum, quo natura humana prædicatur de Petro, fit actualis compositio intentionalis ex Petro, & natura humana; sed actualis compositio intentionalis petit partes intentionaliter distinctas: Ergo. Minor est evidens, quia compositio, quævis illa sit, est distinctorum unio. Si dicant: Per illum actum non fieri compositionem objectivam, sed formalem, quæ non petit partes objectivè diversas, sed distinctas solum ex parte actus. Sic arg. : Ergo in hac prædicatione: *Petrus est homo*, homo distinguitur ex parte actus à Petro; sed homo, ex parte actus distinctus à Petro, est universalis : Ergo. Prob. min.: Homo, ex parte actus à Petro distinctus, est homo indifferens ex parte actus ad Petrum, & Paulum; sed homo sic indifferens ex parte actus, est per vos universalis: Ergo.

5—Vrgetur: Per actum, quo fit actualis prædicatione: *Petrus est homo*, fit actualis compositio ex parte actus; sed compositio ex parte actus petit partes ex parte actus distinctas : Ergo Petrus, & homo in actuallia prædicatione sunt distincti ex parte actus: Nunc sic : Sed homo, distinctus à Petro ex parte actus, est universalis : Ergo. Prob. minor, subsumpta: Homo eatenus distinguitur à Petro ex parte actus, quatenus repræsentatur per conceptum *homo*, ut definibilis per *animal rationale*; quæ definitione non apparet definibilis Petrus sub hac expressione *Petrus*; sed homo repræsentatus per conceptum *homo*, quo apparet definibilis per *Animal rationale*, est universalis; Ergo.

6—Prob. min. : Homo in illa prædicatione repræsentatus per conceptum *homo*, quo apparet definibilis per *Animal rationale*, est humanitas Petri ex parte actus confusa cum humanitatibus aliorum hominum;

506 Liber II. Quæst. III. de Vniu. Logico, & Metaph.
sed humanitas Petri , ita confusa ex parte actus cum
cæteris humanitatibus , est Jesuiticum Vniversale: Er-
gò. Mai. patet : Quia humanitas cujuscumque indivi-
dui , quatenus apparet per conceptum *homo* , confun-
ditur ex parte actus cum aliis humanitatibus, licet ex
parte objecti perseveret indistincta , ut ipsi passim do-
cent. *Vrg. iterum* : Natura Vniuersalis , v. gr. natura
humana , licet non prædicetur adæquate objective de
Petro , prædicatur, per vos, adæquate ex parte actus;

(2) (2) sed ex parte actus est formaliter cum aliis confu-
sa, & universalis: Ergò.

Vide, que
diximus
in hoc lib.
q. 2. ar. 3.
& num. 7.

(3)
P. Loffada
tr. 2. disp.
2. cap. 8.
num. 9. &
10.

7—*Si respondeant* ; (3) in hac prædicatione : *Petrus*
est homo , distingui hominem à Petro ex parte actus,
non quidem distinctione facta per actum judicii , quo
fit prædicatio, sed distinctione præsupposita per appre-
hensionem *homo*. Optimè quidem : Ergò , licet actus
prædicans , non distinguat hominem à Petro , attingit
hominem , ut præsuppositivè distinctum à Petro : Er-
gò attingit hominem , ut universalem , non fa-
ctum per judicium , sed per apprehensionem præce-
dentem; consequenter, licet non efficiat, non destruit,
sed servat Vniversale. *Addo* : hoc judicium: *Petrus est*
homo , esse propositionem formalem, constantem sub-
jecto , & prædicato formalibus; sed subjectum, & præ-
dicatum formalia formaliter distinguuntur: Ergò.

(4)
Vide Par.
Loff. tra. 2
disp. 2. c. 7
& num. 13

8 PROB. 2. Conclusio : (4) In hac prædicatione:
Petrus est animal, ly *animal* ex parte prædicati ad om-
nia animalia se extendit: Ergò suam ipsius servat uni-
versalitatem. Prob. ant. I. : Prædicatum illius prædi-
cationis : *Petrus est animal*, ad plura se extendit, quam
prædicatum hujus: *Petrus est homo* : Ergò. Prob. ant.:
Ex hac propositione : *Petrus est homo* , rectè sequitur;
Ergò non est equus; sed id non sequitur ex alia : *Petrus*
est animal : Ergò. Consequent. est legitima; quia , si

prima non latius, sed æquè se extenderet, ac secunda, idem omnino esset objectum utriusque, idem ex utraque inferretur consequens.

9 Prob. min.: Ex hâc propositione: Petrus non est animal, sequitur: Ergò Petrus non est equus: Ergò id non sequitur ex illa: Petrus est animal. Prob. conseq.: Ex duplii contradictoria, nequit eadem inferri Conclusio; sed illæ: Petrus est animal: Petrus non est animal, sunt contradictoriæ: Ergò. Major est evidens, quia ex contradictoriis una destruit, quod adstruit altera. Si dicant, ex illis contradictoriis idem inferri ex parte rei; non verò ex parte modi: Contrà: Ex hac: Petrus non est animal, omnimodè infertur, tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ: Ergò non est equus: Ergò, si ex hac: Petrus est animal, aliquo modo infertur illa: Ergò non est equus; hoc eodem modo, quilibet ille sit, infertur ex utraque.

10—Si dicas cum aliis, (5) ex hâc propositione: Petrus non est animal, non inferri, saltem ratione format: Ergò non est equus; quia non negat de Petro omne animal, sed determinatum animal, quòd scilicet altera contradictoria affirmat. Contrà: Negatio, ut dici solet, est malignantis naturæ, omne destruens, quod invenit: Ergò, dùm negatur de Petro animal absolute, omne animal negatur: Ergò, dùm idem animal affirmatur, affirmatur ex parte prædicati omne animal. Adde 1.: quòd hæc prædicatio: Diabolus non est Sanctus, de Diabolo negat omnem sanctitatem. Adde 2.: quòd hæc propositio: Lapis non est animal, omne animal negat de lapide: Ergò pariter.

11 Prob. jam 2. primum ant. argumenti num. 8. positi: Si prædicatum hujus propositionis: Petrus est animal, non se extenderet ad omnia animalia, ea propositio solum attingeret animal Petri; ejusque sensus

(5)
Aliqui Re-
centiores
ex P. Pei-
nado hic
disp. 5. n.
54.

503 Lib. II. Quest. III. de Univ. Logico, & Metaph.
esset: Petrus est animal Petri; sed hoc est falsum: Ergo. Prob. min.: Si illa propositio redderet illum sensum, hæc esset vera: Solus Petrus est animal; cum vera sit ista: Solus Petrus est animal Petri, cui per vos illa æquivalet; sed hoc repugnat: Ergo. (6) Vrg.: Hæc absolute est falsa: Solùm Petrus est animal: Ergo ejus contradictoria: Non solùm Petrus est animal, est vera: Sed hæc exponibilis nequit esse vera, quin sit vera ejus exponens, nimirum: Petrus est animal, & aliquid, præter Petrum, est animal: Ergo animal, quod affirmatur de Petro, est de aliis prædicabile.

(6)
Vide Pat.
Loff. ubi
sup.n. 24.
12—Vrgetur 2.: Ideò hæc propositio exclusiva: Solùm Petrus est animal, est falsa, quia excludit alia subjecta à participatione sui prædicati: Ergo ideo ejus contradictoria: Non solùm Petrus est animal, erit vera, quia non excludit, sed permittit alia subjecta participantia idem prædicatum; consequenter animal, prædicatum de Petro, est prædicabile de aliis. Antec. est certum; quia exclusiva ex parte subjecti illa est, quæ alia subjecta à participatione ejusdem prædicati excludit, ut est concors Dialecticorum (7) sensus.

(7)
Vide Dia-
lectic.lib. 2.
q. 2.art. 3
num. 1.
13—PROB. 3. Conclusio: Universale est de pluribus prædicabile: Ergo, dum actu prædicatur de uno, suam de pluribus retinet prædicabilitatem. Consequenter; quia nullus actus destruit suam potentiam positivam. Conf.: Ex Contrariorum doctrina manifeste sequitur, nullam dari prædicationem superioris de inferiori; ex quo plurimæ redditantur inutiles Dialecticorum regulæ. Vrgetur: Id prædicatur de Petro in hac propositione: Petrus est homo, quod erat prædicabile vi apprehensionis homo; frustranea enim esset potentia, quæ non posset reduci ad actum; sed per illam apprehensionem erat prædicabilis natura Petri, ut confusa cum aliis, quatenus est Universalis: Ergo,

SOL.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

14 **A** RGVES 1.: In hac prædicatione: Petrus est homo, homo attingitur, ut identificatus cum Petro; sed homo, ut identificatus cum Petro, non est Universalis: Ergò. Prob. mai. 1. ex D. Thomā, (8) afferente: *Homo, qui prædicatur de Sorte, idem est, quod Sortes;* & qui prædicatur de Platone, idem est, quod Plato. Prob. 2. eadem maj. Solūm prædicatur de Petro, quod cum ipso identificatur: Ergò, dūm de Petro prædicatur homo, prædicatur homo cum Petro identificatus. Prob. 3. ipsa maj.: Actus, prædicans hominem de Petro, singularizat, & contrahit naturam huminam ad Petrum: Ergò.

(8)
D. Thom.
Opus. 56.

15 *Resp.*, dist. maj.: Ut identificatus realiter cum Petro, concedo maj.; ut identificatus objectivè cum Petro, nego maj. Dum fit illa propositio, signatè attingitur homo identificatus cum Petro; sed, quia id contingit modo compositivo rationis, fit objectiva compositio ex conceptu objectivo Petri, & conceptu objectivo hominis; consequenter per illum actum exercitè attingitur homo, ut objectivè distinctus à Petro. *Ad 1. maj. prob. explico S. Doct.*: Est idem cum Sorte, & cum Platone, identitate reali, concedo; identitate objectivà, & rationis, nego. Ait enim ibidem: *Homo non prædicatur de Sorte, secundūm quod est particularis;* Cujus ratio est; quia terminus idem prædicat, quod significat: Ergò qualiter significat, taliter prædicat. *Modo:* Iste terminus homo significat naturam humanam absque omni participatione, & particulari ratione: Ergò sic prædicabit eam.

16 *Ad 2. prob. dist. ant.*: Ex parte rei prædicatæ, conced. ant.; ex parte modi prædicandi, neg. ant., &

con-

310 Lib. II. Quest. III. de Univ. Logico, & Metab.
conseq. Licet res de Petro prædicata sit natura cum
ipso identificata, hæc tamen prædicatio fit modo
rationis compositivo, importante prædicatum objectivè
distinctum à subiecto: Quare ex parte modi prædi-
candi prædicatur de Petro natura humana objectivè
una cum omnium hominum naturis, atque adeò na-
tura omnibus per rationem communis prædicatur. Ad
3. dist. ant.: singularizat, seu contrahit naturam hu-
manam ex parte rei prædicatae, concedo ant.; ex par-
te modi prædicandi, nego ant., & consequent. (9)

(9)
Vide Mag
Lang. lib.
3. quest. 2
art. 2. n.
254.

17 Sed dices: In illa prædicatione prædicatur de
Petro natura humana cum ipso identificata, & deter-
minata ex parte modi prædicandi: Ergo. Prob. ant.:
Modus prædicandi illius prædicationis est determina-
tivus naturæ humanæ: Ergo. Prob. ant. 1.: Actus, quo
fit illa prædicatio, non est compositivus: Ergo. Prob.
ant.: Actus ille, cum sit propositio formalis, seu ju-
dicum, est simplex qualitas: Ergo. Prob. 2. illud ant.:
Sensus illius prædicationis nequit esse: Petrus est homo
communis omnibus hominibus: Ergo debet esse: Petrus est
homo determinatus.

18 Ad inst., nego ant.; ad prob. dist. ant.: Est de-
terminativus ex parte subiecti, concedo ant.; ex par-
te prædicati, nego ant. Ad 1. hujus prob. nego ant.; ad
prob. dist. ant.: Est simplex entitativè, & ut quod, con-
ced. ant.; effectivè, & ut quo, neg. ant., & conseq.
Actus, quo fit propositio objectiva, est formaliter, &
entitativè simplex; est autem effectivè compositus, seu
potius compositivus, quia compositionem efficit. (10)
Ad 2. prob. dist. ant.: Homo realiter communis, con-
cedo ant.; objectivè communis, subdist.: Reduplica-
tivè, ut communis, conc.; specificativè, & de mate-
riali, nego.

(10)
Vide Palat
tr. 3. q. 12
num. 7.

19 Itaque, dum prædicatur natura superior de
in:

Art. III. Vtr. in actuāli p̄dicatione, &c. 511
inferiori, illa determinatur ex parte subjecti, inadæ-
quatè tamen; quia, cum antea esset objectivè indiffe-
rens, nedum ad alia inferiora, verū ad ipsum etiam
de quo p̄dicator, tollitur tantummodò indifferentia ad
alia; ita, ut sensus hujus p̄dicationis: Petrus est
homo, sit: Petrus determinatè est homo realis Petri objec-
tivè unus cum reliquis hominibus, illisque communis; non
autem est: Petrus est homo determinatus omnino diver-
sus à ceteris. Vnde fit, ut homo objectivè communis
p̄dicetur de Petro, non reduplicativè, ut communis,
quia de Petro non dicitur communitas; sed specifi-
cativè, & pro substracto, seu quoad naturam.

20 ARGVES 2.: Natura Universalis per actualem
p̄dicationem dividitur in inferiora: Ergò. Conseq.
liquet: Ideò enim natura à parte rei non est Universalis,
quia est in inferioribus divisa. Conf.: Vi hujus
actus: *Hic homo*, ly homo amittit Universalitatem: Er-
gò etiam vi hujus p̄dicationis: Petrus est homo. Pater
conseq. à paritate: Quia, sicut in illo actu hic homo,
homo determinatur per esseitatem, ita in hac p̄dica-
tione: Petrus est homo, per Patreitatem. Vrg.: Ani-
mal in hac definitione: *Animal rationale*, non retinet
Universalitatem genericam: Ergò à pari.

21 Ad arg., dist. ant.: Dividitur physicè, conc.
ant.; logicè, nego ant., & conseq. Dum enim natu-
ra communis dividitur in inferiora per actuales p̄dica-
tiones, non ita dividitur, ut natura, quæ erat logi-
cè, & objectivè una, fiat logicè, & objectivè mul-
tiplex; sed ita, ut natura logicè una, explicetur vi
conceptuum particularium realiter multiplex: multi-
plicitas autem realis non opponitur unitati logicæ, &
rationis; sicut non obest unitati reali animalis ra-
tionalis objectiva rationis distinctio, seu multiplica-
tio.

512 Lib. II. Quest. III. de Vniv. Logico, & Metaph.
(11) *Vide Lang*
abi suprà
n. 252. &
num. 253.

(12) *Vide Palac*
ubi suprà
num. 10.

tio. (11) *Vel dici potest: quod per actuales prædicatio-*
nes dividitur natura communis, non ut totum inte-
grale in partes integrantes; sed, ut totum potentiale
in partes subjectivas. (12)

22 *Ad Conf. dif. ant. Si hic homo sumatur per*
modum termini simplicis, conc. ant.; quia sic non fit
ulla compositio, neque extremorum objectiva distinc-
tio, atque adeo est omnino objectivè determinatus
per ecceitatem: Si sumatur per modum termini ob-
jectivè complexi, nego ant.; quia sic fit objectiva com-
plexio ex ecceitate, & natura humana, quæ proinde
ex parte alterius extremi servatur distincta ab eccei-
tate, & indifferens ad alias individualitates: unde mi-
litat eadem ratio, ac in illa prædicatione: Petrus
est homo. Ad. Vrg. neg. ant.; quia in defini-
tione non secus, ac in prædicatione, ser-
yatur Universitas naturæ superio-
ris, ob eandem, quæ militat,
rationem.



શાસ્ત્રાભાષાઃ પૂર્વાભાષાઃ અધ્યાત્માભાષાઃ અધ્યાત્માભાષાઃ અધ્યાત્માભાષાઃ

LIBER III.

DE PRÆDICABILIBVS.

QUÆSTIO I.

DE GENERE PRIMO PRÆDICABILI.

ARTICULUS I.

Exponitur Generis definitio, & principale definitum assignatur.

I



RÆDICABILIA dicuntur, prout intellectus attribuit eis dici de pluribus: Sunt autem hæc Genus, Species, Differentia, Præmium, & Accidens. (1) Genus

sic ex Porphyrio, & Aristot. definivit D. Thomas: (2) Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid. Verba illa: Quod prædicatur de pluribus, quæ non actum, sed aptitudinem denotant, habent locum generis, quibus convenientia Generis cum cæteris Prædicabilibus explicatur. Ex quibus facile intelliges, sinistrum esse Serveræ (3) sensum, qui particulam quod loco generis usurpat.

(1)
D. Thom.
opus. 48.
cap. 1.

(2)
D. Thom.
ubi supra
cap. 2. in
princip.

(3)
Doct. Ser.
disp. 7. cap.
1. num. 1.

Tit.

Reli.

2 Reliquæ particulæ sunt Generis differentia, iis quippe à cæteris differt Prædicabilibus; à Specie nimirum, quæ non de specie, sed numero differentibus prædicatur; à Differentia, quæ non in eo quod quid, sed in quale quid prædicatur; à Proprio denique, & Accidente, quæ solum prædicatur in quale, ut suis respectivè locis patebit. Sed, ut hæcine clarissimas percipias, adverte; quoddam prædicari in quid est prædicari substantivè, seu per modum quidditatis per se stantis, sive sit substantia, sive accidentis, res, quæ prædicatur: Prædicari in quale est prædicari adjectivè, seu per modum alteri adjacentis, illudque qualificantis: Primo modo prædicatur animal de homine, color de albedine: Secundo modo rationale, & album de Petro.

3 Ceterum uterque prædicandi modus, in quid nimirum, & in quale, adhuc stat dupliciter, quoad rem videlicet, & quoad modum. Prædicari in quid, quoad rem contingit, si prædicatum sit re vera de quidditate subjecti; v. gr. in hac prædicatione: *Homo est rationalis.* Prædicari in quid, quoad modum evenit, dum res, quæ prædicatur, & est de quidditate subjecti, & prædicatur substantivè, v. gr. *Petrus est homo.* Adhæc: Prædicari in quale, quoad rem est, dum id, quod prædicatur, est accidentale subjecto; v. gr. *Petrus est albus:* Prædicari in quale, quoad modum est, dum res, quæ prædicatur, sive sit subjecto essentialis, sive accidentalis, prædicatur adjectivè; v. gr. *Petrus est albus: Paulus est rationalis.*

4 Inferes jam ex dictis, Genus, & Speciem prædicari in quid, quoad rem, & modum; Proprium, & Accidens in quale, quoad rem, & modum; Differentiam denique in quid, quoad rem, & in quale quoad modum. Præfata Generis definitionem appellat Por-

Art. I. Generis definit. & princip. definit. &c. 515

phyrius Descriptivam; (4) cui consonat Div. Thomas.
(5) Essentialēm accipe definitionem : *Vniversum*, ut pars materialis essentiæ. Inferes iterum, Genus esse concretum accidentale rationis, dicens pro subjecto, seu substracto naturam communem, & pro forma, seu abstracto secundam intentionem, quæ generitas dici solet.

(4)

Porpyr.

cap. 2. in fine.

5. *INQVIRIMVS* nunc : quodnam sit principale definitum in definitione Generis; an aggregatum &què dicens in recto naturam, & notionem, seu secundam intentionem; an secunda intentio, connotans naturam; an natura connotans notionem, vel secundam intentionem? *Et supponimus*, quòd cùm accidens sit à subjecto essentialiter dependens, debet subjectum illius ingredi definitionem, sive in recto, si accidens definitur in concreto; sive in obliquo, si accidens definitur in abstracto; adeoque dicit D. Thomas; (6) quòd similitas est curvitas nasi; simum autem est nasus curvus.

(5)

D. Thom.
Opusc. 48.
cap. 2. in princ.

Nostra Conclusio.

6. *Dicimus* : Definitum principale in definitione generis est secunda intentio, ut connotans naturam.

PROB. 1. *Conclusio ex D. Thoma*, afferente : (7) *Logica*, cum considerat *Vniversale*, non considerat ipsum, quantum ad naturam subjectam per se: & ideo Logica principaliter est de secundis intentionibus. Ex quibus en argumentum: Id definitur principaliter in definitione Generis, quòd à Logica principaliter in genere consideratur; atqui Logica non considerat *Vniversale*, quale est Genus, quantum ad naturam, sed est principaliter de secundis intentionibus, ut inquit D. Thomas: Ergò.

(6)

D. Thom.
Op. de En-
te, & Effi-
tiâ cap. 7.

7. *Maj. patet*: quia in definitione Generis definitur Genus logicè usurpatum: Ergò definitur proue

(7)

D. Thom.
Opusc. 56.

516 Lib. III. Ques. I. de Genere primo predicabili.
pertinet ad Logicæ considerationem: Ergò definitur principaliter, secundum quod principaliter à Logica consideratur. Conf.: Dum definitur Genus logicè usurpatum, id principaliter definitur, quod principaliter pertinet ad Logicam; sed secunda intentio principalius pertinet ad Logicam, quam natura; ea enim est ejus objectum formale, hæc verò, aut nullum est, nisi remotum, ut inquit Jesuitæ; aut materiale solum, ut Thomistæ fatentur: Ergò Major est evidens; quia genus logicè usurpatum est, quatenus ad Logicam pertinet. (8)

(8) 8 PROB. 2. Conclusio: Illud est definitum principale in definitione Generis, quod principaliter significat hoc nomen *Genus*; sed hoc nomen principaliter significat formam Generis, quæ est secunda intentio: Ergò Prob. min.: Genus est cōcretū accidētale Logici; sed hoc principaliter significat formā, teste D. Thō. (9) afferente: *Nec verum est, quod Avicena dicit, quod prædicata, quæ sunt in generibus accidentium, principaliter significant subjectum, & posterius accidens:* Ergò Conf.: Terminus concretus, & abstractus habent idem formale significatum, licet diverso modo; sed terminus abstractus *Generitas* significat secundam intentionem, ut separatam à subjecto: Ergò terminus concretus *Genus* significat eamdem intentionem, ut adjunctam subjecto, seu naturæ.

(9) 9—*Resp. Contrarii*, (10) per nomen *Genus*, sicut & quodlibet aliud, significans concretum accidentale, significari expressius formam, principalius autem naturam, seu subjectum. Alii (11) dicunt, nomen *Genus* significare principaliter formam principalitate claritatis; quia clarius eam exprimit, non verò claritate attributionis, & verificationis; sed hoc modo principaliter significare naturam; soli quippe naturæ attribuitur, & de

(10) P. Loffada
tr. 3. disp.
1. cap. 2. 7
11.

Art. I. Generis definit. & princip. definit. &c. 517
de ipsa, ut unico subjecto, verificatur. *Si adversus eos*
inferas: Ergò secunda intentio est definitum principale,
principalitate claritatis: *Consentient quidem;* sed
claritate, inquiunt, manifestante secundam intentionem
pure ut quo, non autem ut quod.

10.—*Impugnatur 1. utraque solutio:* Secundæ intentioni, ut connotanti naturam, attribuitur principaliter esse genus: Ergò illa significatur principaliter per nomen *genus*, principalitate attributionis. Prob. ant.: Parti principaliori, à qua, velut à fonte, dimanat esse formale rei, ejusque formalis denominatio, tribuitur principaliter esse talem rem, hujusque gaudere denominatione; sed ejusmodi est in Genere secunda intentio, cum sit ejus forma: Ergò. *Conf.*, & præoccupatur Contrariorum effugium: Licet secunda intentio prædicetur, ut quo, sitque *Genus*, ut quo; est tamen Definitum ut quod: Ergò. Prob. ant.: In concreto accidentalí id, quod se habet ut quo in esse denominati, se habet, ut quod in esse definiti: Ergò.

11.—Prob. ant.: Esse denominatum ut quod convenit rei, non suis meritis, sed virtute formæ denominantis; esse vero definitum fundatur in prædicatis propriis, reisque essentialibus; sed in concreto accidentalí subjectum, denominatum virtute formæ accidentalis, non habet prædicata essentialia propria in esse accidentis definiti: Ergò. Maj. patet in quolibet accidente, sive physico, sive intentionalí: Paries enim, licet denominetur ut quod albus ratione albedinis, non habet prædicata propria disaggregativa visus, hæc enim sunt solius albedinis: Natura pariter animalis, licet sit capax, ut denominatur genus, ut quod, vi secundæ intentionis; non tamen habet propriis meritis prædicata secundæ intentionis, qualis est prædicabilitas de multis specie differentibus. Ex quibus min., & consequent. patent.

Expli-

12—*Explicatur*: Denominari, ut quod denominatio
tione accidentalī tribuitur rei ratione alterius, se ha
bentis ut quo; ut paries *albus* ratione albedinis, cognitus
ratione cognitionis, & sic de aliis: Esse autem Defini
tum, ut quod debet rei convenire ratione suę essentię
proprię; nulla enim res est definita ratione essentię
extraneę: Quamvis ergo natura sit capax denomina
tionis generis ut quod, quia capax est recipiendi for
mam denominantem; non est capax, ut sit definitum
ut quod, quia non habet ex ipsa prædicata secundę in
tentionis, per quę Genus debet definiri: illa tamen
habet ratione sui secunda intentio, ut connotans na
turam.

13—*Impug.* 2. ad hominem Contrariorum solutio
Illud significat nomen *Genus* proprię proprietate attri
butionis, quod est proprię Genus logicum (hoc, & non
aliud definitur in præsentati) sed per vos solum conce
ptus formalis, formaliter repræsentans naturam, in
quo secunda intentio Jesuitica consistit, est proprię
Genus logicum, natura verò solum est objectum, seu
terminus Generis logici: Ergo. (12) *Vrg.*: In defini
tione Generis definitum est esse logicum generis; sed
natura ex se ipsa non est generis esse logicum; sed hoc
habet à secunda intentione: Ergo.

14 PROB. 3. Conclusio: Definitum principale est
illud, cuius essentiam explicat definitio; sed definitio
Generis non explicat essentiam naturę, v.gr. animalis,
sed essentiam secundę intentionis: Ergo. *Prob. min.*
x.: Definitio illa non explicat, quid sit animal; sed,
quid sit genus ratione secundę intentionis: Ergo: Se
cundò: Illa definitio explicat essentiam omnibus ge
neribus communem; sed nullius naturę essentia est
illis communis, benè vero essentia secundę intentio
nis: Ergo. *Respondent*, (13) eam definitionem explica
re,

(12)
Vide lib. I
quest. 2.
art. 3.n.9
C. 12.

(13)
P. Loffada
ubi supra
num. §.

Art. I. Generis definit. & princip. dasinit, &c. 319
re, quid sit animal, non physicè, aut metaphysicè, sed logicè usurpatum; pariter, essentiam logicam unius naturæ cæteris naturis genericis convenire, licet non physicam, aut metaphysicam.

15 *Sic arg.:* Ergò per Generis definitionem solùm explicatur, quid sit natura logicè considerata: Ergò solùm explicatur esse logicum naturæ, non physicum, aut metaphysicum. Vtramque conseq. infert evidenter sua ipsorum solutio. *Nunc sic:* Ergò solùm esse logicum naturæ est definitum in Generis definitione; id enim est definitum, quod definitione explicatur; sed esse logicum naturæ est secunda intentio, connotans naturam; id enim habet vi directionis logicæ, & nihil aliud: Ergò. *Aliter:* Definitum, seu explicatum per illam definitionem debet esse omnibus generibus commune; sed solùm essentia logica naturæ est omnibus illis communis: Ergò illa est definitum; sed illa essentia logica naturæ est secunda intentio naturæ, ut est evidens: Ergò.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

16 *RGVES* 1. contra Generis definitionem:
A Genus nequit definiri: Ergò irrectè definitur. *Prob. ant.* 1.: Illud tantummodo definitur, quod constat genere, & differentiâ, sed Genus non constat genere, & differentiâ: *Tum;* quia, quod constat genere, & differentiâ, est species; Genus autem non est species: *Tum etiam;* quia, si Genus constaret genere, Genus definiretur per genus, atque adeo suam ipsius ingredieretur definitionem; quod opponitur regulis bonæ definitionis: Ergò. *Prob. 2. illud ant.:* Si Genus in communi posset definiri, omnia genera possent definiri; sed Genera suprema non valent

520 Lib. III. Quest. I. de Genere primo prædicabili.
lent definiri: Ergo multò minus Genus in- communis,
quod est suprēmis superius.

17 Resp., neg. ant. *Ad primam ejus prob.*, neg.
min.: ad ejus primam prob. dist. min.: Genus non
est species essentialiter, concedo min.; accidentaliter,
& denominativè, nego min.; & conseq. Sicut homo
essentialiter est animal rationale; ut autem definiatur,
debet indui secunda intentione accidentalī spe-
ciei, qua sit accidentaliter species: ita Genus essen-
tialiter est Genus; ut autem definiatur, debet deno-
minari accidentaliter species subjicibilis respectu Uni-
versi, quod est genus ad primum prædicabile, per se-
cundam intentionem accidentalem subjicibilitatis.
Non est autem inconveniens, quod Genus sit essen-
tialiter genus per secundam intentionem prædicabili-
tatis de inferioribus, ipsi quidem essentialē; & si-
mul sit accidentaliter species per subjicibilitatem ad
Universum.

18 *Nec dicas*, ex his inferri primò: Quod, si Ge-
nus definitur, ut accidentaliter species, non definitur,
ut Genus, prout definiri debet. Secundò: Si Genus de-
finitur, ut species, solum accidentaliter definitur,
cum solum accidentaliter sit species. *Resp. ad. 1.*, dist.
assumptum: Si Genus definiretur, ut species, ly ut
reduplicante rem definitam, concedo; quia sic ratio
speciei Generi accidentalis, esset res definita:ly ut re-
duplicante conditionem, ut genus definiatur, nego; ita
enim verum est, rationem speciei, Generi accidenta-
lem, esse conditionem, ut genus definiatur, quin
hoc obstet, quominus res definita sit genus, ut tale;
quod patet exemplo hominis supra posito. *Ex quibus*
patet solutio ad secundum; cuius assumptum veruna
esset, si ly ut reduplicaret rationem formalem defi-
niendi; non autem, si reduplicet, ut reduplicat, con-
ditionem.

ad

Art. I. Generis definit. & princip. definit. &c. 321

19 *Ad secundam prob. min., nimirum, quod si Genus definiretur, ingredetur suam definitionem, dist. ant.: Si Genus definiretur per genus signate sumptum, & in communi, quale est Genus definitum, concedo ant.; si definiatur per genus exercite tale, & in particulari, quale est Vniversum, nego ant., & conseq. Si dicas: Vniversum est genus particulare definiens in definitione Generis; sed aliunde est definitum per eandem definitionem; definitio enim Generis omni generi deber convenire: Ergo. Resp., dist. min.: Per eandem secundam intentionem, qua est definiens, nego min.; per diversam, concedo min.; & nego conseq. Ratio Vniversi per secundam intentionem superioritatis ad quinque praedicabilia est genus ad Genus in communi; & per secundam intentionem subiectibilitatis est inferius Genere in communi,* (14) & definitum.

20 *Ad secundam ant. prob. positam num. 16. dist. maj.: Genera logicè sumpta, prout sunt concretum ex natura, & secundà intentione, concedo maj.; sumpta metaphysicè pro naturis substractis, nego maj., & è contrà dist. min., nego conseq. Itaque Suprema genera primò intentionaliter sumpta, quoad naturas, præcisivè à secundà intentione, eò, quod supra sint, non habent naturam superiorem, ex qua valeant componi metaphysicè, atque adeò definiri non possunt; sed verò logicè sumpta habent rationem Vnivesalis, in qua genericè convenient: ideo Genus in communi, et si logicè superius generibus metaphysicè supremis, potest definiri.*

21 *ARGVES 2.: Ens non est genus; sed prædicatur de multis specie differentibus, homine scilicet, & bruto: Ergo. Si dicas, quod ens prædicatur analogie; nō verò univocè, prout ad genus requiritur. Contrà: Dif-*

(14)
*Vide infra
q. 4. art. 2
a num. 5.*

522 Lib. III. Quæst. I. de Genere primo prædicabili.
ferentia subalterna, v. gr. *sensibile*, prædicatur uni-
vocè de homine, & bruto specie differentibus; sed
non est genus: Ergò. *Conf.*: Genus prædicatur de nu-
mero differentibus, ut *animal* de Petro, & Paulo:
Ergò male definitur. *Si dicas*, quòd prædicatur media-
tè, non verò immediate. *Contrà*: *Animal* immediate
prædicatur de hoc, & illo animali; sed hoc, & illud
animal solo numero differunt: Ergò.

22 *Resp.* ad argumentum, approbando solutionem illam: *Ens* enim est analogum; quapropter nequit esse genus. *Ad inst.*, dist. ant.: Differentia subalterna prædicatur de specie differentibus *in quale quid*, id est *in quale*, quoad modum; & *in quid*, quoad rem, concedo; prædicatur *in quid* utroque modo, si-
cūt genus, nego ant., & conseq. *Ad Conf. resp.*, ap-
probando pariter solutionem ibi attactam: *Animal* enim, & quodvis aliud genus, immediate de specie-
bus; mediata verò prædicatur de individuis. *Ad imp.*,
dist. mai.: Immediate prædicatur de hoc, & illo ani-
mali, prædicatione generis, seu ut genus, nego mai;
prædicatione speciei, seu, ut species, concedo mai.
Solutio constabit ex dicendis art. 2. à num. 10.

(15)
Vide. Lan-
ga, lib. 4. q.
2. art. 1. n.
86. & 87
Et Palans
bic n. 8.
(16)
Lag. ibid.
num. 89.
(17)
Vide Pat.
Loffad. tr.
3. disp. 1.
cap. 1. nū.
13. & Lä-
ge ubi sup
num. 95.

23 Pro aliis solvendis nota 1.: (15) Quòd Genus, & Species habent diversum prædicandi modum: Hæc cāim prædicatur, ut tota essentia; illud verò, ut pars materialis, seu determinabilis essentiæ. Non ita Differentia infima, & subalterna, cum utraque prædice-
tur, ut pars formalis, seu *in quale quid*. Nota 2.: (16) Quòd Genus Supremum, v. gr. *substantia*, præ-
dicatur de corpore, & spiritu, non quatenus genere differunt respectu inferiorum; sed quatenus specie subalterna discriminantur respectu substantiæ, ut sic. Nota 3.: (17) Prædicatum *coloratum* respectu albi, & nigri inconcreto, est genus, deque illis prædicari
in

Art. I. Generis definit. & princip. definit. &c. 235
in eo quod quid ; respectu vero substracti , vel subjecti,
esse accidens , & prædicari in quale. (18)

24 ARGVES 3. contra Conclusionem : Illud est
definitum principale in definitione Generis , cui
principaliter convenit , & de quo verificatur definitio
ipsa ; sed hæc convenit naturæ in recto , & ut quod , de-
que ipsa pari modo verificatur : Ergo. Min. est certa;
natura enim est unicum subjectum , cui convenit , &
de quo verificatur prædicari de pluribus specie differen-
tibus ; quod , ne partialiter quidem , convenit secun-
dæ intentioni: Ref. dist. maj. : Cui convenit , & de
quo definitio verificatur essentialiter , & ratione sui ,
concedo maj. ; accidentaliter , denominativè , & ra-
tione alterius , nego maj. : Et dist. min. : Naturæ ra-
tione sui , & essentialiter , nego min. ; accidentaliter ;
& ratione secundæ intentionis , concedo min. , & ne-
go consequent.

25 Definitio enim Generis convenit naturæ , &
secundæ intentioni ; naturæ quidem accidentaliter , &
ratione formæ , qnia non ex sua essentia , sed ex se-
cundâ intentione illi accidentaliter superaddita est de-
multis prædicabilis ; at vero secundæ intentioni con-
venit essentialiter , & ratione sui. Licet autem de se-
cundâ intentione non verificetur , prædicari ut quod ,
tamquam subjectum denominationis , verificatur præ-
dicari ut quo : Primum est proprium subjecti acciden-
taliter denominati ; secundum est proprium formæ , cui
essentialis est denominatio ipsa.

26 Dices : Eo modo convenit naturæ Generis de-
finitio , quo illi convenit prædicari de multis specie
differentibus ; sed prædicari de multis specie differen-
tibus convenit illi essentialiter : Ergo. Prob. min.: Na-
tura generica prædicatur essentialiter de multis , cum
prædicetur in eo quod quid : Ergo. Resp. , neg. min.,

(18)

Pro aliis
vide Loff.
ubi sup.n.
7. Irrib.
arg. I. Ser
vera hic.
num. 13.

§ 24. Lib. III. Quest. 1. de Genere primo prædicabili.
ad prob. dist. ant. : Si ly essentialiter denotet, naturam
esse de essentiâ multorum, concedo ant. Si ly essentialiter
denotet, exercitium, seu munus prædicandi esse
de essentiâ naturæ, nego ant., & conseq. Dicimus, Ge-
neris naturam essentialiter prædicari ; non quòd præ-
dicari sit illi essentialie, cum potius accidentaliter, &
ratione secundæ intentionis illi conveniat ; sed quia
natura, cui accidentalē est prædicandi munus, est in-
ferioribus essentialis.

27 Instab. : Licet naturæ secundūm se non con-
veniat essentialiter prædicari de multis, convenit ve-
rò essentialiter ipsi, ut connotanti notionem : Ergò
hoc modo est definitum. Confir. : Licet naturæ con-
veniat prædicari de multis ratione secundæ intentionis,
illa prædicatur *ut quod*, ista verò *ut quo*: Ergò na-
tura est definitum *quod*, & intentio definitum *quo*. Ad
Vide Coll. Caram. Complut. hic.

(19) instant. dist. ant. : Convenit ipsi, ut connotanti notionem, ratione illius, quod dicit in recto, nempè na-
turæ, nego ant. ; ratione obliqui, scilicet intentionis, concedo ant., & nego conseq. Prædicari de multis est
denominatio naturæ connotantis notionem ; non ta-

(20) men propria naturæ, sed præstata à notione. Sicut cale-
Vide Coll. facere est denominatio corporis calidi, sed præstata à
Rip. lib. 7 dub. 2. n. 25.

28 Ad Conf. resp., (19) neg. conseq. : Quia illud
denominatur *ut quod* denominatione accidentis, cui
est accidentalis denominatio, scilicet subjectum; illud
verò definitur, *ut quo*, cui est essentialis denomina-

(21) (P. Loffada tr. 3. disp. 1. cap. 2. qum. 5.) tio definita, licet aliunde tali denominatione solum
ut quo denominetur, videlicet forma : Cum autem
natura sit subjectum, intentio autem forma denomina-
tionis prædicabilis; ideo natura prædicatur *ut quod*,
sed definitur *ut quo*; è contrà verò secunda intentio.
Vide siprå num. 11. & 12. (20) Nec dicas, (21) quòd
natura,

Art. I. Generis definit. & princip. definit. &c. 525

natura , ut connotans notionem, convertitur cum Generis definitione : Ergò illa est definitum. Nam convertitur , non ratione sui , sed ratione notionis.

29 In fine nota latum discrimen inter concretum substantiale , v. gr. *homo* . & accidentale, ut *album, genus, &c.* : Concretum substantiale, cum constet partibus incompletis , habet essentiam simpliciter unam, consequenter totum concretum æquè importatur in recto , & in recto definitur : Accidentale verò , cum constet partibus ex se jam completis , solum habet essentiam secundùm quid unam : idèò totum concretum æquè in recto nequit definiri ; sed altera pars in recto , altera in obliquo. (22) Inde fit, ut concretum accidentale supponat pro substracto , & significet formam ; substantiale , & supponit , & significat naturam. Doctrina hujus articuli applicanda est omnibus concretis accidentalibus , tūm physicis , tūm intentionalibus.

(22)
*Vide Irrib
lib. 4. q. 2.
art. 2. per
totum.*

ARTICVLVS II.

Reliqua de Genere resolvuntur.

INQUIRES I. : Vtrum Genus possit conservari in unica specie possibili , & Species in unicō individuo ? *Supponimus* , Genus , & Speciem accipi posse physicè , metaphysicè , & logicè. Genus , & Species physicè accepta sunt physica rei entitas , quæ prout aliqualiter similis aliis diversæ speciei , dicitur fundamentaliter , seu physicè Genus ; & quatenus ipsis aliqualiter dissimilis , & in se ipsa completa , dicitur Species physicè , seu fundamentaliter. Genus metaphysicè sumptum est natura objectivè abstracta à differentiis specificis , constituta per respectum superioritatis

526. Lib. III. Quæst. I. de Genere primo prædicabili.
ritatis ad inferiora; ut natura animalis abstracta à
differentiis specificis hominis, & bruti, hisque supe-
rior.

2 Pariter Species metaphysicè usurpata est natura
inferior genere, ex genere, & differentiâ composita,
dicens ex consequenti respectum superioritatis ad in-
dividua. Tandem Genus logicè consideratum est na-
tura superior cum ulteriori respectu ad plura specie
diversa, ut ad ea, in quibus potest esse. Et Species lo-
gicè suscepta est natura ab individuis abstracta cum or-
dine ad ipsa, ut ad ea, in quibus valet existere. Cir-
ca hanc difficultatem tot sunt diversorum Authorum
diversæ Sententiae, quot diversis modis supradictæ Ge-
neris, & Speciei usurpationes explicantur. (1)

(1) Vide Irrib lib. 4. q. 2. Dicimus 1.: Nec Genus logicè sumptum potest
artic. 4. conservari in unica specie, nec Species logicè accepta
Lang. lib. in unico individuo, ceteris impossibilibus. Ratio
Loffad. tr. Conclusionis quoad utramque partem evidens est: Ge-
4. art. 3. nus enim logicè sumptum constituitur per esse prædi-
3. dif. 1. c. cabile de multis specie differentiis, & species per
1. à n. 14. esse prædicabilem de multis differentiis numero; sed
deficientibus multis specie, & numero diversis, nec
Genus, nec Species esset predicable de multis. Ergò.

(2) Adde, id adminùs probare autoritatem D. Thomae
D. Thom. (2) dicentis: *Nec est possibile invenire aliquod genus, cu-*
1. Pyster. *ius una tantum sit species.*

lect. 12. 4 Dicimus 2.: Genus metaphysicè acceptum, ut
lit. B. tale, nequit conservari in unicâ specie; bene verò
Species metaphysicè accepta in unico individuo. Di-
cimus Genus metaphysicum, ut tale; quia Genus, v.
gr. *animal*, considerari potest, ut est quædam natura,
ex suis partibus metaphysicis actu composita; & sic
non est genus, sed species subalterna: & potest consi-
derari, ut est natura exigens inferiorum differentias,

ut sui actuativas , & perfectivas ; & hoc modo est genus metaphysicum , ut tale . Primo modo est totum actuale, procul dubio conservabile in una tantum specie ; secundo modo est totum potentiale.

5 Prob. i. pars Conclusionis. Genus metaphysicè acceptum , ut tale, est totum potentiale , cuius partes subjectivæ sunt species inferiores ; sed nullum totum conservari valet cum una tantum parte , ut est plus, quam evidens : Ergò. Prob. maj. : Genus metaphysicum , v.gr. *animal*, constituitur per relationem superioritatis ad suam speciem ; sed hoc ipso est totum potentiale : Ergò. Major patet : *Tum* , quia per sua prædicata metaphysica, v. gr. *vivens* , *sentiens* , constituitur species : *Tum etiam* , quia Genus logicum constituitur formaliter per respectum logicum ad inferiora : Ergò pariter. *Tum denique* ; quia compositio metaphysica Speciei fit ex genere, ut parte ex se determinabili , & actuabili per differentiam , consequenter Genus ex se est determinabile , & in potentia metaphysica respectu differentiae.

6 Prob. min. : Si Genus metaphysicè acceptum constituitur per relationem superioritatis ad speciem, illud est specie superius , sed hoc ipso est totum potentiale metaphysicum : Ergò. Prob. min. : Si Genus est Specie metaphysicè superius , ad plura valet se extendere , & per plura constitui, quam per hanc Speciem quam est superius ; in hoc enim stat , aliquid esse altero superius ; sed hoc ipso est totum potentiale respectu illorum : Ergò. Min. patet : quia totum potentiale, ut inquit D. Thomas, (3) dicitur : Secundum , quod in magis universalis non solum continetur in potentia minus universale ; sed etiam alia , ut sub animali non solum homo , sed etiam æquus. Vide lib. 3. quæst. 2. artic. 3. num. 20.

(3)

D. Thom.
1.p quæst.
85.art.35
ad 2.

7 Prob. jam secunda pars Conclusionis : Species metaphysica , ut talis, nihil est aliud , nisi totum metaphysicum actuale ex genere , & differentia ; sed hoc salvari potest in unico individuo : Ergò. Vtraque præmissa probanda est. Primò prob. maj. : Species metaphysicè accepta est quid compositum ex materiâ , & formâ metaphysicâ ; sed in compositione metaphysicâ genus habet rationem materiæ metaphysicæ , & differentia habet munus formæ ; illud enim est pars potentialis , & ista pars actualis : Ergò. Major patet inductivè ; nam species physica est quid compositum ex materia , & forma physica ; species artificialis quid compositum ex materia , & forma artificiali : Ergò pariter.

8 Prob. nunc prima minor argumenti: Vbi salvantur partes actuales alicujus totius actualis , ibi salvatur totum ; sed in unico individuo , cæteris impossibilibus , salvari possunt genus , & differentia metaphysica : Ergò ibi salvari potest totum actuale ex genere metaphysico , & metaphysica differentia compositum. Major cum consequent. patent. Minor autem est certa : Tum apud Thomistas ; quia Angelus Michael componitur ex genere , & differentia , cum sint impossibiles alii Angeli ejusdem specie : Tum apud Jesuitas , qui Deum ex genere , & differentia componunt , cum tamen sint impossibilia alia individua Naturæ Divinæ.

9 INQUIRIES secundò : Quomodo prædicetur Genus de suis inferioribus ? Et supponimus ex dictis ; quod Genus potest comparari ad sua inferiora , ut totum potentiale , quatenus in potentia continet inferiorum essentias ; & potest comparari , ut pars potentialis , seu materialis , quatenus determinatum per differentiam ad componendam Speciem inadæquatè. Supponimus 2.3. quod

quòd individuum est duplex: Alterum completum, seu specificum, quod ex essentia specifica, & differentia individuali componitur; ut *Petrus, hic homo*: alterum incompletum, seu genericum, quod ex natura generica, & individualitate coalescit; ut *hoc animal, hæc substantia*. Supponimus tandem, Genus de suis speciebus prædicari, & ut totum potentiale, & ut partem materialem; ut est ferè omnibus certum: Sed qualiter de individuis prædicetur, potior est difficultas.

10—*Dicimus 3.*: Genus de individuis completis, seu specificis prædicatur prædicatione generica; de incompletis autem, seu genericis prædicatione specifica. Prima pars patet in hac propositione: *Petrus est animal*; ubi *animal* prædicatur de *Petro*, non ut tota essentia, sed ut pars materialis essentiæ; sed hæc est prædicatio generis, ut patet ex ejus essentiali definitione: Ergo. Secunda pars fit evidens hac prædicatione: *Hoc animal est animal*; in qua *animal* prædicatur, ut tota essentia specifica de hoc animali. *Ex quibus intelliges*, Genus immediatè de speciebus, & individuis incompletis; de completis autem solum mediatè prædicari. (4)

11—*INQUIRES 3.*: Vnde sumantur in rebus Genus, & Differentia? Non loquimur de fundamento proximo secundæ intentionis Generis, & Differentiæ, aut de fundamento remoto, quo immediatè nititur proximum fundamentum; hæc enim, quid sint, ex alibi (5) dictis planè constat. Loquimur de prima radice, unde oriatur, quòd res constet genere, & differentiæ. *Dicimus 4.*: In Substantiis corporeis Genus primò radicaliter sumitur à materiâ, Differentia vero à formâ: At in rebus Spiritualibus Genus sumitur ab immaterialitate, Differentia à speciali gradu

(4)
Vide Läg.
ubi sup.n.
106. Loff.
tr. 3. disp.
1. cap. 1. a
num. 26.

(5)
Vide, quæ
diximus
lib. I. q. 3.
art. 3. an.
39. & lib.
3. q. 1. art
3. a n. 11.

530 Lib. III. Quest. I. de Genere primo prædicabili.
perfectionis secundum recessum à potentialitate ma-
teriæ, & accessum ad actum purum. Ita expressè D.
Thomas, videndus Opusc. de Ente, & Effent. cap. 6.

12. Ratio primæ partis est: Quia fundamentum
proximum, præcedens intellectus cognitionem, ad
Genus, est rerum uniformitas, aut similitudo; fun-
damentum differentiæ est earumdem diffimitas, aut
dissimilitudo; sed similitudo unius cum alio prove-
nit radicaliter à prædicato physico, quo primò res in-
vicem assimilantur, quod est materia; dissimilitudo
verò provenit radicaliter à prædicato physico, quo
primò res diversificantur, quod est forma: Ergò Con-
fir.: Genus se habet, ut potentiale, & perfectibile;
Differentia, ut actualis, & perfectiva; sed in rebus
corporeis prima radix potentialitatis, & imperfectio-
nis est materia; prima verò radix actualitatis, & per-
fectionis est forma: Ergò.

(6) Quid de
accidenti-
bus sit di-
cendū, vi-
de D.Thō.
op.de ente
& effent.
cap.7. ad
fin. & Ca-
jet. ibid.

13. Ratio secundæ partis est: Quia substantiæ spi-
rituales physicè constituuntur per esse formas spiritua-
les completas; prima autem radix spiritualitatis est
immaterialitas: Ergò secundum quod immaterialitas
participatur ab hac, vel illà creatura spirituali cum
majori, aut minori recessu à materiâ, & accessu ad
actum purum, specie physicâ distinguuntur: Ergo
ab immaterialitate, qua omnes communiter gaudent,
sumitur Genus omnibus commune; & à speciali gra-
du perfectionis, quo illà fruuntur, sumitur Diffe-
rentia. Et ideo ab eo, quod sequitur illas, in quantum
sunt immateriales, sumitur in eis Genus :: ab eo autem,
quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis
Differentia, inquit D. Thomas ubi sup. num. 11. (6)

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

14 RGVES 1. contra primam Conclusionem:

A Et si cæteræ animalium species repugnarent, solà humanâ perseverante, *animal* esset Genus logicum: Ergo potest conservari Genus logicum in unicâ tantum specie. Prob. ant. : In eo casu homo esset definibilis per *Animal rationale*: Ergò. Conseq. tenet; quia in ea definitione *animal* est Genus logicum. Prob. ant. : Homo in eo casu eamdem, quam nunc, haberet essentiam; sed nunc est definibilis per *Animal rationale*: Ergò. Resp. neg. ant. ; ad prob. neg. ant. : In eo enim casu homo non benè definisetur per *Animal rationale*; cum *animal* non ad plura, quam *homo*, se extenderet, ut Genus se debet extendere: Definiretur autem ita: *Vivens rationale*.

15 Ad illius ant. probationem dist. maj. : Eamdem, quam nunc, haberet essentiam physicam, concedo maj. ; logicam, & metaphysicam, nego mai. ; & concessâ min. , nego consequent. Licet tunc casus eamdem haberet homo essentiam physicam, non tam logicam, & metaphysicam: hæc enim pendet à prædicatis metaphysicis objectivè præcisiss; illa ab eisdem prædicatis cum diversis inter se ipsa respectibus: Cum enim in illo casu variarentur ea prædicata, ab homine enim non posset abstrahi ratio superior animalis, sed immediatè ratio viventis; ideo ex variatione illâ objectivâ homo haberet diversam essentiam logicam, & metaphysicam, consequenter diversum Genus ab eo, quod habet de præsenti.

16 Dices: In eo casu istâ prædicatio: *Homo est animal*, esset prædicatio generis: Ergo *animal* esset Genus prædicabile, & logicum. Prob. ant. : In eo ca-

532 Lib. III. Quest. I. de Genere primo prædicabili.
sū illa prædicatio esset alicujus prædicabilis; sed non
alius: Ergo esset prædicatio generis. Mai. patet; quia
non esset prædicatio identica, sed formalis, & qui-
dem directa, in qua superius de inferiori prædicatur.
Resp., neg. ant., & minorem probationis: Illa enim
esset prædicatio speciei; quia in eo casu animal præ-
dicaretur ut tota essentia, cum idem tunc significaret
animal, ac *animal rationale*, vel *homo*: Vnde illa esset
prædicatio, non superioris de inferiori, sed æqualis
de æquali.

17 ARGVES 2. contra 2. Conclusionem: Sicut
Genus metaphysicum est totum potentiale respectu
specierum, ita species metaphysica est totum poten-
tiale respectu individuorum: Ergo, vel Genus potest
conservari in unicā specie; vel, si secūs, nec species
conservari valet in unico individuo. Prob. ant.: Sicut
Genus est determinabile, & consequenter in potentia,
ad differentias specificas, ita species ad differentias
individuales: Ergo. Conf.: Sicut Genus metaphysi-
cum ob suam potentialitatem est indifferens ad plu-
res species, ita Materia prima ob eamdem rationem
ad plures formas; sed potest Materia prima in unica
forma conservari, ut de facto conservatur in forma
cœlesti: Ergo à pari.

(7) 18 Ad arg. resp. (7) neg. ant.; ad prob. dist. maj.:
Vide Irrib lib. 4. q. 2 Ita species est determinabilis per differentias indi-
viduales determinabilitate intrinseca, & essentiali, ne-
go ant.; accidentalī, & extrinseca, concedo ant., &
nego consequēt. Disparitas itaque inter Genus meta-
physicum, & speciem metaphysicam est: Quia Genus
ex sua ipsis exigentia, & natura est determinabilis,
& potentialis ad species diversas; species autem non
ex sua ipsis exigentia, & natura, sed potius ex indi-
vidualitatū exigentia, est ad individua distincta de-
termi-

terminabilis: Vnde Genus se habet, quasi activè exigens suam ipsius determinationem ad species; Species verò ex sua natura merè passivè se habet, permittens, non exigens, sui determinationem ad individua.

19 Et, si ulteriorem, ac radicalem nostræ disparitatis rationem exoptes; hæc est: Quia Genus sua formaliter ratione est natura abstracta à differentiis specificis, ut à suis actibus perfectivis: Cum autem quælibet res innatè appetat suum perfectivum; Genus natura suà petit actuari, & perfici pér differentias specificas: Sed verò, cum perfici non possit per unam tantùm possibilem, retinens suam communitatem, seu generitatem essentialem; exigit, ut per plures perficiatur; alioquin non conservabit naturam Generis metaphysici: Cæterùm Species metaphysica, cum componatur ex genere, & differentia, habet ex se totam suam perfectionem, quam proinde non emendat ab individuis, neque illorum exigit determinationem.

20 Nec dicas: quòd etiam natura generica componitur ex genere superiori, & differentiâ; nihilominus, quia præscindit à differentiis specificis, exigit determinari per istas: Ergò pariter Species per differentias individuales, à quibus præscindit. Constat enim, naturam Generis, quatenus compositam genere, & differentiâ, esse speciem subalternam, non Genus: Præterquamquòd Genus perficitur per species; sed species non perficitur per individua, sed è contrà: ideo actuatur species per individua actualitate inducente potiùs imperfectionem speciei, quam perfectionem: consequenter potentialitas speciei, non est illi essentialis, & naturaliter exacta; sed accidentalis, sine qua conservari valeat.

21 Ad Conf., nego consequent. Disparitas est duplex.

plex. *Prima*: Quia potentialitas materiae primæ ad formas non est potentialitas indifferentiæ, sicut potentialitas Generis ad suas species, sed subjectiva; con sequenter, cum unâ formâ suam retinet materia potentialitatem essentiale, quam proinde conservare valet, si forma sit inamissibilis, ut est forma cœlestis. *Secunda est*: Quia Materia, etsi potentialis, est pars, quæ solùm alteram partem ad suam conservati onem exoptat: Genus autem est totum potentiale, de cuius formalis ratione est, plures habere partes in potentia; ideo plures, quam unam, requirit species possibles ad suam conservationem.

22. *ARGVES* 3. contra 3. Conclusion.: Genus nequit prædicari, ut pars materialis essentiæ: Ergo nequit prædicari de individuis completis prædicatione generis. *Prob. ant.*: Pars physica, qualis est materia, nequit prædicari de toto: *Nego consequent*: Quia pars physica, y. gr. materia, est realiter inadæquate distin cta à toto; ideo de toto prædicari non potest absolu tè, sed cum addito *inadæquate*: Pars autem metaphysica, quale est Genus, realiter adæquate cum toto identificatur: ideo absolute dici potest de toto. *Dic. es*: Genus solùm respicit speciem, non vero individua: Ergo de illa, & non de ipsis, valet prædicari. *Prob. antec.*: Unica relatio nequit duos terminos respicere: Ergo, si relatio Generis respicit speciem, non respi cit individua.

23. *Resp.*, dist. ant. probationis: Nequit respicere duos terminos formales, & immediatos, concedo ant; alterum formalem, & immediatum, alterum materialem, & mediatum, nego ant., & consequent. Genus itaque immediate respicit speciem, ut terminum formalem, & immediatum; ut terminum autem materialem, respicit individua: ideo de his præ dicatur

dicatur mediatae. Inferes: Ergo animal mediatae solum praedicatur de hoc, & illo animali, sicut de Petro, & Paulo: Ergo non praedicatur de individuis incompletis praedicatione specifica. Respond., nego. consequent.: Genus enim comparatur ad individua incompleta, ut species, de quibus proinde praedicatur immediatae; licet mediatae praedicetur de completis.

24 — *In stat.*: Genus contrahitur mediatae ad individua incompleta, v. gr. *animal* ad hoc, & illud animal: Ergo praedicatur mediatae. *Resp.*, (8) dist. antec.: Contrahitur mediatae ad hoc, & illud animal physicè, & prout sunt in re, concedo ant.; quia in re hoc, & illud animal, vel sunt homines, aut bruta: logicè, & prout significantur conceptibus præcisivis *hoc animal*, *illud animal*, nego ant.; sic enim concipitur ratio animalis immediate contracta ad hanc, & illam eccentricitatem. *Nec dicas*: Quod *substantia*, cum sit genus supremum, non constat genere, & differentia: Ergo non est species, nec ut talis praedicatur de hac, & illa *Substantia*. *Respond.*, eam non esse speciem subiectibilem; esse tamen speciem praedicabilem. (9)

(8)

Palanc. tr.
4. queſt. 6
num. 6.

(9)

Lang. lib.
4. q. 2. art
ult. num.
158.

QUÆSTIO II.

DE SPECIE, ET INDIVIDVO.

ARTICULUS I.

Quid, & quoniam sit Species?

CVm *Species*, prout in præsenti, sit natura inferior genere, & individuo superior dupli-

336 Lib. III. Quæst. II. de Specie, & Individuo.
duplicem habet respectum, alterum ad genus, cui subjicitur; sicque appellatur *Subjicibilis*: alterum ad individua, de quibus prædicatur; qua de causa appellatur *Predicabilis*. Species subjicibilis sive ex Porphyrio

(1) (1) definitur: *Quæ ponitur immediatè sub Genere, & de qua Genus in eo quod quid prædicatur.* Pro eius intelligentia nota, speciem subjicibilem ponit immediatè sub genere proximiori, sub reliquis vero mediatè; ut *homo* inmediatè sub animali, mediatè ponitur sub vivente. *Nota iterum*: Differentiam non subjici generi, ut tali; at individua incompleta subjiciuntur Generi, ut speciei; cum de illis, ut tota essentia prædicetur, juxta dicta art. 2. quæst. preced.

(2) 2. Speciem prædicabilem ita ex Porphyrio definit D. Thomas: (2) *Quæ prædicatur de pluribus differentiis numero in eo quod quid.* Hæc definitio ex his, quæ de generis definitione diximus, (3) planè comprehenditur. Sed quia hæc sine Speciei definitio communiter judicatur descriptiva; essentialis definitio erit:

(3) *Vid. quæst. præc. art. I. à n. 1.* *U*niversum, ut tota essentia inferiorum. Species subjicibilis dividitur (prædicabilis enim semper est infima, (4) cum de speciebus numquam prædicetur species, ut talis, sed ut *Genus*, in infimam, & subalternam. Infima, quæ & *Atomæ* dici solet, est, quæ sub se solum continet individua numero distincta; v. gr. *homo*. Subalterna est, quæ alias continet species inferiores, ut *animal*.

(4) 3. *INQUIRES*: Vtrum Species subjicibilis, ut talis, sit prædicabilis? Res. negativè. Ratio est: Quia species constituitur formaliter subjicibilis per relationem ad superiora, quibus subjicitur; prædicabilis vero per respectum ad inferiora, de quibus prædicatur: hi autem respectus sunt valde diversi. *Advertè* insuper, quod nec prædicabilitas est ratio, à priori inferens in natura subjicibilis.

jcibilitatem , cum natura suprema , v. g. Substantia , sit prædicabilis , non autem subjicibilis ; neque subjicitas est ratio à priori prædicabilitatis , cum natura Angelica sit subjicibilis , non tamen , saltem secundum rem , prædicabilis. (5) Quæ contra nostram doctrinam opponi possunt , vide apud Lang. lib. 4. quest.

3. art. I. à n. 169. & 184.

4. Hic solet inquiri : Vtrum natura specifica ab intrinsecò immultiplicabilis , v. gr. Natura Angeli Michaëlis , sit positivè logicè universalis , & prædicabilis ? Et quidem certum est apud omnes , eam non esse universalem secundum rem , & rationem , prout communiter sumitur Vniversalē in præsenti : solum itaque est dubium de Vniversalī secundum rationem tantum , quod fortassè , nec somniavit quidem Porphyrius : Resolutio pendet ex diversis suppositionibus , quas quisque suo sensu præparat , ut quisque circa conclusionem suo sensu abundet . Nostro autem judicio res hæc parūm est utilis , nec digna , cui tanta impendatur opera , ideoquè ex plurimorum consilio ab ea supersedemus. (6)

(5)
Vide Palac
tr. 4. q. 9.
per totam

ARTICVLVS II.

Quid , & Quotplex sit Individuum?

I Ndividuum , Speciei correlativum , idem est , ac res singularis , ac determinata ; v. gr. Petrus. At verò accipi potest , vel primò intentionaliter , vel secundò intentionaliter. Primo modo sumitur Individuum secundum ea prædicata , quæ ipsi competunt à parte rei ; secundò modo sumitur secundum illud esse secundò intentionale , ipsi conveniens per intellectus considerationem. Individuum primo inten-

(6)
Vide pro
parte af-
firmativa
Palanc. &
Lang: pro
negativa
Irrib. &
Froylan.
in præsen.

338 Lib. III. Quæst. II. de Specie, & Individuo.
tionaliter sumptum ita definitur ex Porphyrio: Id, cuius proprietatum collectio in alio non reperitur. Sunt autem Individui proprietates, quæ his versibus comprehenduntur:

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine, Sanguis, Patria: Sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

2 Est itaque definitionis sensus, Individuum primum intentionaliter sumptum esse illud, quod cum alio numquam convenit in his septem proprietatibus collectivè sumptis; scilicet in corporis complexione, partium corporis proportione, in loco, & tempore, tum nativitatis, tum existentiae nomine, stirpe, & patria; hæc enim denotant proprietates septem, quas versibus decantavimus. Est autem illa mera descrip^{tio}, non autem rigorosa Individui definitio. Aptius definitur Individuum à D. Thoma: (1) *Quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum; aut aliis terminis: Indivisum in se, & divisum à quolibet alio.*

3 Individuum secundò intentionaliter acceptum potest considerari, ut subjcibile, & ut prædicabile. Ut subjcibile, est: *Quod subjcitur immediatè speciei.* Quatenus prædicabile, definitur: *Quod de uno tantum prædicatur.* Potest autem Individuum quinque modis prædicari juxta modos quinque Prædicabilium; v.gr. *Petrus est hic homo, hoc animal, hoc rationale, hoc risibile, hoc album.* Ex quibus patet, Individuum non esse speciale Prædicabile, à quinque communiter assignatis distinctum; sed, ad unum ex illis semper, ac prædicatur, reduci, aut nullum esse, necesse est.

(2) 4 ARGVES contra definitiones Individui. Primo:
Arist. 7. Singulare non potest definiri, ut docet Aristoteles; (2)
Metaphys. sed Individuum est singulare: Ergo. Secundò: Individuum prædicatur de multis; quia Petrus est Individuum,

Art. II. Quid & quotuplex sit Individuum? 339
doum, Paulus est Individuum, &c. : Ergò malè defi-
nitur per prædicari de uno tantum. Tertiò: Datur In-
dividuum in alia divisibile: Ergò non est Indivisum
in se. Prob. ant. : *Aliquis homo*, est Individuum; sed
dividitur in Petrum, & Paulum; quia Petrus est ali-
quis homo, & Paulus est aliquis homo: Ergò.

5 Ad primum resp., dist. maj.: Singulare singula-
riter, & exercitè sumptum, concedo maj.; signatè,
& communiter acceptum, nego majorem. Individu-
um exercitum est speciale Individum, ut Petrus; si-
gnatè sumptum est ratio communis Individui: Pri-
mum definiri non potest, benè verò secundum. (3)
Ad secundūm, nego ant. Nec obstat subjuncta proba-
tio; quia licet ratio communis Individui prædicetur
de Petro, & Paulo, prædicatur accidentaliter, sicut
Genus de animali, & species de homine: Sicque præ-
dicatur, ut accidens; non, ut Individuum. Si autem
prædicetur de Petro, & Paulo secundò intentionaliter
sumptis; non, ut Individuum, sed, ut species præ-
dicatur. (4)

6 Ad tertium respond., nego ant.: Ad prob. dist.
maj.: Est Individuum vagum, & incertum, concedo
maj.; certum, & determinatum, nego maj. Duplex
est Individuum, alterum determinatum, alterum in-
determinatum, & vagum. Primum est, quod constat
naturà specificà, & certa singularitate, ut Petrus, *bic
homo*. Secundum est, quod constat naturà specificà, &
incerta singularitate, ut *quidam leo*, *aliquis homo*. Dum
ergò definitur Individuum, definitur determinatum,
non verò indeterminatum; hoc enim est improprie
Individuum, quod definiri non potest, (5) ob suum
esse indeterminatum.

7 NVNC solet inquiri: Vtrum ab omnibus Indi-
viduis, primò intentionaliter sumptis, possit abstra-

(3)

Videlrib
lib.4.q.3
art.4.art
1.

(4)

Vide Läg:
lib.4.q.3.
art.3.à n.
316.

(5)

Vid.Palac
tr.4.quæs
12.n. 3.

540 Lib. III. Quest. II. de Specie , & Individuo.

hi ratio communis univoca ? Respond. negative. Ratio est : Quia in conceptu communi Individui includuntur differentiae individuales, consequenter importatur inferiorum diversitas : Ergo. Prob antec. In conceptu communi Individui includitur tota essentia metaphysica Individui , sicut in conceptu specifico homo tota hominis essentia specifica ; sed individua consti-
tuuntur metaphysicè per differentias individuales : Ergo. (6) At verò ab individuis secundò intentionaliter sumptis abstrahi potest , sicut abstrahitur à quinque Prædicabilibus. Vnde Individua primò intentio-
nalia nequeunt strictè definiri.

(6)
Vide Läg.
lib. 4. q. 3
art. 3. d. n.
321. Palæ
tr. 4. ques
13.

QUÆSTIO III.

DE DIFFERENTIA , PROPRIO, ET ACCIDENTE.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Differentia?

Differentia , ut nomen sonat , est forma , qua unum ab alio differt : Quæ triplex est , Communis , Propria , & Propriissima . Communis est accidens commune , quo una res ab alia differt acciden- taliter ; v. gr. albedo , qua albū differt à nigro . Propria est accidens proprium , quo una res ab aliâ necessariò dif- fert , sed non essentialiter ; v. gr. color summus , quo ignis ab aquâ differt . Propriissima est prædicatum rei essentiale , quo res ipsa ab aliis differt essentialiter ; v. gr.

Art. II. Quid, & quotuplex sit Individuum. 541
rationale respectu hominis. Ex his sola Differentia
Propriissima constituit tertium Prædicabile; Commu-
nis enim reducitur ad prædicabile Accidentis; & Pro-
pria coincidit cum Proprio quarto prædicabili.

2. Est itaque Differentia Propriissima: *Quod præ-
dicatur de pluribus in quale quid*: Id est in quale, quoad
modum, & in quid, quoad rem: Hæc definitio non
explicat *predicari* de pluribus numero, aut specie dif-
ferentibus; ut æquè Differentiæ infimæ, quæ de nu-
mero diversis dicitur, ac Subalternæ, quæ de specie
differentibus prædicatur, adaptetur. Ex quibus patet,
Differentiam dividi in Infimam, & Subalternam. In-
fima est, quæ sub se solùm continet individua, ac
proindè speciem infimam constituit; v. gr. *rationale*:
Subalterna est, quæ sub se species continet, constituit-
que Speciem subalternam; v. gr. *Sensibile*. Essentialis
Differentiæ definitio est: *Universum, ut pars formalis
essentiæ*.

3. Quatuor assignantur Differentiæ munera. Pri-
mum est *dividere*, seu *contrahere*; Differentiæ enim
diversæ dividunt, & contrahunt rationem commu-
nem, in qua inferiora conveniunt. Secundum est *con-
stituere*; constituit siquidem determinatam speciem.
Tertium est *distinguere*; ut potè distinguit speciem,
quam constituit, ab aliis omnibns. Quartum denique
est *prædicari*: prædicatur quippè de suis inferioribus.
Diligenter notaveris, in præsenti, nec definiri, nec
explicari Differentiam individualem: *Tum*; quia à
scientiis contemnitur: *Tum etiam*; quia hic agimus
de Differentiis, quæ immediatè dividunt genus dire-
ctè in substantiæ prædicamento collocatum. (1)

4. ARGVES contra definitionem Differentiæ: Si
Differentia prædicaretur in quale, quoad modum,
etiam species, quæ ex genere, & Differentiæ consur-
git,

(1)

Vide Loff.
ir. 3. disp.
2. cap. I.
num. 5.

542 Lib. III. Quest. III. de Differentia, Proprio, &c.
git, prædicaretur in quale, quoad modum; hoc est
falsum: Ergo. Conf. 1.: Differentia prædicatur de
specie, v.gr. *Homo est rationalis*; sed non in quale, quoad
modum; Ergo. Confir. 2.: Differentia generis prædi-
catur de singulis generibus; sed solum prædicatur in
quid; ea enim est prædicari in quid: Ergo. Ad arg. res-
pond. majorem veram esse, dum species prædicatur
sub expressis conceptibus generis, & differentiæ; ut
Petrus est animal rationale; secùs autem, si sub conce-
ptu implicito; ut *Petrus est homo*. (2)

(2)
Vide Pat.
Loff., ubi
sup.n.4.

5 Ad 1. Confir. dist. min.: Non prædicatur in qua-
le, quoad modum, per modum qualificantis totam
speciem, concedo min.; per modum qualificantis al-
teram partem speciei, scilicet genus, nego minor.
Neque aliis est sensus nostræ definitionis; quia Dif-
ferentia non concipitur per modum adjacentis, &
qualificantis totam speciem, aut totum individuum;
sed genus, ut suam partem essentiæ metaphysicæ.
Ad 2. Confir. nego min. Nec obstat subjuncta proba-
tio: Quia, licet Differentia generis sit prædicari in
quid de inferioribus; hoc ipsum prædicari in quid ad-
jacet conceptui *Vniversum*, qui est genus Generis pri-
mi prædicabilis; sicque prædicatur de singulis generi-
bus secundò intentionaliter sumptis in quale, quoad
modum. (3)

(3)
Vid. Mag.
Lang.lib.
4. quest.
4.art.1. à
num. 342

6 INQUIRES 1.: Qualis sit divisio Differentiæ in
Communem Propriam, & Propriissimam? Et suppo-
nimus, eam divisionem non esse immediatam; quia
Differentia primò dividitur in essentiale, & acci-
dентale: hæc insuper in Communem, & Propriam.
Nunc ad quæsum resp.: Eam divisionem esse ad-
quatam; sed non univocam. Ratio primæ partis est:
Quia quælibet Differentia, aut est essentialis, sicque
est propriissima; vel accidentalis à subjecto insepara-
bilis;

bilis, & sic est propria; vel separabilis, itaque est communis: sed non datur alia Differentia: Ergo.

Obiter nota, Deum à creaturis esse primò diversum; non autem propriè differre per aliquā differentiā. (4)

7—Ratio secundæ partis est; quia Differentia propriissima propriè, & essentialiter participat facere differre, quod est ratio formalis Differentiæ in communis; Propria autem, & Communis solum impropriè, & accidentaliter: Ergo participant inæqualiter rationem Differentiæ, sicque ratio Differentiæ est ipsis analoga. Ant. patet; quia Differentia propriissima facit propriè, & substantialiter unum ab alio differre; communis autem solum facit differre accidentaliter. Quæ his obstatre possunt, vide apud MM. Langa, & Irribarren. (5)

8—*INQUIRES* 2.: Respectu quorum sit Differentia universalis, & prædicabilis? *Respond.*: Differentiam non constitui universalem respectu speciei, quam constituit; sed respectu inferiorum speciei, de quibus prædicatur. *Prob. breviter*: Differentia constituitur universalis respectu suorum inferiorum, quod commune est omni Universali; sed species non est inferior, sed æqualis Differentiæ, ut per se patet: Ergo. *Conf.*: Differentia constituitur universalis per respectum ad plura; sed species non est plura: Ergo. Nec dicas, speciem comparari, ut totum potentiale ad sua inferiora; sicque esse virtualiter plura. *Nam* Differentia solum respicit speciem, ut totum actu constitutum; non quatenus est in potentia ad individua. (6)

9—*ARGVES* contra nostram resolutionem. *Primi*: Differentia, v. gr. *rationale*, de sola specie prædicatur, ut Differentia, seu in quale quid; non vero de Individuis; hæc enim differunt per Differentias individuales: Ergo. *Secundi*: Differentia prædicatur de Individu-

(4)

Vide Irrib.
lib. 4. q. 4.
art. 2. arg.

I.

(5)

Vide Lang.
lib. 4. q. 4.
art. 1. a n.
350.
Et Irrib.
ubi supra
argum. 2.

(6)

Vide Irrib.
lib. 4. q. 4.
artic. 3.
Langa ubi
sap. art. 2
Et Palanc
tr. 4 ques
15.

444 Lib. III. Quest. III. de Differentia, Proprio, &c.
dividuis, media specie: Ergo, ut universalis, immediatus respicit speciem, quam Individua. Tertio:
Differentia rationale non praedicatur de homine, ut
singularis: Ergo praedicatur, ut universalis. Ad pri-
mum, (7) nego maj.: Licet enim rationale non praedi-
cetur de Petro, & Paulo, tamquam id, quo inter se
differunt; benè verò, ut id, quo differunt essentiali-
ter ab aliis; v. gr. à leone, & equo.

(7)
Vide Pat.
Loffad. tr.
3. dis. 2.
cap. 2. à u.
I. & seq.

10. — Ad 2., dist. ant.: Medià specie, ut inferiori,
nego ant.; ut æquali, concedo ant., & nego conseq.
Universale constituitur per ordinem ad terminum im-
mediatum; non tamen æqualem, sed inferiorem.
Nec dicas: Quòd eodem modo, quo Differentia præ-
dicatur de specie, dicitur de Individuis; eò quòd In-
dividua contineantur sub specie. *Nam* id verum est,
quantum ad prædicationem essentiale, vel acciden-
talem; falsum autem, quoad prædicationem supe-
rioris de inferiori, vel æqualis de æquali. *Ad.* 3. neg.
conseq.: Quia inter prædicari, ut singulare, & ut
universale, datur medium videlicet prædicari, ut
æquale: unde rationale respectu hominis nullum est
prædicabile, cum non sit universale.

11. — *Dices*: Differentia de pluribus prædicatur,
quam species: Ergo ad plura se extendit; adeoque est
universalis respectu speciei. Ant. patet, quia Diffe-
rentia prædicatur de Individuis, & de specie; Species
autem de solis individuis. *Resp.*, dist. ant.: Per mo-
dum æqualis de æquali, concedo ant.; per modum
superioris de inferiori, nego ant., & consequent. De
quibuscumque prædicatur Differentia per modum
superioris, prædicatur eodem modo species; licet
Differentia prædicetur formaliter de specie, de qua
ipsa species non prædicatur formaliter, sed identice.
Pro aliis solvendis, vide Irribarrem, Langa, & Pas-
lano, ubi supra.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De Proprio, & Accidente.

QVatuor modis usurpatur Proprium à Porphyrio. Primo pro eo quod soli Speciei convenit, sed non omni; ut esse Medicum respectu hominis. Secundo pro eo, quod omni Individuo convenit, sed non solo; ut esse bipedem respectu hominis. Tertio pro eo, quod omni, & solo Individuo convenit, sed non semper; ut canescere, quod omni, & solo convenit homini, sed non semper. Quartò pro eo, quod omni, solo, & semper convenit; ut esse risibilem, seu risivum, respectu hominis. Præter has Proprii combinationes, plures alias componit Servera, (1) & contra Porphyrii exempla variis insurgit scrupulis, quibus P. Loffada (2) facile, & fæliciter occurrit.

Sed, ne quis scrupulosis vacillet exemplis, alia pro singulis Proprii modis assignantur. Pro primo: *Esse Sacerdotem*, aut *baptizatum*; quod solum convenit homini, sed non omni. Pro secundo: *Esse locomotivum*; quod omni homini, sed non illi solo, convenit. Pro tertio: *Esse divisum in corpus, & animam permanentem*; quod omni, & solo convenit homini, at non semper, sed mortis tempore. Pro quarto deinde: *Esse admirativum*, quod omni, solo, & semper convenit homini. Ex his autem solum quarto modo sumptum constituit Proprium quartum prædicabile; quomodolibet in contrarium reclament alii apud Serveram. (3)

Proprium itaque quartum prædicabile definitur optimè: *Quod prædicatur de pluribus in quale necessariè*. Vel aliter: *Vniversum extra essentiam necessariò*.

(1)

D. Server.
disp. 10.c.
1. d. n. 2. &
3. cum seq.

(2)

P. Loffada
trat. 3. di
sput. 2. cap
3. num. 4:

(3)

Vide Serv
ubi suprad,
cap. 2. d. n.
12.

546 Lib. III. Quest. III. de Differ. Prop. & Accid.
Daplex est, alterum physicum, alterum metaphysicum, seu logicum: *Primum* est, quod per se, & necessariò consequitur rei essentiam, à qua realiter distinguitur; ut lux respectu solis, & calor summus respectu ignis. *Secundum* est, quod ex nostro concipiendi modo sequitur ad essentiam, cum qua realiter identificatur; v. gr. in homine esse admirativum, & risibile. Id autem adverte: Proprium non constitui universale, & prædicabile respectu naturæ, cuius est proprietas; sed respectu inferiorum naturæ, de quibus prædicatur; ut in simili diximus de Differentiâ.
4 *Accidens* alterum est physicum, & prædicamentale, alterum logicum, & prædicabile. *Primum* est, quod advenit rei physicè completerè, estq; contrapositum substantiæ; v. gr quantitas, qualitas, &c. *Secundum* est, quod advenit rei extra essentiam contingenter; sive sit substantia, ut esse aureum, vel argenteum respectu annuli; sive accidens physicum, ut albedo respectu pa- rietis. *Accidens* prædicabile primò intentionaliter sumptum est: *Quod potest esse, & abesse, absque subjecti corruptione.* Vbi particula, & non sumitur copulativè, sed disjunctivè.

5 Verba illa definitionis: *Absque subjecti corruptione*, non sunt intelligenda de physica rei corruptione; adeò, ut sensus sit; *Accidens* posse adesse, vel abesse rei physicè permanenti: sed de corruptione metaphysicâ; ita, ut quidquid advenit rei ex suo conce- ptu objectivo metaphysicè constitutæ, præter ejus exi- gentiam, sive possit res cum illo, vel sine illo physi- cè existere, aut secùs, sit accidens prædicabile. *Vnde: Nigredo corbi, albedo nivis, mors hominis, & alia hujusmodi sunt accidentia; quia licet non possint es- se, & abesse absque subjecti physico defectu; benè verò absque metaphysicâ destructione, & præter illi-*
us

us exigentiam, quam haberet respectu proprii, si deficeret. (4)

6 Accidens secundò intentionaliter acceptum est: Quod prædicatur de pluribus in quale contingenter. Vel etiam: Universum extra essentiam contingenter. Adverte 1.: Accidens non prædicari de subiecto substantiè, & in abstracto, sed in concreto, & adjectivè, id que contingenter: propterea non requirit cum subiecto identitatem, ut de illo prædicetur; sed unionem, hancque denotat propositionis copula. (5) Adverte 2.: Accidens non esse prædicabile respectu inferiorum sive formæ; sed respectu subiectorum, quibus est commune. Quare album ad hoc, & illud album, non ut accidens, sed, ut species, comparatur; ad Petrum verò, & Paulum comparatur, ut accidens. Accidens reale intrinsecum requirit inferiora physicè existentia; secùs extrinsecum. (6).

(4) Vide Lang.
lib 4. ques
4. art. 4. à
num. 389.
Irrib. hic
argum. 1.

(5) Vide Palae
tr. 4. quæst
17. à n. 6.

(6) Vide Pat.
Loft. tr. 3.
disp. 2. cap
4 n. 9. &
10.

QUÆSTIO IV.

DE NUMERO, CONVENIENTIA,

ET EXERCITIO PRÆDICABILIVM.

ARTICULUS I.

Virum Prædicabilia sunt tantum quinque?

DICIMVS: Prædicabilia tantum sunt quinq;. Ita cum Porphyrio (1) D. Thomas. (2) PROB. breviter: Prædicabilia distinguuntur penes diversos modos, quibus universalia de inferioribus præ-

(1) Porphyr.
cap. 1. de
Gen.

(2) D. Thomas
Opusc. 48.
cap. 1. in
fin.

548 Lib. III. Quæst. IV. de num. conv. & exerc. &c.
dicantur ; sed hi modi sunt tantum quinque : Ergo.
Maj. est certa : Prædicabilia enim debent esse univer-
salia ; unde, quidquid obstat, ut natura sit universalis,
impedit , eam esse prædicabilem. Prob. min. : Quid-
quid prædicatur per modum superioris de inferiori,
vel prædicatur essentialiter , vel accidentaliter : Si es-
sentialiter ; vel prædicatur , ut tota essentia , & sic est
species ; vel ut pars materialis essentiæ , & sic est *Ge-
nus* ; vel ut pars formalis , & sic est *Differentia*: Si ac-
cidentaliter ; vel necessariò , & sic est *Proprium* ; vel
contingenter , & sic est *accidens* : sed non datur alias
modus, ut ex argumentorum solutione constabit: Ergo,

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

2 RGVES i. : Tot sunt Prædicabilia , quot
A sunt modi prædicandi ; sed modi prædi-
candi sunt plures , quam quinque: Ergo. Prob. min. i. :

(3) Arist. 4. Tot sunt modi prædicandi , quot sunt Prædicamenta;
Metaph. c. sed Prædicamenta sunt decem : Ergo. Major patet:
20. *Tum* ; quia , ut docet Aristoteles , (3) tot sunt partes
Universalis , quot sunt partes entis , quæ sunt Prædi-
camenta : *Tum etiam* ; quia tot sunt modi prædicandi ,
quot sunt modi essendi , modi autem essendi sunt Præ-
dicamenta. Prob. 2. illa min. : Hæc prædicatio : *Ho-
mo est existens*, est alicujus Prædicabilis , cum sit supe-
rioris de inferiori ; sed nullius ex quinque: Ergo.

3 Prob. min. : In primis non est prædicatio Ge-
neris , Speciei , aut Differentiarum , cum existentia non
sit de hominis essentia ; neque Proprietatis , cum homini
non conveniat necessariò; sed aliunde neque acciden-
tis : Ergo. Prob. min. : Existentia nequit homini ad-
esse , & abesse absque ipsius corruptione: Ergo. Prob.
3. ipsa min. : Hæc prædicatio : *Deus est homo* , est ali-

cujs Prædicabilis; sed non est Generis, Speciei, aut Proprii, cum *homo* non sit de essentia Dei, neque ipsi necessariò conveniat; aliundè non est accidentis: Ergò. Prob. hæc min.: Si illa esset prædicatio accidentis, Deus esset accidentaliter homo, ac proindè non univocè cum reliquis hominibus; sed hoc est contra D. Thomam: (4) Ergò.

(4)

D. Thomas
3.p.q.2.ar
5.

4 Resp., neg. min. Ad 1. ejus prob., nego maj.; ad primam implicitam prob. ex Arist., dist. illam: Tot sunt partes Vniversalis pro materiali, concedo; pro formalī, nego. Partes Vniversalis pro materiali sunt naturæ, quæ denominantur universales, quæ tot sunt, quot Prædicamenta: Partes autem pro formalī sunt secundæ intentiones Prædicabilium, quæ tantum sunt quinque juxta quinque modos, quibus superiorius de inferiori valet prædicari. Ad 2. prob. implicitam, dist. illam: Quot sunt modi essendi absolute, nego; per modum superioris in inferiori, conc. Primi modi essendi sunt decem; secundi autem quinque.

5 Ad 2. prime min. prob. resp., illam prædicatiō-
nem: *Homo est existens*, esse Accidentis. Ad prob. in
contrarium dist. ant.: Nequit existentia esse, & ab-
esse absque hominis corruptione physicā, concedo;
metaphysicā, nego ant., & conseq. Corrumptitur ali-
quid physicè, cum amittit existentiam in rerum natu-
rà; corrumptitur metaphysicè, cum ei aufertur, seu
negatur aliquid prædicatum essentiale: Absente ita-
que existentiā corrumptur homo, non metaphysicè,
quia nihil ipsi deficit essentiale, sed physicè, quod non
impedit, quominus prædicetur, ut Accidens. (5) Nec
dicas, quod, deficiente existentiā, homo non est vi-
vens, consequenter neque animal. Licet enim non sit
vivens actualiter, & exercitè, est exactivè, & signatè;
hoc autem, & non illud, est de hominis essentiā. (6) 6.

(5)
Vide quæf
3.arti. 2.
num. 5.

(6)
Vide Palac
tra.4.q. 1
num. 5. &
6.

Ad.

550 Lib III. Quest IV. de num. conv. & exere. &c.

6 Ad 3. prob. resp. , eam prædicationem : Deus est homo , esse prædicationem Speciei. Licet enim homo non sit de essentiâ Dei , ut in naturâ Divinâ subsistentis , est ðe ejus essentia , ut subsistentis in naturâ humana : Suppositâ itaque Incarnatione , ly Deus in illa propositione sumitur , ut terminans naturam humanam , quo modo Deus est essentialiter homo : (7) Casu autem , quo tres Divinae Personæ assumpsissent eandem naturam humanam , non fuissent plures homines , sed unus homo ; (8) adeoque non esset natura humana universalis respectu trium personarum tantum. Aut aliter dici potest , eam esse prædicationem Accidentis ; quia Deo est extra essentiam Divinam esse hominem : At verò Deus , ut terminans reduplicativè naturam humanam est univocè homo cum aliis hominibus . (9)

(7)
Vide Irrib
lib. 4. q. 1.
artic. 1.

(8)
D. Thomas
3. p. quest
3. ar. 7. ad
2.

(9)
Vide Pulac
tr. 4. quest
1. num. 8.

(10)
D. Server.
disp. I. c.
1. n. 5. &
8.

7 ARGVES 2.: (10) Multæ sunt prædicationes , quæ ad quinque Porphyrii Prædicabilia non sunt reducibilis : Ergò Prædicabilia sunt plura , quam quinque. Prob. ant. 1. : Hæc est vera prædicatio : Homo est animal risibile ; sed nulla ex quinque Porphyrianis est : Ergò. Si dicas , eam prædicationem esse mixtam ex genere , & proprio , atque adeò non esse diversum ab aliis Prædicabile. Contra. Licet Species componatur ex genere , & differentiâ , est Prædicabile ab utroque distinctum : Ergò , etsi prædicatū illud sit compostū ex genere , & proprio , erit formaliter diversum ab utroque Prædicabile.

8. Prob. 2. primum ant. : Ratio calidi in ordine ad unum ignem , & unam aquam est universalis , & prædicabilis ; sed non est aliquod ex quinque assignatis à Porphyrio : Ergò. Prob. min. : Et in primis , quod ea ratione non sit Genus , Species , aut Differentia , patet ; quia calor nec de igne , nec de aqua prædicatur essentia-

Art. I. Vtr. Prædicabilia sit tantum quinque? 551
tialiter: Quid non sit Proprium, nec Accidens, probatur: Proprium debet prædicari de pluribus juxta eorum exigentiam, Accidens de pluribus extra exigentiam; sed ratio calidi in ordine ad unum ignem, & unam aquam nec prædicatur de pluribus juxta exigentiam, nec de pluribus extra exigentiam: Ergo Min. patet: Quia de igne juxta exigentiam, de aqua extra exigentiam prædicatur.

9 *Resp.*, neg. ant.: Ad primam prob. resp., approbando solutionem insinuatam. Ad impugnationem, nego, conseq.: Quia, cum Genus, & Differentia sint partes metaphysicæ, per se ordinatæ ad componendam Speciem; ex eis consurgit quid incomplexum incomplexo nomine significabile, ac diversimodè de multis prædicabile: Cæterum, Genus, & Proprium non ordinantur ad aliquod totum logicum componendum; cum Genus essentialiter, & Proprium extra essentiam prædicetur: ideoque ex illis non resultat aliquid incomplexum, sed complexum ex utroque; quod, aut nullum, aut duplex est Prædicabile. (11) *Adverte*: Complexa, ut *Animal album*, cum non sint universalia, neque esse prædicabilia; easdem quippe, quas Universale requirit conditions, requirit Prædicabile. (12)

10 *Ad 2. prob. resp.*, neg. mis.; ad prob. dist min.: Non prædicatur actu, concedo minorem; aptitudine, nego minorem, & consequent. Itaque ratio calidi respectu ignis est Proprium; respectu aquæ est Accidens: Cum autem abstrahitur ab uno igne, manet ab aliis, vel actualibus, vel possibilibus, saltem negative, abstracta; atque adeò de illis omnibus, ut Proprium, est prædicabilis: Pariter cum ab aqua abstrahitur, ab omnibus abstrahitur, quarum respectu manet prædicabilis, ut Accidens. Aut dici poterat rationem calidi ad ignis,

(11)

*Vide Mag
Lang. lib.*

4.q. I.art

I. n. 28.

29. & 30.

(12)

*Vide, que
diximus
lib. 3.q. r.
art. 1.n. 2*

552 Lib. III. Quest. IV. de num. conv. & exerc. &c.
ignem, & aquam non esse universalem, neque prædicabilem; eo, quod sit ratio analoga. Ex quibus intelleges, *album* in ordine ad Petrum esse Accidens, in ordine ad hoc *album* esse speciem: Et plura alia, quæ à Contrariis opponuntur, facile solves.

11 ARGVES 3. : Differentia Subalterna, & infima
constituunt duo Prædicabilia: Ergo. Prob. ant. : Genus, &
Species duo constituunt Predicabilia: Ergo. pariter. Prob.
Conf. Ideò primum verum est, quia Genus de pluribus
differentibus specie, Species de differentibus numero
prædicatur; sed etiam Differentia subalterna de plu-
ribus differentibus specie, & infima de differentibus
numero prædicatur: Ergo. Confir. : Hæ prædica-
tiones: *Homo* est subsistens: *Homo* est Persona, ad nul-
lum ex quinque Prædicabilibus attinent: Ergo. Adde,
hanc prædicationem: *Petrus* est quidam homo, alias
que hujusmodi, suum constituere Prædicabile à quin-
que diversum.

12 Ad argum., nego ant. : ad prob., concessso ante-
tec., nego conseq. : ad ejus prob., nego causalem
majoris: Sed; quia Genus prædicatur, ut pars mate-
rialis essentiae, & Species, ut tota essentia; at verò
tām Differentia infima, quām subalterna, prædicatur,
ut pars formalis essentiae: ideò non sunt diversa
Prædicabilia. Nec dicas; quod Differentia subalter-
na, & infima respiciunt diversos terminos, nempe
plura specie, & numero diversa: Ergo constituuntur
Prædicabilia per diversos respectus. Resp. enim: Ter-
minum formalem Differentiæ, quælibet illa sit, esse

(13) Vide Lang
ubi sup. n.
36. plura respecta ab ipsa, ut à parte formalí; quod au-
tem differant specie, aut numero de materiali se ha-
bet respectu Differentiæ in esse prædicabilis. (13)

Et Irrib. 13 Ad Confir. resp.: Eas prædicationes reduci pos-
sunt ad Proprium; quia subsistere est proprietas hominis,

Art. I. Vtr. Prædicabilia fit tantum quinque? 553

in quantum est substantia; & esse personam est proprietas ejusdem in quantum intellectualis est. (14) Aut, si malis, eas reducito ad *accidens*; ut de hac propositione: *Homo existit*, suprà diximus num. 5. (15) Ad addit. dicimus, illam prædicationem, aliasque similes, nullius esse Prædicabilis; quia non sunt superioris de inferiori: Idemque dicimus de haccine aliisque similibus: *Homo, in quantum substantia, est substantia*. Aut valent reduci ad secundum Prædicabile. (16)

14 ARGVES 4.: Omnia Prædicabilia, aut prædicantur in quid, & essentialiter; aut in quale, & accidentaliter: Ergo tantum sunt duo Prædicabilia. Confirm. 1.: Juxta Aristotelem, (17) tot modis dicitur unum oppositorum, quot alterum; sed solum sunt duo subiectibilia, Species, & Individuum: Ergo totidem sunt Prædicabilia. Confirm. 2.: Modi prædicandi, intrinsecè, & extrinsecè non constituunt diversa Prædicabilia: Ergo neque modi prædicandi necessariò extrà essentiam, & contingenter, atque adeò Proprium, & Accidens non sunt Prædicabilia diversa. Anteced. patet in his prædicationibus: *Petrus est visus*: *Petrus est albus*, in quarum prima prædicatum dicitur extrinsecè de subjecto, in secunda intrinsecè; cum utrobius sit Accidens.

15 Ad argum., concessò anteced., dist. consequens: Tantum sunt duo in genere, seu in specie subalterna, concedo conseq.; in specie infima, nego consequēt. Quamvis enim Prædicabile, ut sic, primò dividatur in essentiale, & accidentale; hæc duo membra subdividuntur adhuc modo, quo suprà num. 1.: Vnde quinque resultant Prædicabilia, ut vidimus. Sed nota: quod, licet quodlibet ex quinque Prædicabilibus sit ulterius divisibile, ut *Cepus*, in supremum, & infimum, Dif-

(14)
Palan. trø^o
3. q. 1. n.
10.

(15)
Vide Lang
ubi sup. n.
23. & 24.

(16)
Vide Palæ.
num. 9. ubi
suprà.

(17)
Arist. 1.
Topic. cap.
12. apud
Langa hic
num. 8.

Aaaa feren-

554 Lib. III. Quest. IV. de num. conv. & exerc. &c.
ferentia in infinitam, & subalternam, hæ divisiones
non ipsis congruunt ratione formalis prædicabilitatis,
sed ratione naturæ prædicabilis, ut inferioris vel su-
perioris, alijsvè similis considerationis; sicque non
multiplicant Prædicabilia.

16 Ad 1. Conf., dist. maj.: Tot modis dicitur
unum, quot alterum, si formaliter sumantur, con-
cedo major.; si materialiter accipientur, nego majo-
rem; & sic distinctè min., nego conseq. Sicut enim
modi prædicandi sunt quinque, ita modi subjicien-
di; quia potest res inferior (quævis illa sit, quia hoc
de materiali se habet) subjici superiori, vel, ut toti
essentiæ; vel, ut parti formali, aut materiali essen-
tiæ; vel, ut accidenti separabili, aut inseparabili. Ad
2. Confir. nego consequent.: Quia modi *intrinsecus*,
& *extrinsecus* non variant connexionem naturæ supe-
rioris cum inferiori, sed tantum denominationem,
quæ forma denominat subjectum: Modi autem præ-
dicandi *necessariò*, aut *contingenter* variant connexio-
nem illam, atque adeò multiplicant Prædicabilia.

(18) Vide Lang
hic n. 9. &
num. 32.

(18)

ARTICVLVS II.

Vtrum Vniversalē sit Genus ad quinque Prædicabilia

I D I C I M V S: Vniversalē est genus ad quinque
Prædicabilia. Ita expræsse Porphyrius,
(1) (1) de Prædicabilibus afferens: *Commune quidem om-*
Porphyri. *nibus est de pluribus prædicari.* Ita etiam communiter
capite 5. Scholarum omnium Authores. Probatur Conclu-
sio: *Vniversalē comparatur ad quinque Prædicabi-*
lia, ut ratio ipsis univocè communis, & essentialis. Er-
gò. *Prob. ant.*, quod primam partem: *Quinque præ-*
dicabilia univocè convenient in esse Vniversalis: Er-
gò.

gō. Prob. ant. : *Esse Vniversalis consistit in eo*, quod
sit unum in multis ; sed *aequè est unum in multis* quodcumque Prædicabile , sive sit illis *essentialia* , sive
accidentale: Ergo. Prob. nunc illud ant., quoad 2. par-
tem : Prædicabile formaliter, ut tale , dicitur de mul-
tis ; aliás non esset Prædicabile : Ergo est essentialiter
illis commune , atque adeo Vniversalē.

2 *Vrgetur* : Si Predicabilia non propriè conveni-
rent in esse *Vniversalis* ; ideo esset , quia alia prædi-
cantur essentialiter , alia accidentaliter ; alia comple-
tè , alia incompletè ; sed hoc non obstat : Ergo. Prob.
min. : Ea Prædicabilium diversitas provenit ab eorum
differentiis ; sed diversitas , quæ à differentiis pro-
venit , non tollit univocationem , ut omnibus est cer-
tum : Ergo. Prob. major : Illa diversitas ab eo pro-
venit , quod uni Prædicabili, præ alio, convenit ; secùs,
omnibus idem sine diversitate conveniret : Ergo. Con-
fir. : *Vniversalē ex sua ratione præscindit ab eo*, quod
inferioribus conveniat essentialiter , aut accidentaliter ;
solum enim est : *Vnum potens esse in multis*: Ergo.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRARIA.

3 **A** RGVE\$ 1. : Si *Vniversalē* esset genus ad
quinque Prædicabilia , contineretur sub
Genere primo prædicabili ; sed hoc repugnat : Ergo.
Major est certa ; quia, cum primum Prædicabile sit
Genus in communi , omnia particularia genera sub eo
continentur. Prob. min. : Nullum superius sub sibi
inferiore continetur , Sed , si *Vniversalē* esset genus
ad quinque Prædicabilia, esset superius Genere primo
Prædicabili : Ergo. Minor patet : Quia sic esset genus
Generis primi Prædicabilis ; genus autem superius est
eo , cuius est genus.

Aaaaaz

Resp.

1) 4. Resp., (2) dist. primam maj. : Contineretur
Vide Palæ. essentialiter, quatenus genus ad quinque Prædicabili-
 træct. 4. q. lia, nego maj. ; accidentaliter, vi denominationis,
 2. à num. illi supervenientis, concedo maj. *Vniversalē* enim
 4. & seq. essentialiter, ut Genus ad quinque Prædicabilia, so-
 lūm dicit naturam ab omnibus Prædicabilibus abstra-
 etam, & secundam intentionem generositatis; adeoque
 est quinque Prædicabilibus essentialiter superius. *Deinceps*
 illi superadditur nova secunda intentio subjicibilitati-
 tis ad Genus primum Prædicabile, quā sit illo inferius : Sed, quia hæc secunda intentio advenit Vni-
 versali accidentaliter ; fit accidentaliter inferius Ge-
 nere primo Prædicabili.

5 Dices : Si *Vniversalē* esset Genus ad quinque Prædicabilia, non esset inferius Genere primo Prædi-
 cibili, adhuc accidentaliter : Ergò. Prob. ant. : Idem
 nequit esse superius, & inferius respectu ejusdem; sed
Vniversalē esset superius Genere primo Prædicabili:
 Ergò. Resp. dist. maj. prob. : Nequit esse superius, &
 inferius per eandem formam, seu secundam intentionem, concedo maj. ; per diversas secundas intentiones, nego maj. Intellectus, utpotè reflexivus, super
 unam intentionem aliam fundat : Itaque conceptus
 obiectivo *Vniversalē*, à Prædicabilibus abstracto, tri-
 buit secundam intentionem generositatis, quā sit essen-
 tialiter genus ad quinque Prædicabilia.

6 *Deinde* : huic generi essentialiter jam constituto
 tribuit novam secundam intentionem subjicibilitatis
 respectu Generis primi Prædicabilis, vi cuius consti-
 tuitur Species subjicibilis respectu illius : sed, cum
 ista nova intentio supponat genus *Vniversalē* jam con-
 stitutum ; advenit illi, in esse talis, accidentaliter; at
 illud constituit essentialiter in esse speciei subjicibi-
 lis : Sicut albedo advenit accidentaliter parieti ; sed
 illum

illum essentialiter constituit in esse alii : Vnde jam patet , *Vniversale* esse superius Genere primo Prædicabili per secundam intentionem genereitatis ; esse autem illo inferius per secundam intentionem subiectibilitatis ; Primum est illi essentiale; secundum accidentale.

7 *Instabis* : Si *Vniversale* esset genus ad quinque Prædicabilia ; esset superius , & inferius per eandem secundam intentionem : Ergo. Prob. ant. : Si *Vniversale* esset genus ; in quantum genus , esset superius; Genus enim , ut tale , est superius eo , cuius est genus ; sed esset inferius , in quantum genus; ideo enim continetur sub Genere primo Prædicabili , quia genus est : Ergo. Respond. , neg. ant.: ad prob. dist. maj.: Esset superius , in quantum genus , ly in quantum reduplicante rationem formalem superioritatis , concedo major.; reduplicante solùm rationem fundamentalem , neg. maj. ; & dist. min. : Esset inferius in quantum genus , ly in quantum reduplicante rationem fundamentalem inferioritatis , concedo min. ; reduplicante rationem formalem , nego min. , & conseq.

8 *Explicatur* solutio : *Vniversale* est formaliter superius in quantum genus ; quia per genereitatem constituitur formaliter superius Genere primo prædicabili : in quantum genus autem solùm fundamentaliter est inferius ; quia genereitas est fundamentum proximum subiectibilitatis , quæ constituitur formaliter inferius. *Ex quibus* intelliges; quod , cum *Vniversale* , ut subiectibile , sit sub Genere primo prædicabili , & hoc sub *Vniversali* , ut prædicabili ; pariter *Vniversale* , quæ subiectibile , est sub se ipso , quæ prædicabili ; quod , cum per diversas eveniat secundas intentiones , minimè repugnat.

9 *Replicabis*. : Si *Vniversale* ullo modo esset superius

158. Lib. III. Quest. IV. de num. conv. & exerc. &c.
perius Genere primo prædicabili, sequeretur pri-
mò, quòd species directè prædicaretur de genere; v. g.
Vniversalē est genus: Secundū, quòd una species prædi-
cabilium de aliā prædicaretur; v. gr. *Genus est species*
universalis: Tertio sequeretur, quòd omnia Prædicabili-
lia essent species immediatè contentæ sub genere
Vniversalē, & consequenter, unicum tantum daretur
Prædicabile; sed hæc omnia videntur inconvenien-
tia: Ergò. *Conf.*: Nulla essentia est genus suarum pro-
prietatum; sed Prædicabilia sunt proprietates Vniver-
salis: Ergò.

10 *Ad replic. resp.*, dist. i. sequel.; Species directè
prædicaretur de genere, ut tali, nego sequel.; de gene-
re, ut accidentaliter specie per secundam intentionem
superadditam, concedo sequel. *Vniversalē*, quatenus
genus ad quinque Prædicabilia, non subjicitur Ge-
neri primo prædicabili, sed solùm accidentaliter vi
novæ intentionis subjicibilitatis, quà sit accidentaliter
species. Pariter distin. secundam sequellam: Vna spe-
cies prædicaretur accidentaliter de alia, concedo se-
quel.; essentialiter, nego sequellam. *Tertiam* eodem
modo dist.: Omnia Prædicabilia essent species acci-
dentaliter, & denominativè, concedo sequel.; essen-
tialiter, nego sequellam.

11 Itaque ex quinque Prædicabilibus primum
essentialiter est Genus, secundum essentialiter est spe-
cies, &c.; omnia tamen comparativè ad *Vniversalē*
sunt species subjicibles per secundam intentionem ip-
sis accidentalem, vi cuius de singulis prædicatur acci-
dentaliter denominatio speciei: *Nec reputes inconve-*
niens; quòd genus sit essentialiter genus, & acciden-
taliter species; quòd species sit essentialiter species
respectu inferiorum, & accidentaliter species respe-
ctu *Vniversalis*; quòd denique *Vniversalē* sit essentia-
liter

Art. II. Vtr. Univ. sit Gen. ad quinq; Prædio. 559
liter universale, & de novo per generositatem illi accide ntalem fiat accidentaliter Universale. Quia, hæc per diversas intentiones, non repugnat, verificari.

12 *Ad Conf. resp.*, dist. minor.: Prædicabilia sunt proprietates Universalis, ut sic, nego minor.; Universalis particularis respectivè, concedo minor.: & nego consequent. Prædicabilitas est proprietas Universalitatis; sicutque cujusvis Prædicabilis prædicabilitas est proprietas universalitatis ejusdem; sicut, & prædicabilitas, ut sic, est proprietas Universalitatis, ut sic: sed speciales prædicabilitatis Generis, Differentiæ, &c. non sunt proprietates Universalis in communione. Quare, Vniversalis, ut sic, formaliter, ut Vniversalis, est genus ad quinque Prædicabilia, quatenus universalia; & idem Vniversalis, quatenus est prædicabile, ut sic, est genus ad quinque prædicabilia, ut talia. (3)

13 *ARGVES* 2.: Genus debet esse univocum ad sua inferiora; sed *Vniversalis* non est univocum ad quinque Prædicabilia: Ergò. *Probat. min.* 1.: Quædam Prædicabilia sunt substantiæ, & quædam accidentia; sed substantiæ, & accidenti nihil est univocè commune: Ergò. *Si dicas*, quòd Prædicabilia, quoad substracta, quædam sunt substantiæ, & quædam accidentia; concretivè autem, quatenus ad ea est genus *Vniversalis*, omnia sunt accidentia rationis, seu secundò intentionalia. *Contrà.* Prædicabilia adhuc secundò intentionaliter usurpata, non convenient univocè in modo prædicandi: Ergò. *Prob. ant.*: Quædam præsuntur essentialiter, & quædam accidentaliter: Ergò.

14 *Prob. 2.* prima min. argumenti: Ratio communis transcendens differentias, non est suis inferioribus univoca; sed *Vniversalis* transcendent differentias Prædicabilium: Ergò. Minor patet, quia quælibet predi-

(3)

Vide alia solat apud Langa lib. 4. q. 1. art. 2. num. 52.

160 Lib. III. Quæst. VI. de num. conv. & exerc. &c.
Prædicabilium differentia est formaliter universalis, cum Differentia definiatur per Universale. Prob. 3 ipsæ min. : Genus , Differentia , & Species prædicantur simpliciter de inferioribus, quia cum illis identificantur ; sed Proprium , & Accidens prædicantur secundumquid , cum non identificantur cum inferioribus: Ergo non convenientiunt univocè.

15 Ad argum. , nego min. Ad 1. prob. resp. , approbando solutionem illam : Prædicabilia enim , licet de materiali importent naturas , quarum aliæ sunt substantiæ , aliæ accidentia , adeoque univocè convenire non possint ; de formali vero important respectum rationis ad inferiora , de quibus valent prædicari , in quo univocè convenientiunt. Ad impug. in contrarium , nego ant. : ad prob. , nego conseq. : Quia , licet quædam prædicentur essentialiter , & quædam accidentaliter , hoc de materiali se habet respectu Prædicabilis ; omnia autem æquè prædicantur per modum superioris de inferioribus , in quo ejus ratio formalis consistit : Convenienti pariter univocè in modo essendi per modum superioris in inferioribus , licet non convenienti in modo essendi absolute. (4)

(4) 16 Ad 2. prob. dist. min. : Universale transcendit differentias Prædicabilium , essentialiter sumptas , nego min. ; accidentaliter , & denominative acceptas , conc. min. ; & nego conseq. Differentiæ Prædicabilium , videlicet : In quale , in quid , & in quale quid , non sunt formaliter ex se ipsis universales ; sed fiunt universalis per secundas intentiones ipsis superadditas , quibus subjiciuntur Universali , quorum vi jam non sunt differentiæ , sed species Universalis : nihil autem mirum , si Universale transcendat inadæquate suas species ; sicut in quolibet genere contingere , vñnum. 14. demus. (5)

Ad

Art. II. Vtr. Univ. sit Gen. ad quinque Predic. 61

17 *Ad 3. nego min. : Nec obstat implicita propositio; quia ut accidens simpliciter praediceatur de subiecto, non requiritur utriusque identitas; sed sufficit inherentia, si accidens illud sit intrinsecum; aut aliqua adjacentia, si sit extrinsecum, ut diximus sup. q. 3. art. 2. num. 6. Aut dici potest, Accidens in abstracto non identificari cum subiecto; benè verò in concreto, non quidem secundum formam, sed penes subiectum; pro quo principaliter supponit: Sed, cum istud accidentaliter afficiatur forma accidentalis, contingenter praedicatur, ut affectum:* (6) *In fine adverte, quod Universale est accidens rationis respectu hujus, & illius naturæ; est autem genus respectu hujus, & illius Universalis.* (7)

ARTICVLVS III. *De exercitio Prædicibilium.*

CVm Prædicabilia ad exercitium reducuntur per actualem prædicationem; postquam de Prædicabilibus egimus, aliqua de actuali prædicatione non incongruè examinamus. Est itaque Prædicatio propositio, seu enuntiatio, in qua unum de alio prædicatur; quam alibi 1) in directam, & indirectam, in identicam, & formalem, & alias multipliciter, divisimus. Id unum adverte, Prædicationem aliquando veram esse in sensu identico, cum scilicet prædicatum per rationem distinguitur à subiecto; aliquando in sensu formali, cum prædicatum ita est de conceptu formalis subiecti, ut ne per rationem quidem ab eo differat adæquatè: Hæc itaque est vera in sensu formalis: *Homo est animal*; hæc verò: *Rationalitas est animalitas*, solum est vera in sensu reali, & identico,

(6)
Vide Lang
ubi supr. à
num. 66.

(7)
Vide Palæ.
ubi supr. à
num. 15.

(1)
Vide Dial
lib. 2. q. 2.
art. 1.

2 His suppositis, cum Prædicabilia sint concreta accidentia alia rationis; eò præcipue hujus articuli collimat intentum, ut quomodo concreta, & abstracta adinvicem prædicentur, examinet. Sed prius nota, concretum esse illud, quod significat formam prout in subjecto, ut *album*; abstractum verò, quod significat formam, ut à subjecto separata, ut *albedo*. (2) Concretum unum est substantiale, aliud accidentale.

(2)
Vide Dial.
lib. I. q. 2.
art. 4. num
10.

Primum est, quod significat formam, subjectum substantialiter constituentem; ut *homo*, cuius subjectum est suppositum, & forma humanitas. Secundum est, quod significat formam, ut advenientem, & adjacentem subjecto jam constituto, ut *album*.

3 Rursus: Concretum substantiale alterum est physicum, alterum metaphysicum *Physicum* est, cuius subjectum est realiter, inadæquate ad minus, à formâ distinctum; v. gr. *homo*, cuius suppositum realiter inadæquate distinguitur ab humanitate; quia suppositum, præter humanitatem, dicit substantiam, quam non importat humanitas. *Metaphysicum* est, cuius subjectum, & forma, non realiter, sed ex modo tantum significandi, distinguuntur, ut *Deus*, & *Deitas*, *ens*, & *entitas*. Denique: Concretum accidentale, alterum est reale, cuius forma realis est, ut *album*; alterum rationis, cuius forma est rationis, ut *Genus*, *Species*, &c.

4 DICIMVS 1.: Vnum Concretum verè prædatur de alio, quoties significant formas eidem subjecto adhærentes. Ratio est: Quia, ut propositio sit vera, sufficit, quod subjectum, & prædicatum pro eodem supponant, licet diversa principaliter significant: Cum autem concreta accidentalia supponant principaliter pro subjecto; si utriusque concreti est idem subjectum, eti diversæ sint formæ, unum de altero

altero verè ad invicem prædicantur; v. gr. in zacarо: *Album est dulce*; & : *Deus est homo*, in Christo. At verò: Quando formæ Concretorum sunt adæquatè distinctæ, unum concretum de altero prædicatur in sensu reali, & identico, non in sensu formalis, ut exemplis positis apparet: Vtroque autem sensu, si forma unius sit de conceptu formæ alterius; ut *album est coloratum*: *Homo est animal*.

5. **DICIMVS** 2.: Quoties abstracta significant formas realiter distinctas, non possunt ad invicem prædicari; verè tamen prædicantur, cum significant formas realiter identificatas. *Ratio primi est*: Quia abstracta supponunt pro formis, quæ si diversæ sint, abstracta pro diversis supponunt; adeoque unum de altero prædicari non potest. *Ratio secundi est*: Quia, si formæ sunt realiter idem; abstracta, pro formis supponentia, pro eodem supponunt; ideoque valent ad invicem prædicari: Propter primum hæ sunt falsæ: *Albedo est dulcedo*; *Humanitas est Divinitas*. Propter secundum sunt veræ istæ: *Humanitas est rationalitas*; *Rationalitas est anima*itas, in homine.

6. **DICIMVS** 3.: Quando subjectum, habens formam, non distinguitur realiter à formâ, potest Abstractum de Concreto, aut è contrâ, prædicari; secùs, si realiter, etiam inadæquatè, distinguuntur. *Ratio primi est*: Quia tunc prædicatum, & subjectum pro eodem supponunt, nempe pro subjecto, & formâ, quæ idem sunt. Vnde veræ sunt istæ prædicationes: *Deus est Deitas*: *Deitas est Deus*: *Ens est entitas*: *Entitas est ens*. *Ratio secundi est*: Quia, si subjectum, & forma realiter distinguuntur; Concretum, supponens pro subjecto, & Abstractum, supponens pro forma, pro eodem non supponunt: Vnde, falso dices: *Album est albedo*: *Homo est humanitas*, aut è contrâ.

7. Ex quibus summatis infedes primò , quòd iā physicis , nec Concreta de Abstractis , nec Abstracta de Concretis prædicantur ; quia in his subjectum , & forma realiter distinguuntur : In metaphysicis è contrà , propter oppositam rationem . Secundo : Quoties idem subjectum habet duas formas , quarum virtute duplēm habet Concreti denominationem , unum Concretum de altero prædicatur , ut in zacaro *album* prædicatur de *dulci* , & è conversò ; in Christo Deus prædicatur de *homine* , & è contrà ; quia humanitatis , & divinitatis idem est suppositum . Tertiò : Concreta secundæ intentionis prædicantur de Concretis , & Abstractis primæ intentionis ; v. gr. : *Homo est Species: Rationalitas est differentia.*

8. Cæterū Abstracta secundo intentionalia non verè dicuntur de Concretis , aut Abstractis primæ intentionis ; falsò enim quis dixerit : *Homo est species;* *Animalitas est genereitas.* Tandem Concreta accidentalia verè prædicantur de substantialibus , quibus , accidentalis inest forma ; sed non è contrà : Itaque sunt veræ istæ : *Homo est albus :* *Ignis est calidus :* sed istæ falsæ : *Album est homo :* *Calidum est ignis.* Quæ in oppositum adducivalent haud difficile ex dictis solvuntur ; ideoque ea ommittimus , ut tandem extremam logicis lucubrationibus imponamus manum .

Hæccine scripsimus circa Logicam , & Dialecticam , quæ Junioribus sufficiunt , si sufficienter comparentur . Omnia tamen , si non fælici , possibili nobis studio , lustravimus : quæ , si ad mentem Angel. Doctoris concinnata sint ; si in Dei Opt. Max. Immaculatæ Virginis , S. Joseph , & Cœlitum omnium gloriam , cedant , & honorem , ut maximis optamus votis ; in hoc opus (Ecclesiæ , ac Sapientum correctioni summissum) non erit nobis incassum impensus labor . IN-

INDEX

TRACTATVVM, LIBRORVM,
QUÆSTIONUM, ET ARTICULORVM,
QVI HOC IN TOMO CONTINENTVR.

TRACTATUS I.

DE DIALECTICIS INSTITUTIONIBVS.

QUESTIO Proœmialis.	pag. 2.
Articulus I. <i>Præparantur arma ad Scholasticam pugnam.</i>	pag. 2.
Articulus II. <i>Praxis disputationis regulatur.</i>	pag. 6.
Articulus III. <i>De Operationibus intellectus.</i>	pag. 12.

LIBER I.

De pertinentibus ad i. intellectus operationem.

QUESTIO I. De Signo.	pag. 20.
Articulus I. <i>Quid sit signum?</i>	pag. 20.
Articulus II. <i>Vtrum detur signum sui ipsius?</i>	pag. 29.
Articulus III. <i>Quotuplex sit signum.</i>	pag. 36.
QUESTIO II. De Termino.	pag. 39.
Articulus I. <i>Quid sit Terminus?</i>	pag. 39.
Articulus II. <i>Vtrum Terminus constituatur per altu; an per posse componere?</i>	pag. 50.
Articulus III. <i>Vtrum Copula, vocesque non significativa; sint propriè termini?</i>	pag. 58.
Articulus IV. <i>Quotuplex sit Terminus.</i>	pag. 72.
QUESTIO III. De proprietatibus termini.	pag. 77.
Articulus I. <i>De Suppositione.</i>	pag. 77.
Articulus II. <i>De Reliquis Termini proprietatibus.</i>	pag. 86.
QUESTIO IV. De Nominе, & Verbo.	pag. 92.
Articulus I. <i>Quid sit Nomen?</i>	pag. 92.
Articulus II. <i>Quid sit Verbum?</i>	pag. 97.
	LIBER

LIBER II.

De pertinentibus ad 2. intellectus Operationem.

Q UÆSTIO I. De Oratione, & modo sciendi.	pag. 101.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Oratio?	pag. 101.
Articulus II. Quid, & quotuplex sit Modus sciendi?	pag. 103.
Articulus III. Quid, & quotuplex sit Definitio?	pag. 109.
Articulus IV. Quid, & quotuplex sit Divisio?	pag. 112.
Q UÆSTIO II. De Propositione.	pag. 115.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Propositio?	pag. 115.
Articulus II. De Propositionibus Hypotheticis.	pag. 118.
Articulus III. De Propositione Exponibili.	pag. 122.
Articulus IV. De Propositione Modali.	pag. 124.
Q UÆSTIO III. De Proprietatibus propositionis.	pag. 127.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Oppositiō Dialecticā?	pag. 127.
Articulus II. Aliqua circa Oppositionē Dialecticam resolvuntur.	pag. 131.
Articulus III. De propositionum Equipollentia, & Conversione.	pag. 140.
Articulus IV. De Opositione, Equipollentia, & Conversione Modalium.	pag. 144.

LIBER III.

De pertinentibus ad 3. intellectus operationem.

Q UÆSTIO Unica. De Argumentatione.	pag. 148.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Argumentatio?	pag. 148.
Articulus II. Quid, & quotuplex sit Consequential?	pag. 152.
Articulus III. De Principiis, & regulis, quibus Ars inniti- tur Syllogistica.	pag. 155.
Articulus IV. De artificio Syllogismi.	pag. 160.
Articulus V. De Syllogismorum Reductione.	pag. 167.
Articulus VI. De syllogismo Expositorio, & Hypothetico.	pag. 171.
Articulus VII. De Fallaciis Syllogismorum.	pag. 174.

TRACTATVS II.

DE LOGICIS DISPUTATIONIBVS.

LIBER I.

De Proæmialibus Logicis.

Q UÆSTIO I. De Natura, & Proprietatibus Logica.	pag. 178.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Logica?	pag. 178.

Articulus II. An , & quænam Virtus mentis sit Logica?	pag. 191.
Articulus III. Vtrum Logica sit Scientia?	pag. 195.
Articulus IV. Vtrum Logica sit propriæ Ars?	pag. 206.
Articulus V. Vtrum Logica sit practica , an Speculativa?	pag. 213.
Articulus VI. Vtrum Logica sit simplex qualitas?	pag. 331.
Articulus VII. Vtrum Logica sit simpliciter necessaria ad alias Scientias acquireendas?	pag. 262.
QUÆSTIO II. De objecto Materiali Logice.	pag. 281.
Articulus I. Quid , & quotuplex sit objectum in communione?	pag. 281.
Articulus II. Virum voces artificiosè dispositæ sint Objectum materiale Logica?	pag. 284.
Articulus III. Vtrum Conceptus formales sint objectum mate- riale Logica?	pag. 296.
Articulus IV. Virum Conceptus Objectivi sint Objectum ma- teriale Logica?	pag. 311.
QUÆSTIO III. De Objecto formali Logice.	pag. 325.
Articulus I. Vtrum aliquod artificium attuum intellectus sit Objectum formale Logica?	pag. 325.
Articulus II. Vtrum aliquod reale artificium Conceptuum Ob- jectivorum sit Objectum formale Logica?	pag. 327.
Articulus III. Vtrum aliquod rationis artificium sit Objectum formale Logica?	pag. 338.

LIBER II.

De Universalibus.

QUÆSTIO I. De Superiorum , inferiorumque gradum di- stinctione.	pag. 374.
Articulus I. Præmonentur ea , qua ad questionis intelligen- tiam desiderantur.	pag. 374.
Articulus II. Vtrum Gradus Superiores , & inferiores ejus- dem rei creatæ distinguantur ex natura rei?	pag. 378.
Articulus III. Vtrum inter Gradus superiores , & inferiores ejusdem rei detur Distinctio Virtualis?	pag. 397.
Articulus IV. Vtrum inter Gradus superiores , & inferiores detur distinctio formalis ex parte actus?	pag. 411.
Articulus V. Vtrum inter gradus superiores , & inferiores de- tur Præcisio Objectiva?	pag. 421.
QUÆSTIO II. De Universalibus in communione.	pag. 453.
Articulus I. Quid sit Universale , & an detur à parte rei?	pag. 453.
Articulus II. Vtrum natura secundum se sit una , aut commu- nis pluribus?	pag. 453.

Articulus I. Verum denuo Universalia in cuncto; ab Uni-	
versalibus in cunctis, & quae dicitur	Pág. 472.
QUESTIO III. De Universali Logico, & Metaphysico.	Pág. 485.
Articulus I. In quo consistat, & per quam actum sit Universale Metaphysicum?	Pág. 485.
Articulus II. In quo consistat, & per quem actum sit Universale Logicum?	Pág. 485.
Articulus III. Verum in actuali predicatione servetur, an in futura? Universale?	Pág. 503.

LIBER III.

De Pradicabilibus.

QUESTIO I. De Genere primo Pradicabilitate.	Pág. 513.
Articulus I. Exponitur Generis definitio, & principale definitum assignatur.	Pág. 513.
Articulus II. Reliqua de Genere resolvuntur.	Pág. 525.
QUESTIO II. De Specie, & Individuo.	Pág. 535.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Species?	Pág. 537.
Articulus II. Quid, & quotuplex sit individuum?	Pág. 537.
QUESTIO III. De Differentia, Proprio, & Accidente.	Pág. 540.
Articulus I. Quid, & quotuplex sit Differentia?	Pág. 540.
Articulus II. De Proprio, & Accidente.	Pág. 545.
QUESTIO IV. De numero, convenientia, & exercitio Pradicabilium.	Pág. 547.
Articulus I. Verum Pradicabilia sunt tantum quinque?	Pág. 547.
Articulus II. Verum Universale sit genus ad quinque Pradicabilitates.	Pág. 554.
Articulus III. De exercitio Pradicabilium.	Pág. 561.

Máx. a 24 de
Mayo 1924
B. Ulldeburg de
Ost

FINIS.





C. M. Díaz
quanto te quieren,
eres un quezo,

Omí lugar,
quantomquieras,
tienes la boca,
y gente dulza.

Algunas veces

Esto lo conpuso
ter de carita





Zeltin 2

Item 2 der Pro
kommunikationsstelle

B einguit. Et siue de othe facciue remouint plementus aperte
hic pmo regnauerit le ab illo et rema
re cu budo, bicluput dilectibus. It
infrutin eos gremalium. Spes et
ta fuit. Et intellectus carinalit ethas ha
erba h locutu, sed vos ples et al
ciflere m fru
tilla monie re
tilla spicile qu
ingr. oulicarato belli pade,
inter alia
inter alia
et intellectus aperte


B eis in ecclesia othe facciue remouint plementus aperte
hic pmo regnauerit le ab illo et rema
re cu budo, bicluput dilectibus. It
infrutin eos gremalium. Spes et
ta fuit. Et intellectus carinalit ethas ha
erba h locutu, sed vos ples et al
ciflere m fru
tilla monie re
tilla spicile qu
ingr. oulicarato belli pade,
inter alia
inter alia
et intellectus aperte

B eis in ecclesia othe facciue remouint plementus aperte
hic pmo regnauerit le ab illo et rema
re cu budo, bicluput dilectibus. It
infrutin eos gremalium. Spes et
ta fuit. Et intellectus carinalit ethas ha
erba h locutu, sed vos ples et al
ciflere m fru
tilla monie re
tilla spicile qu
ingr. oulicarato belli pade,
inter alia
inter alia
et intellectus aperte

B eis in ecclesia othe facciue remouint plementus aperte
hic pmo regnauerit le ab illo et rema
re cu budo, bicluput dilectibus. It
infrutin eos gremalium. Spes et
ta fuit. Et intellectus carinalit ethas ha
erba h locutu, sed vos ples et al
ciflere m fru
tilla monie re
tilla spicile qu
ingr. oulicarato belli pade,
inter alia
inter alia
et intellectus aperte

B eis in ecclesia othe facciue remouint plementus aperte
hic pmo regnauerit le ab illo et rema
re cu budo, bicluput dilectibus. It
infrutin eos gremalium. Spes et
ta fuit. Et intellectus carinalit ethas ha
erba h locutu, sed vos ples et al
ciflere m fru
tilla monie re
tilla spicile qu
ingr. oulicarato belli pade,
inter alia
inter alia
et intellectus aperte

B eis in ecclesia othe facciue remouint plementus aperte
hic pmo regnauerit le ab illo et rema
re cu budo, bicluput dilectibus. It
infrutin eos gremalium. Spes et
ta fuit. Et intellectus carinalit ethas ha
erba h locutu, sed vos ples et al
ciflere m fru
tilla monie re
tilla spicile qu
ingr. oulicarato belli pade,
inter alia
inter alia
et intellectus aperte



Scholarship

1

2794

3488